CATHOLIC BOOK AGENCY
PIAZZA PONTE S. ANGELO, 28
ROME (ITALY)

AD

CODICEM IVRIS CANONICI

BENEDICTI XV PONT. MAX.

AVCTORITATE PROMVLGATVM

COMMENTARIA MINORA

CONCINNAVIT

DOCT. ALBERTVS TOSO

ECCL. CATHEDR. OPPIDEN.

CANONICVS

LIBER II. DE PERSONIS

PARS II — DE RELIGIOSIS

« Justitiam namque colimus, boni
et aequi notitiam profitemur ».
ULP.



Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ROMAE

IVS PONTIFICIVM

PIAZZA SS. APOSTOLI 51

MCMXXVII

28703

IMPRIMATUR

Romae, 25 sept. 1927

† *Josephus Palica,* Ep. Tit. Philippen., Vicesgerens.

Omnia iura proprietatis vindicabuntur

Romae - Ex Officina Typographica Romana « Buona Stampa » — MCMXXVII

DE RELIGIOSIS

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/adcodicemjvrisca0002vari

PARS SECUNDA

DE RELIGIOSIS

Haec altera pars libri secundi Codicis i. c. leges complectitur, quae religiosos peculiariter respiciunt, idque postquam in priore parte egit de clericis in genere et in specie et antequam de laicis agat in tertia. Et merito: religiosi enim qua tales, nempe qua statum religiosum profitentur, veluti medium locum tenent inter clericos et laicos; scilicet clericis inferiores sunt, deficiente sacro ordinis charactere, qui potestatis ecclesiasticae habendus est tamquam necessarium fundamentum (cfr. can. 118) quique ad substantiam status religiosi minime pertinet, at superiores sunt laicis propter eiusdem status excellentiam, ob quam, inter alia, quamvis sacris ordinibus omnino careant, privilegiis tamen clericorum fruuntur (can. 614).

Status religiosi, cuius origines in Ecclesiae primordiis inquirendae sunt, variae fuerunt progressu temporis vicissitudines.

Prima status religiosi vestigia cerni quodamodo possunt in prioribus Christi fidelibus; legimus enim in Actibus Apostolorum (II, 44-45): *Omnes etiam qui credebant, erant pariter, et habebant omnia communia. Possessiones et substantias vendebant, et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.*

Postea vero peculiari mentione digni sunt *ascetae,* qui mutata veste, terrenis curis abiectis ac saeculi moribus repudiatis, christianae sese philosophiae addiscendae penitus addicebant. Videntur autem ascetae huiusmodi et votum continentiae nuncupare et regimini magistri cuiusdam sese subiicere soliti fuisse.

Saeculo quarto status religiosus ad perfectiorem formam per monacos evectus est. Monachismus in Aegypti Thebaide praesertim floruit, idque duplici ratione, nempe primitus, auctore Paulo (a. 234-347), vitae *anachoreticae,* idest sine ulla permanenti inter monachos societate; deinde vero, auctoribus Antonio (a. 251-356) et Pacomio (a. 292-345), qui ultimus et primam regulam monasticam conscripsit, vitae *coenobiticae,* idest congregatis monachis in coenobia seu monasteria. Atque hoc modo vita communis introducta est simul cum regulis monasticis, unde et nomen *regularium* religiosis attributum plus minusve lata significatione.

Haec in Ecclesia orientali. In occidentali, saeculo sexto ineunte, vitam monasticam fere introduxit S. Benedictus (a. 480-543) cuius regula celeberrima evasit. Per hanc regulam et sollemnis votorum professio praescripta et — ne regula facile mutaretur — eius observandae itemque ad alia monasteria non transmigrandi obligatio in professione inclusa.

Deinde in Conc. Lateranensi II (a. 1139) per factum ipsius Ecclesiae inducta est sollemnitas votorum monasticorum cum suis effectibus irritantibus; in Conc. vero Lateranensi IV (a. 1215) auctore Innocentio Pp. III cautum est, ut novae regulae, quae in posterum prodirent, nullam vim obligandi obtinerent, nisi postquam fuerint a R. Pontifice approbatae. Quo decreto radicitus sublata est aequiparatio, eo usque usitata, inter regulas et constitutiones religionum. Ex regula S. Benedicti tamquam flumina ex unica scaturigine omnes religiones monasticae Ecclesiae occidentalis paullatim derivarunt, quae vitae, ut aiunt, contemplativae potissimum addicebantur.

At saeculo undecimo oriri coeperunt religiones, quae cum rerum divinarum contemplatione externam quoque operositatem composuerunt: unde ordines militares, canonicorum regularium ac mendicantium, quod postremum genus ex eo ita appellatum est, quod eo usque ex instituto paupertatem excoluerit, ut bonorum dominium ne in communi quidem admitteret ac proinde ex collata stipe unice victitaret.

Deinde vero a saeculo decimosexto initium sumpsere religiones, quae externae operositati, susceptis clericalibus officiis, potissimum addictae sunt, ideoque *clericorum regularium* nomine veniunt; itemque societates tum virorum tum mulierum in communi viventium sine votis, quae proinde proprie religiones nuncupari non possunt.

Tandem Pius Pp. IX per litt. encycl. 19 mart. 1857 praecepit, ut solemni votorum professioni, vota simplicia triennalia iugiter praemitterentur. Quibus praelibatis, veniamus ad explicandos canones ad religiones proprie dictas pertinentes.

Can. 487.

Status religiosus seu stabilis in communi vivendi modus, quo fideles, praeter communia praecepta, evangelica quoque consilia servanda per vota obedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt, ab omnibus in honore habendus est.

1. *Status religiosus* etc. — Canon definit elementa substantialia, quae statum religiosum constituunt. Primum elementum *in communi vivendi modo* consistit. Idque duo videtur complecti: commune regimen et communem bonorum administrationem. Deinde haec *vita communis* stabilis esse debet: alias namque *statum* efficere non potest. Hinc tertium elementum consistit in votis, nempe obedientiae, castitatis et paupertatis: obedientiae, idest omnimodae sub-

iectionis Superioribus ad normam iuris in religione recepti praecipientibus, vel etiam praeter ius huiusmodi, si id fuerit in professione promissum; castitatis, hoc est perfectae continentiae, quae et coniugium excludit et quoscumque actus tum externos tum internos, qui virtuti continentiae repugnent; denique paupertatis, videlicet non disponendi de bonis temporalibus quibuscumque absque Superiorum consensu: haec de qualibet professione religiosa et salvis effectibus irritantibus professionis sollemnis.

Si quod igitur horum elementorum desit, cum substantialia sint, ratio status religiosi illico evanescit.

2. *Ab omnibus in honore* etc. — Status religiosus habendus est ab omnibus in honore: idque primum propter singularem eius excellentiam ex ipsa status natura profluentem: deinde propter emolumenta, quae ex eo Ecclesiae Christi derivarunt, quaeque, historia teste, et luculentissima sunt et maxima.

CAN. 488.

In canonibus qui sequuntur, veniunt nomine:

1. *« Religionis », societas, a legitima ecclesiastica auctoritate approbata, in qua sodales, secundum proprias ipsius societatis leges vota publica, perpetua vel temporaria, elapso tamen tempore renovanda, nuncupant, atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt.*

Prolixiorem canonem per partes explicabimus. Et in primis exhibet hic Legislator definitionem *religionum*, sicuti supra *status religiosi*, infra vero aliarum vocum, quae in hac Codicis parte frequentius reperiuntur.

Nomine igitur religionis venit societas seu, in concreto, persona moralis collegialis ecclesiastica, ab ecclesiastica auctoritate legitime erecta ac proinde approbata. Haec vero societas propriis legibus (nempe regula atque constitutionibus seu statutis, perinde ac ceterae personae collegiales) dirigi debet, ad quarum normam vota publica obedientiae, continentiae ac paupertatis a singulis sodalibus nuncupentur. Publicum dicitur votum, quod a legitimo Superiore ecclesiastico Ecclesiae nomine publice recipitur; secus dicitur privatum. Vota autem religiosa, vi legum religiosarum, aut in perpetuum emitti debent aut, si ad tempus, statuto tempore transacto, perpetuo iterari, ita ut ex instituto, seu directe seu indirecte, semper perpetua sint; alias religionis ratio evanescit.

2. *« Ordinis », religio in qua vota sollemnia nuncupantur; « Congregationis monasticae », plurium monasteriorum sui iuris inter se coniunctio sub eodem Superiore; « religionis exemptae », religio sive votorum sollemnium sive simplicium, a iurisdictione Ordinarii loci subducta; « Congregationis religiosae » vel « Congregationis » simpliciter, religio in qua vota dumtaxat simplicia sive perpetua sive temporaria emittuntur;*

Animadvertenda hic est differentia inter vota simplicia et sollemnia; scilicet eadem est utrobique forma, eadem, tum quoad personam tum quoad tempus, vis obligandi; et tamen effectus inter se toto coelo distant: nam, dum vota simplicia per se actus contrarios illicitos faciunt, sollemnia ex adverso faciunt invalidos ac nullos, nempe quatenus eius sint naturae quod irritari possint (can. 579). Dixeris, voluisse quodammodo Ap. Sedem illis tribuere vim naturalem contractus informis; hisce autem contractus formalis.

Quoad vero Congregationes monasticas, monasterium dicitur sui esse iuris, cum, praeter R. Pontificem et ipsius monasterii Superiorem, nullus alius in illud ordinariam potestatem habet; post constitutionem autem Congregationis monasticae, potestas quaedam communi Superiori defertur (cfr. can. 501 § 3); itemque, post plurium Congregationum monasticarum foederationem (veluti factum est in Ordine S. Benedicti), Abbati Primati.

3. « *Religionis iuris pontificii* », *religio quae vel approbationem vel saltem laudis decretum ab Apostolica Sede est consecuta;* « *iuris dioecesani* », *religio quae ab Ordinario erecta, hoc laudis decretum nondum obtinuit;*

Quaelibet religio talis esse incipit a momento, quo canonice erigitur ab Ordinario loci: tum vero iuris dioecesani esse dicitur, eademque perseverat usque dum Ap. Sedes manus ad eam apposuerit. Idque fit per decretum laudis a R. Pontifice per S. Congr. Religiosorum concessum, quod quandoque cum approbatione cumulatur. Scilicet quatuor sunt regulariter in concedenda pontificia religionum approbatione momenta: primum namque concedi solet decretum laudis; deinde religionis approbatio; tertio approbatio constitutionum *per modum experimenti;* quarto denique approbatio definitiva. Et haec iuxta *Normae secundum quas S. Congregatio de Religiosis procedere solet in novis religiosis Congregationibus approbandis,* quae *Normae* editae sunt die 6 mart. 1921. Secundum igitur has *Normae,* post *elapsum a prima fundatione congruum tempus, si nova Congregatio satis diffusa fuerit, et dederit fructus pietatis, observantiae religiosae et spiritualis emolumenti, idque comprobari potuerit per litteras testimoniales Antistitis vel Antistitum Ordinariorum, in cuius vel in quorum dioecesibus seu territoriis Congregatio habet domum vel domos*: tunc omnes adsunt conditiones ad petendum consequendumque ab Ap. Sede illud laudis decretum, per quod religio iuris dioecesani fit religio iuris pontificii.

4. « *Religionis clericalis* », *religio cuius plerique sodales sacerdotio augentur; secus est* « *laicalis* »;

Comma difficultate non caret, quae tota est in significatione verbi *plerique,* quod communiter accipitur pro *pars maior.* Si autem haec esset praecise significatio, absque dubio sequeretur absurdum. Quaerere namque quis posset: Quandonam adesse debet huiusmodi *pars maior?* Si namque eo tantummodo

momento, quo primum religio erecta est, aut iuris pontificii facta, tunc explicari non posset verbum *augentur,* quod non praeteritur, sed praesens tempus significat; si vero quovis tempore, tunc, pro vario sodalium laicorum numero, religio modo clericalis esset modo laicalis. Ita ex. c. Societas Jesu, quae a. 1924 ineunte 10.393 sodales sacerdotes habebat, laicos vero sodales 10.386 (cfr. *Comment. pro Relig.,* 1926, n. 1-2, pag. 55-56), in summo tum posita fuisset discrimine, amittendi characterem religionis clericalis. Sed haec sunt absurda, et ideo verbum *plerique* aliter est intelligendum. Quare cl. Vermeersch (*Epitome,* I, 447) confugit ad criterium *subordinationis,* qua laici sodales sodalibus clericis subiiciuntur, *quamvis per accidens vel etiam per se plures sint laici quam clerici.* Ex adverso cl. Chelodi (*Jus de pers.,* pag. 377, nota 1) in medium vocat *genus Instituti,* idest religionis naturam et finem ab ea consequendum, qui aut clericis aut laicis aptior est. Sed haec a lege aberrare videntur, nam lex, prout recepta est in Codicem et quidquid sit de schemate praeparatorio, neque de natura et fine loquitur, neque de subordinatione, sed tantum (et apertissime) de numero sodalium: *plerique sodales sacerdotio augentur.* Igitur hisce verbis est insistendum. Scilicet tenendum videtur vocem *plerique* non necessario significare *maiorem partem. Plerique,* ait Forcellinus noster (*Lexicon tot. latin.*), *uni et paucis opponuntur.* Et varias exhibet vocis significationes, adiectis exemplis ex praeclarissimis quibusque scriptoribus excerptis. Has inter ex. c. Tacitus (*IV Hist.,* 84): *Deum ipsum,* ait, *multi Aesculapium, quidam Osirim, plerique Jovem, plurimi Ditem patrem coniectant;* et 13 *Ann.,* 27: *Plurimis equitum, plerisque senatorum non aliunde originem trahi.* Praeterea C. Nepos (*Timoth.,* 4): *Timothei autem moderatae pientisque vitae quum pleraque possimus proferre testimonia, uno contenti erimus.* Sane hisce in casibus et aliis multis quos hic afferre esset taediosum, vox *plerique, pleraque* significare non potest *partem maiorem,* sed tantummodo *multos* vel *multa.* Cum igitur possit littera legis hoc sensu legitime intelligi, videtur Legislator nihil hic innovasse, et ratio distinguendi religiones laicales a clericalibus in hoc consistere, quod (utique non *per accidens,* sed *ex instituto*) in hisce religionibus non hic vel ille (veluti quandoque contingit, ad sacra munia obeunda, in religionibus laicalibus), sed *multi* ex sodalibus sacerdotio augeantur: quod quidem in iis tantummodo religionibus evenire fatemur, quae, ut cl. Chelodi innuere supra diximus, ad operositatem natura sua presbyterorum propriam institutae sunt. Quapropter ex. c. religio S. Camilli de Lellis inter clericales recensetur, quamvis *vi constitutionum* numerus sodalium laicorum excedere debeat clericorum numerum (cfr. Schäfer, *De religiosis,* n. 51, 4).

5. « *Domus religiosae* », *domus alicuius religionis in genere;* « *domus regularis* », *domus Ordinis;* « *domus formatae* », *domus religiosa in qua sex sal-*

tem religiosi professi degunt, quorum, si agatur de religione clericali, quatuor saltem sint sacerdotes;

Itaque domus formata ea est in Codice nostro, cui sex saltem religiosi seu religiosae legitime adscripti sunt. Vox autem *religiosi* stricto sensu, nempe pro religiosis professis, est accipienda: et ideo excluduntur a numero novitii et *a fortiori* postulantes; non tamen requiritur ut professio sit sollemnis vel perpetua. Et haec sufficiunt si agatur de religione laicali, non autem si de clericali: nam tum praeterea requiritur, ut saltem quatuor, ex sex religiosis professis domui adscriptis, praesbyteratum iam susceperint. Et si quod horum requisitorum defuerit, quicumque sit sodalium numerus, domus est *informis* ac propterea peculiari Ordinarii loci vigilantiae subiecta (can. 617 § 2).

6. *« Provinciae », plurium religiosarum domorum inter se coniunctio sub eodem Superiore, partem eiusdem religionis constituens;*

Tum itaque extat figura iuridica *provinciae* religiosae, cum adsunt plures (ideoque, ex iure communi, saltem duae) domus religiosae eidem Superiori religioso subiectae, qui Superior (provincialis, ut aiunt) alius sit, qua talis, a domorum subiectarum Superioribus atque a supremo religionis Moderatore; unde provincia habenda sit tamquam pars *organizata* eiusdem religionis.

7. *« Religiosorum », qui vota nuncuparunt in aliqua religione; « religiosorum votorum simplicium », qui in Congregatione religiosa; « regularium », qui in Ordine; « sororum », religiosae votorum simplicium; « monialium », religiosae votorum sollemnium aut, nisi ex rei natura vel ex contextu sermonis aliud constet, religiosae quarum vota ex instituto sunt sollemnia, sed pro aliquibus locis ex Apostolicae Sedis praescripto sunt simplicia;*

Quoad ultimam commatis partem, sciendum est, reperiri in Gallia, Belgio, Bavaria, America septentrionali religiosas quae, quamvis ad normam suarum constitutionum vota sollemnia nuncupare deberent, tamen, ex voluntate Ap. Sedis rerum adiunctis ita exigentibus, vota simplicia emittunt. Ad rem S. Congr. de Religiosis, die 23 iun. 1923, quoad religiosas huiusmodi quae in Gallia et Belgio reperiuntur: *Religiosae sanctimonialium familiae, quae in Gallia et in Belgio post rerum publicarum conversionem, initio superioris saeculi, iterum coadunari coeperunt, ob nova civilium legum placita talibus in adiunctis constitutae sunt, ut Apostolica Sedes eas, nec ad antiquam communemque Ecclesiae disciplinam stricte moniales, nec votorum sollemnium vinculo aut clausurae papalis lege obstrictas aestimaverit, sed sub Episcoporum auctoritate cum votis dumtaxat simplicibus constitui siverit.* Moniales huiusmodi Ordinariis locorum subiectas esse oportere, iterum iussit S. Congregatio a. 1919. Anno vero 1922 die 11 oct., eadem S. Congregatio rogata respondit, easdem moniales non posse

alibi fundare nova monasteria absque beneplacito Ap. Sedis. Deinde 23 iun. 1923 Pius Pp. XI per eandem Congregationem declaravit ac decrevit, moniales, de quibus agitur, esse vere moniales iuris pontificii ad sensum can. 488 § 7, prout ceterae moniales in Ecclesia universa; earum tamen monasteria Superioribus regularibus (quorum Ordinis regulam profitentur), salvo peculiari privilegio minime esse subiecta, ideoque ad normam can. 615 exemptione non gaudere: proinde subiectas esse iurisdictioni Ordinariorum localium, in iis, nempe, quae canones Ordinariis ipsis circa religiosas attribuunt; tandem nihil obstare, quominus, si quod monasterium id postulaverit, vota sollemnia, servata lege clausurae papalis, moniales emittere possint, dummodo id ab Ap. Sede obtineant. Denique, ob earum peculiarem conditionem, moniales huiusmodi, ex responso a S. Congr. de Religiosis 9 nov. 1926 dato, non possunt e proprio ad aliud sui iuris et eiusdem Ordinis transire monasterium, ne ad tempus quidem, sine praevia Ap. Sedis licentia (cfr. can. 632). Hisce praemissis, facilius intelliguntur commatis dispositiones quae ad has religiosas pertinent. Scilicet in Codice nostro nomine *monialium* ipsae quoque comprehenduntur, ita ut praescripta omnia quae moniales respiciunt, respiciant et ipsas. Sed hoc non est perpetuum: nam (praeter exemptionem, vota sollemnia et consequentem clausuram papalem) excipiuntur casus, in quibus, ex praescripti natura vel contextu, aperte constet illud, ob peculiarem earum conditionem, applicari non posse religiosis huiusmodi.

8. « *Superiorum maiorum* », *Abbas primas, Abbas Superior Congregationis monasticae, Abbas monasterii sui iuris, licet ad monasticam Congregationem pertinentis, supremus religionis Moderator, Superior provincialis, eorundem vicarii aliique ad instar provincialium potestatem habentes.*

Scimus, ex can. 198 § 1, Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis pro suis subditis venire in iure nomine *Ordinarii,* idest gaudere ordinaria iurisdictionis potestate; in religionibus vero exemptis laicalibus, sicuti etiam in clericalibus non exemptis, item constat apud eosdem Superiores summam esse potestatis dominativae. Oportebat igitur definire, quinam ex Superioribus religiosis tanquam maiores essent habendi: idque per hoc comma facit Legislator. Inter Superiores maiores religionum laicalium nulla est ratio non recensendi Antistitam monasterii sui iuris.

CAN. 489.

Regulae et particulares constitutiones singularum religionum, canonibus huius Codicis non contrariae, vim suam servant; quae vero eisdem opponuntur, abrogatae sunt.

Canon (ea etiam de causa, quod est quaedam expressa et peculiaris applicatio can. 6 n. 1 ad ius particulare religionum) est maximi momenti, nam uno verbo omnes simul regulas atque constitutiones, quibus religiones universae in orbe existentes usque ad diem 19 maii 1918 regebantur, in medium vocat atque innovat, abrogando earum praescripta Codicis dispositionibus contraria, eisque sufficiendo praescripta ipsa Codicis. Idque contingit sive agatur de iure a religionibus introducto sive de iure ab Ap. Sede condito in commodum religionum. Indulta vero atque privilegia, ab Ap. Sede ante promulgationem Codicis concessa et particularibus constitutionibus forte inserta, vel alio modo legitime quaesita, nedum ad normam can. 4 perpendenda sunt, sed etiam ad normam can. 613 et sequentium, in quibus, quoad religiosos in specie, haec materia universa de integro ordinatur a Legislatore.

Can. 490.

Quae de religiosis statuuntur, etsi masculino vocabulo expressa, valent etiam pari iure de mulieribus, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet.

Et in primis ex rei natura statim constat, non valere de religiosis mulieribus quae de viris religiosis statuuntur circa adeptionem et exercitium potestatis ecclesiasticae tum ordinis tum iurisdictionis: sunt enim mulieres, sicut et viri dum laici perseverant, huius potestatis incapaces. Praeterea alia sunt haud pauca, quae tum ex rei natura tum ex sermonis contextu excipiuntur.

Can. 491.

§ 1. *Religiosi praecedunt laicis; religiones clericales, laicalibus; canonici regulares, monachis; monachi, ceteris regularibus; regulares, Congregationibus religiosis; Congregationes iuris pontificii, Congregationibus iuris dioecesani; in eadem specie servetur praescriptum can.* 106, *n.* 5.

§ 2. *At clerus saecularis praecedit tum laicis tum religiosis extra eorum ecclesias atque etiam in eorum ecclesiis, si agatur de religione laicali; Capitulum vero cathedrale vel collegiale eisdem praecedit ubique locorum.*

Hic igitur ordo praecedentiae: laici, religiones laicales iuris dioecesani, religiones laicales iuris pontificii, religiones clericales iuris dioecesani, religiones clericales iuris pontificii, religiones clericales regulares, religiones clericales canonicales, clerus saecularis. Ad normam vero can. 106 § 5, inter religiones eiusdem speciei (veluti ex. c. inter religiones clericales iuris pontificii), illa praecedit quae est in pacifica quasi-possessione praecedentiae vel, si de hoc non constet, quae prius in loco, ubi quaestio oritur, instituta est.

TITULUS IX.

DE ERECTIONE ET SUPPRESSIONE RELIGIONIS PROVINCIAE DOMUS

CAN. 492.

§ 1. *Episcopi, non autem Vicarius Capitularis vel Vicarius Generalis condere possunt Congregationes religiosas; sed eas ne condant neve condi sinant, inconsulta Sede Apostolica; quod si agatur de tertiariis in communi viventibus, requiritur praeterea ut a supremo Moderatore primi Ordinis suae religioni aggregentur.*

§ 2. *Congregatio iuris dioecesani, quamvis decursu temporis in plures dioeceses diffusa, usque tamen dum pontificiae approbationis aut laudis testimonio caruerit, remanet dioecesana, Ordinariorum iurisdictioni ad normam iuris plane subiecta.*

§ 3. *Nec nomen nec habitus religionis iam constitutae assumi potest ab iis qui ad illam legitime non pertinent aut a nova religione.*

1. Antiquitus, usque ad a. 1215, sine ulla expressa Ecclesiae approbatione religiones excitabantur. Eo autem anno Conc. Lateranense IV (c. 9, X, *De relig. dom.* etc., III, 36) haec statuit: *Ne nimia religionum diversitas gravem in Ecclesiam Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cetero novam religionem inveniat, sed quicumque ad religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat.* Ex quo decreto haec defluebant: 1°) Ap. Sedes statui religioso manus admovebat; 2°) novarum religionum erectio, se non consentiente, interdicebat; 3°) statum religiosum suscipere volentes ad religiones iam existentes amplectendas suadebat; 4°) denique, uno actu, veteres religiones indirecte ratas habebat. Et revera, Ap. Sede expresse approbante, eo tempore erecti sunt Ordines Mendicantium, nempe Ordo Praedicatorum (a. 1216), Ordo Carmelitarum (a. 1226) et Ordo Eremitarum S. Augustini (1256). Ordo vero Minorum primo verbotenus probatus fuerat ab Innocentio Pp. III iam a. 1210; sed regula, quam tertiam vocant quaeque fuit definitiva, probata est ab Honorio Pp. III die 29 nov. 1223 (cfr. Hergenröther, *Storia univ. della Chiesa*, ediz. ital., IV p. 369-370). Sed Conc. Oecum. Lugdunense II (a. 1274) omnes religiones, post Conc. Lateranense IV illegitime ortas, suppressit simulque iterum vetuit, ne novae religiones excitarentur (c. 1 *De relig. dom.*, III, 17 in VI). Quod tamen decretum minime impedivit, quominus postea, Ap. Sede probante, alii Ordines erigerentur, veluti Ordo Minimorum S. Francisci de Paula a. 1454, et, postremus, Ordo Fratrum Poenitentiae, ortus Salmanticae a. 1752 et

a Pio Pp. VI approbatus. Item decretum Conc. Lateranensis IV religiones tantummodo votorum sollemnium comprehendebat: non enim poterat decretum respicere religiones votorum simplicium, quae tum prorsus erant ignotae. Cum igitur saec. XVI religiones huiusmodi prius oriri coeperunt, ab Episcopis approbabantur, Ap. Sede id tolerante; quae praxis perduravit usque ad a. 1906, nempe usque ad Pii Pp. X motupr. *Dei providentis,* per quod decretum vetitum est Episcopis, ne, inconsulta, aut non consentiente Ap. Sede, approbatio concederetur.

2. *Episcopi, non autem* etc. Uti rectus ordo postulabat, Legislator prius agit de modo, quo religiones, provinciae, domus nascuntur et dissolvuntur; in primis vero de iis qui religionem erigere possunt, idest eisdem tribuere iuridicam existentiam, seu in personam moralem collegialem constituere. Jam vero, cum erectio Ordinum religiosorum concessionem secumferat Apostolici privilegii exemptionis ex Ordinariorum localium potestate, Ordinum huiusmodi tum erectio, tum suppressio, tum quaelibet substantialis immutatio Ap. Sedi reservatur. Ex adverso possunt Episcopi Congregationes religiosas erigere; itemque ii omnes qui, ratione potestatis, Episcopis a iure aequiparantur, nempe Abbates ac Praelati *nullius* (can. 323 § 1), Administratores apostolici permanenter constituti (can. 315 § 1), Vicarii atque Praefecti Apostolici (can. 294 § 1). E contra expresse excluduntur tum Vicarius capitularis tum Vicarius Generalis, idque contra opinionem cl. Schäfer (*De religiosis,* n. 70) qui, nescio quare, autumat posse Vicarium Generalem hac in re ab Episcopo delegari per speciale mandatum: sunt enim quaedam negotia (quae inter, ob gravissimum eius momentum, primum locum tenet erectio religionum), quae Vicario generali *simpliciter* interdicuntur ac proinde a limitibus specialis mandati excluduntur (cfr. Cod. Index anal.-alph., v. *Vicarii Generales*).

3. *Sed eas ne condant,* etc. Ordinarii igitur supra recensiti possunt potestate ordinaria erigere in proprio territorio Congregationes religiosas. Non tamen arbitrarie, sed *servatis servandis.* Et primum quod servari debet in hoc consistit, quod Ap. Sedes tempestive consulatur. Haec consultatio duo comprehendit: 1) Ut quae in negotio substantialia sunt scripto exarentur ac S. Congr. de Religiosis vel, si agatur de territorio missionum, S. Congr. de Prop. Fide transmittantur. 2) Ut S. Congregatio ita rogata facultatem concedat ad ulteriora procedendi. Ad rem Pius Pp. X (motuprop. *Dei miserentis,* 16 iul. 1906): — 1. *Nullus Episcopus aut cuiusvis loci Ordinarius, nisi habita Ap. Sedis per litteras licentia, novam alterutrius sexus sodalitatem* (nempe Congregationem religiosam) *condat aut in sua dioecesi condi permittat.* — 2. *Ordinarius, huius licentiae impetrandae gratia, sacrum Consilium Episcoporum et Regularium negotiis praepositum* (modo vero alterutram Ss. Congregationum supra recensitarum) *adeat per libellum supplicem, quo haec docebit: quis qualisque sit novae sodalitatis auctor et qua is causa ad eam instituendam ducatur; quibus verbis conceptum*

sit sodalitatis condendae nomen seu titulus; quae sit forma, color, materia, partes habitus a novitiis et professis gestandi; quot et quaenam sibi opera sodalitas assumptura sit; quibus opibus tuitio eiusdem contineatur; an similia in dioecesi sint instituta et quibus illa operibus insistant. — 3. *Accepta sacri Consilii venia, nihil iam obstabit, quominus Ordinarius novam sodalitatem instituat aut institui permittat.* Quia vero quae a S. Congregatione in hac concedenda licentia dempta, adita, mutata aut probata fuerint Ordinarius postea sua auctoritate variare non potest, inde patet fere nudum ministerium Ordinariis hac in re a iure modo vigente relinqui.

Quid si Ordinarius Ap. Sedem non consuluerit? Canon nullam, ne implicitam quidem, habet adiectam clausulam irritantem; quare erectio quidem valet, sed, sicuti quilibet actus positus adversus dispositiones iuris, ab Ap. Sede in poenam negligentiae irritari potest.

4. *Quod si agatur,* etc. — Aliud plane sunt tertiarii saeculares de quibus in can. 702 et seq., aliud tertiarii in communi viventes: illi sunt qui *in saeculo, sub moderatione alicuius Ordinis,* secundum eiusdem spiritum, ad christianam perfectionem contendere nituntur, *modo saeculari vitae consentaneo* (ibid.); hi, e contra, vel sunt religiosi (nempe vota saltem temporaria emittentes, ac proinde extra saeculum positi) qui cum Superioribus propriis Congregationem constituunt iuris dioecesani aut pontificii; vel saltem societatis sine votis, in communi viventis ad normam can. 673 et seq., sodales: et tum quoque societas a propriis Superioribus regitur et est iuris pontificii aut dioecesani. Quamvis igitur erigendum sodalitium ex tertiariis saecularibus primum constet, semper tamen agitur de sodalitio substantialiter novo, quod ad modum religiosae Congregationis erigitur: idcirco, statim ac iuridicam personalitatem acquisierit, ut gaudere possit indulgentiis aliisque spiritualibus privilegiis primo Ordini ab Ap. Sede concessis, huic debet Ordini legitime aggregari. Quae quousque neglecta aggregatio fuerit, novum sodalitium erit quidem Congregatio religiosa vel societas sine votis, non tamen sodalitium *tertiariorum.*

5. *Congregatio iuris diecesani* etc. — Congregationis iuris dioecesani ex una in plures dioeceses propagatio eius naturam minime immutat, sed tantum efficit, ut eo modo quo prius uni Episcopo suberat, postea subsit pluribus ad normam iuris: permaneat tamen Congregatio iuris dioecesani. Quocirca praetereunda non sunt, quae Leo Pp. XIII animadvertit in Const. *Conditae a Christo* (8 dec. 1900): *Episcopi est quamlibet recens natam sodalitatem non prius in dioecesim recipere, quam leges eius constitutionesque cognorit itemque probarit: si videlicet neque fidei honestative morum, neque sacris canonibus et Pontificum decretis adversentur et si apte statuto fini conveniant.*

6. *Nec nomen nec habitus* etc. — Tum nomen tum vestium color atque figura per canonicam erectionem in dominium transeunt erectae Congregationis. At non infrequentes hac de re lites (cfr. Battandier, *Guide canonique* etc., 6 ed., p. 20, nota 1).

Can. 493.

Quaelibet religio etiam iuris dioecesani tantum, semel legitime condita, etiamsi unica domo constet, supprimi nequit nisi a Sancta Sede, cui etiam reservatur de bonis in casu statuere, semper tamen salva offerentium voluntate.

Quaelibet religio cessare potest per causam instrinsecam vel extrinsecam. Intrinsece cessat, postquam per centum annos esse desierit (can. 102 § 1), nempe post annos centum a die, quo ultimus sodalis (in quem, ceteris deficientibus, ius omnium reciderat — ibid. § 2) ad religionem pertinere cessavit, sive per mortem, sive quia sua voluntate religionem dereliquit. Extrinsece autem cessat si a legitima auctoritate supprimatur (ibid. § 1): nulla vero est auctoritas, seu ecclesiastica seu civilis, hac in re legitima, praeter Ap. Sedem. *Supprimi nequit*, ait Legislator, idest quodlibet suppressionis decretum, quod ab Ap. Sede non procedat, rem integram relinquit, nihil facit, nullum et irritum est. Inest igitur canoni vis irritandi actus contrarios.

Suppressa religione restant bona eius temporalia (nam iura cuiuscumque generis simul cum persona iuridica evanuerunt), quae vel religionis erant vel religiosorum, veluti dotes a monialibus aliisque mulieribus religiosis allatae. Bona igitur suppressae religionis, utpote *ecclesiastica*, neque ad superstites sodales neque ad eorum heredes transire possunt: quare Ap. Sedis est de illis disponere, sicuti etiam de dotibus religiosarum, quae singulis sunt restituendae (can. 551 § 1); praeterea vero ad Ap. Sedem pertinet curare ut adamussim impleantur offerentium voluntates, in casu forte disponentes.

Can. 494.

§ 1. *Religionem pontificii iuris in provincias dividere, constitutas iam provincias coniungere vel aliter circumscribere, novas condere conditasve supprimere, monasteria sui iuris a monastica Congregatione separare et alii unire, ad unam pertinet Sedem Apostolicam.*

§ 2. *Extincta provincia, de eius bonis statuere, salvis iustitiae legibus et fundatorum voluntate, spectat, nisi constitutiones aliud caveant, ad Capitulum generale vel, extra tempus Capituli, ad Moderatorem generalem cum suo Consilio.*

1. *Religionem pontificii iuris* etc. — Agitur in primis in canone de provinciae religiosae erectione, unione, divisione, transmutatione, suppressione. Id autem raro continget in religionibus iuris dioecesani; et si contingat locum Ap. Sedis tenent Ordinarius seu Ordinarii locales, quorum iurisdictioni, item Ap. Sedis loco, eaedem religiones ad normam can. 492 § 2 sunt plane (et, iuxta Cod. Indicem analyt.-alphab., v. *Religio iur. dioec.*, in omnibus, nempe modo

collegialium personarum proprio) subiectae. Ex adverso, si haec agenda sint in religionibus iuris pontificii, negotium a Sede Ap. perfici debet per S. Congr. de Religiosis, praemissis per supremum Moderatorem vel generale Capitulum precibus religionis cuius interest. Non videtur praescriptum habere vim irritantem, sed actus illegitime positus esse tantummodo rescindibilis in poenam transgressionis. Contra, paragraphi praescriptum, utpote quod liberum iurium exercitium coarctat (cfr. can. 19) stricte est interpretandum. Quare nomine *provinciae* non videntur contineri quasi-provinciae in terris missionum existentes aut erigendae, domorum religiosarum uniones temporariae sub potestate Visitatoris vel peculiaris delegati Moderatoris generalis, aliaeque huiusmodi uniones imperfectae domorum; quas proinde erigere, immutare ac supprimere potest Moderator generalis cum suo Consilio vel Capitulum generale religionis.

2. *Extincta provincia* etc. — Extincta quolibet modo provincia, de bonis quae supersunt disponere ex iure communi spectat ad Capitulum generale: quod si tunc temporis non celebretur, ad Supremum Moderatorem cum suo Consilio ad normam constitutionum, iustitiae distributivae legibus et voluntate fundatorum servatis. Idque ex iure communi; sed Legislator excipit casum, quo ius particulare, nempe constitutiones, aliud caveant, videlicet hoc disponendi officium non quidem Capitulo generali aut supremo Moderatori, sed aliis attribuant: tunc enim standum est constitutionum praescripto.

Can. 495.

§ 1. *Congregatio religiosa iuris dioecesani in alia dioecesi domos constituere non potest, nisi consentiente utroque Ordinario, tum loci ubi est domus princeps, tum loci quo velit commigrare; Ordinarius autem loci unde excedit, consensum sine gravi causa ne deneget.*

§ 2. *Si ad dioeceses alias eam propagari accidat, nihil de ipsius legibus mutari liceat, nisi de consensu singulorum Ordinariorum quorum in dioecesibus aedes habeat, salvis iis quae ad normam can. 492, § 1, Sedi Apostolicae fuere subiecta.*

1. Legislator agere incipit de erectione et suppressione domorum religiosarum. Consensum Episcopi in erectione domorum religiosarum primo requisivit Conc. oec. Chalcedonense (a. 451) hisce verbis: *Quoniam... nonnulli praetextu monastico utentes, et ecclesias et negotia civilia perturbant... visum est nullum... monasterium... aedificare vel constituere... praeter sententiam ipsius civitatis Episcopi* (can. 4). Quam legem confirmaverunt Conc. Tridentinum (sess. XXV, c. 3 *de reg.*) et nonnulli subsequentes RR. Pontifices; quos inter Urbanus Pp. VIII, per const. *Romanus Pontifex,* 28 aug. 1624, contraria Ordinum mendicantium privilegia reprobavit. Consensum vero Ap. Sedis primo requisivit Bonifacius Pp. VIII (1294-1303) ad erectionem vel alienationem domorum Ordinum men-

dicantium (c. un. *De excess. prael.*, V, 6, in VI). Legem postea Innocentius Pp. X, per const. *Instaurandae,* 25 oct. 1652, extendit ad omnes *religiones* in Italia et adiacentibus insulis; ac tandem Curiae Romanae praxis ad omnes domus *regulares* toto orbe erigendas.

2. *Congregatio religiosa* etc. — Imprimis igitur Legislator agit de domibus religionum iuris dioecesani, quarum una saltem domus, simul cum religione, iam erecta subintelligitur. Tum vero duplex casus contingere potest: aut enim nova domus in eadem dioecesi erigenda est, ubi extat domus princeps, et tum sufficit ad eam erigendam consensus Ordinarii loci; aut domus erigenda est in alia dioecesi et tum requiritur consensus utriusque Ordinarii. Consensus autem huiusmodi, uti facile patet, pertinet ad substantiam actus; quare domus religiosa illegitime orta, aedificata quidem est, iuridice autem erecta, nempe in moralem personam, non est. Et cum Codex neque exigat neque vetet, videtur consensus praestari posse a Vicario generali sine mandato speciali.

3. *Si ad dioeceses alias* etc. — Haec altera paragraphus, sicuti et prima, excerptae sunt fere ad verbum ex Leonis Pp. XIII const. *Conditae a Christo,* 8 dec. 1900 §§ IV et V). Itaque evenire potest ut, religione iuris dioecesani extra dioecesim originariam magis ac magis in dies diffusa, opportunum videatur aliquid de ipsius legibus mutari, uti novis necessitatibus aptior fiat. Et tum quoque casus duplex contingere potest: etenim vel agitur de variandis iis, quae nunquam iudicio atque probationi Ap. Sedis subiecta fuerant, et tum mutare quidem licet, sed, ut uniformitas ubique servetur, tantummodo de consensu omnium Ordinariorum, quorum in dioecesibus religio propagata est; vel variandum videtur aliquid de iis, quae Ordinarius originis, in consulenda, ad normam can. 492, § 1, Ap. Sede ante erectionem religionis, iudicio S. Congregationis de Religiosis vel Prop. Fidei subiecerat, et tum earundem SS. Cnogregationum consensus est expetendus. Ad rem Pius Pp. X, motu prop. *Dei providentis,* 15 iul. 1906, n. III: *Accepta Sacri Consilii* (idest S. Congregationis) *venia, nihil iam obstabit, quominus Ordinarius novam sodalitatem instituat aut institui permittat, eo tamen titulo, habitu, proposito ceterisque rebus ab ipso Sacro Consilio recognitis, probatis designatisve: quae nunquam deinceps, nisi eodem* (nempe Sacro Consilio) *consentiente, immutari licebit.*

CAN. 496.

Nulla religiosa domus erigatur, nisi iudicari prudenter possit vel ex reditibus propriis vel ex consuetis eleemosynis vel alio modo congruae sodalium habitationi et sustentationi provisum iri.

Hactenus actum est de erectione, immutatione, suppressione religionis ac provinciae: modo de domibus religiosis. Et primum, quasi praeiudiciale requisitum, ius commune requirit, ut, antequam nova domus religiosa canonice eri-

gatur, constet legitime provisum iri congruae sodalium habitationi et sustentationi: secus vi huius canonis nulla auctoritas ecclesiastica, sine dispensatione Ap. Sedis, ad canonicam domus erectionem procedere debet aut potest. Ideoque frustra religio erectionem postularet.

Quocirca recte Chelodi (*Jus de personis*, n. 249, litt. *a*., nota 1): *Ex fontibus ad hunc canonem subiectis (Clem. VIII, constit. " Quoniam ", 23 iul. 1603,* etc.*) deducitur sub hac ratione sustineri quodammodo antiquum " privilegium ", quod dicebatur, " cannarum ". Ex quo multi Ordines resistere poterant ne intra spatium 140 cannarum (m. 3100 circ.) ab eorum conventibus alius aedificaretur. At erat etiam privilegium aedificandi intra cannas (cfr. Vermeersch, " Rel. ", 110; Bied.-Führ., 20; Piat, II, 343 ss.). Hodie tamen potius attendendum est principium generale in illis documentis expressum: " novum conventum sine aliorum detrimento sustentari posse ". In dubio, Superiores aliarum domorum sane erunt audiendi et iniuste laesis patet recursus ad S. Sedem, quamvis hic hodie non sit amplius in suspensivo.* Idque merito a iure statuitur: nempe ne alterius domus erectio in alterius perniciem cedat.

CAN. 497.

§ 1. *Ad erigendam domum religiosam exemptam sive formatam sive non formatam, aut monasterium monialium, aut in locis Sacrae Congregationi de Prop. Fide subiectis quamlibet religiosam domum, requiritur beneplacitum Sedis Apostolicae et Ordinarii loci consensus in scriptis datus; secus satis est Ordinarii venia.*

§ 2. *Constituendae novae domus permissio facultatem secumfert pro religionibus clericalibus habendi ecclesiam vel publicum oratorium domui adnexum, salvo praescripto can. 1162, § 4, et sacra ministeria peragendi, servatis de iure servandis; pro omnibus religionibus, pia opera exercendi religionis propria, salvis conditionibus in ipsa permissione appositis.*

§ 3. *Ut aedificentur et aperiantur schola, hospitium vel similis rationis aedes separata a domo etiam exempta, necessaria est et sufficit specialis Ordinarii scripta licentia.*

§ 4. *Ut constituta domus in alios usus convertatur, eaedem sollemnitates requiruntur de quibus in § 1, nisi agatur de conversione quae, salvis fundationis legibus, ad internum regimen et disciplinam religiosam dumtaxat referatur.*

1. — Ne domus religiosae absque Episcopi consensu erigerentur, primum iure communi constitutum esse videtur in Conc. oecumen. Chalcedonensi a. 451. Tum enim (can. 4) sancitum est: *Placuit... neminem aut aedificare aut construere monasteria aut oratoriam domum sine consensu ipsius civitatis Episcopi* (c. 10, C. XVIII, q. 2). Primus vero qui generalem pro omnibus Ordinibus men-

dicantibus obligationem induxerit exquirendi beneplacitum Ap. Sedis, fuisse videtur Bonifacius Pp. VIII a. 1296. Praestat summi iurisperiti decretum integre referre: *Quum ex eo,* ait, *quod Praedicatores, Minores et religiosi alii mendicantes, in civitatibus, castris, villis aut aliis locis ad habitandum domos vel loca de novo suscipiunt seu olim suscepta dimittunt, se ibidem ad alia transferentes, diversa scandala quandoque proveniant et frequentes clamores ad Sedem Apostolicam perferantur: nos super hoc providere volentes, hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis vel aliqui de praedictis, quibuscumque super hoc privilegiis muniti exsistant (quae ipsis contra tenorem constitutionis praesentis nullatenus volumus suffragari), in aliqua civitate, castro, villa seu loco quocumque ad habitandum domos vel loca quaecumque de novo recipere, seu hactenus recepta mutare, vel ea venditionis, permutationis, donationis aut cuiusvis alienationis titulo quomodocumque in alios transferre praesumant, absque Sedis Apostolicae licentia speciali, plenam et expressam faciente de prohibitione huiusmodi mentionem; si secus egerint, irritum decernentes* (c. un. *de excess. prael. et subd.*, V, 6 in VI). Quam postea Bonifacii Pp. VIII constitutionem Clemens Pp. V (c. 3 *de poenis,* V, 8 in Clem.) censura excommunicationis ipso iure incurrendam communivit. Deinde vero (a. 1545-1563) Conc. Tridentinum (Sess. XXV, c. 4 *de regularibus*) statuit: *Nec de caetero similia loca* (nempe monasteria ac domus religiosae tam virorum quam mulierum) *erigantur sine Episcopi, in cuius dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta.* Estne per hoc Concilii decretum constitutioni Bonifacii VIII derogatum? Nequaquam, secus ac censet cl. Schäfer (*De religiosis,* n. 79); prostat enim eius decreti interpretatio authentica a Leone Pp. XIII (const. *Romanos Pontifices,* 8 maii 1881) exhibita hisce verbis: *Tridentina Synodus in eodem genere* (nempe de coenobiorum erectione) *quidquam operum fieri prohibuit "sine Episcopi, in cuius dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta„: quo tamen Concilii decreto haud est superioribus legibus derogatum, veniam ab Apostolica Sede impetrari iubentibus.* Tandem vero Innocentius Pp. X per constit. *Instaurandae* (15 oct. 1652, § 5) expresse cavit, *ne deinceps aliquis regularium Ordinis mendicantium vel non mendicantium, Congregationis, Societatis et cuiusvis alterius Instituti... domos vel loca quaecumque de novo recipere, seu Monasteria, Conventus vel Collegia incipere vel fundare praesumat absque Sedis Apostolicae licentia speciali, plenam et expressam faciente de prohibitione huiusmodi mentionem, in scriptis et gratis concedenda.* Et prosequitur Pontifex varia et gravia genera poenarum, praeter nullitatem erectionis, statuendo in contra facientes. Huius autem constitutionis vim, quae per se non excedebat fines Italiae et adiacentium insularum, Leo Pp. XIII per cit. const. *Romanos Pontifices* ad Angliam, postea vero S. Congr. de Prop. Fide (4 decr. 1901) ad omnia Missionum territoria per suum decretum extendit.

2. *Ad erigendam domum* etc. — Ex iure communi quo nunc utimur, consensus Ap. Sedis ad domum religiosam erigendam requiritur tantummodo tribus

in casibus, nempe si agatur de erigenda domo exempta aut monasterio monialium aut, in locis S. Congregationi de Prop. Fide subiectis, quavis domo religiosa. Quae omnia breviter explicanda sunt. Quoad primum domorum genus (quo tum domus formatae tum informes, tum religionum clericalium tum laicalium comprehenduntur) advertendum est, rationem necessitatis praerequirendi consensum apostolicum, positam esse in privilegio ipso exemptionis: esset namque satis incongruum erigi per Ordinarium loci personam iuridicam ab eius potestate alienam. Quoad vero alterum genus domorum, nempe monasteria monialium seu religiosarum cum votis ex instituto sollemnibus (cfr. can. 488, n. 7), consensus apostolicus ex eo est necessarius, quod saepe saepius et privilegio exemptionis gaudent a potestate Ordinariorum localium (cfr. can. 615) et lege clausurae papalis adstringuntur (can. 597). Tandem tertium domorum genus, idest quae eriguntur in territoriis S. Congregationi de Prop. Fide subiectis, eidem legi ideo subiacere videntur, quod territoriorum huiusmodi veri nominis Episcopus R. Pontifex est. Quare etiam, si hisce in locis erigenda sit domus exempta, duplici de causa est consensus apostolicus requirendus, nempe ratione subiectionis et exemptionis a potestate Ordinarii localis.

3. *Consensus in scriptis datus.* — Canon ait: *Ad erigendam* (hoc est per attributam personalitatem iuridicam) *domum religiosam... requiritur beneplacitum Sedis Apostolicae et Ordinarii loci consensus in scriptis datus.* Inde primum videtur deducendum, *non erigi* domum religiosam si alteruter consensus deficiat, ideoque inesse legi vim irritantem, quae vis scripturam quoque evidenter complectitur: nam lex non quidem quemcumque consensum episcopalem requirit, sed expressis verbis, consensum *in scriptis datum;* eodem igitur modo quo requiritur consensus, scriptura quoque requiritur.

4. *Secus, satis est Ordinarii venia.* — Itaque, si agatur de canonica erectione domus quae neque exempta esse debeat, neque ad moniales pertineat, neque in loco S. Congregationi de Prop. Fide subiecto sit erigenda, nempe si agatur, extra locum huiusmodi, de domo plerumque ad Congregationem religiosam votorum simplicium utriusque sexus pertinente, totum negotium perficere potest ac debet Ordinarius loci suo consensu in scriptis dato.

5. *Constituendae novae domus* etc. — Ideo nova religiosa domus erigitur, ut religio acquirat in territorio veluti *stationem,* ad suam ibidem peculiarem operositatem explicandam. Quare consensus erectioni praestitus, necessario secumfert consensum ad pia omnia opera exercenda religionis propria, salvis conditionibus secundum vel praeter ius commune ab Ordinario consensui adiectis et a religione acceptatis. Quae conditiones, si ab Ap. Sede apponantur, esse quoque possunt, uti patet, iuri communi contrariae. Praeterea vero, si agatur de religione clericali, ad cuius substantiam sacra in primis ministeria pertinent, praestitus ab Ordinario loci consensus continet necessario facultatem habendi ecclesiam vel publicum oratorium domui adnexum ibique sacra ministeria peragendi, servatis de iure servandis quoad facultates impetrandas pro legitimo huius-

modi exercitio. Quod tamen recte intelligendum est: nam potest religio consensum obtinere domum erigendi aut in dioecesi vel in dioecesis civitate, aut in certo ac determinato civitatis loco; et dum hic censetur simul tributa facultas eo loco ecclesiam habendi, illic, ex adverso, non censetur tributa, nisi habendi in civitate vel dioecesi: eiusdem enim naturae uterque consensus esse debet; et tum, ut certo ac determinato civitatis loco ecclesia seu publicum oratorium aedificari possit (*aedificari,* ait, nam si sacra aedes aedificata iam est, ratio non currit), intercedat necesse est, ad normam can. 1162, § 4, nova ac specialis Ordinarii licentia. Neque videtur posse Ordinarius, contra huius canonis dispositiones, et ecclesiae simul et oratorii licentiam religionibus clericalibus denegare, quamvis, extante iusta causa, veluti propinquitas ecclesiae paroecialis, denegare possit, per conditionem appositam, facultatem ecclesiam erigendi. Quocirca Ordinarii est audire rectores finitimarum ecclesiarum, qui graviter laesi, Ap. Sedem per recursum adire possunt vel etiam, opere incepto, agere de novi operis nunciatione ad normam can. 1676.

6. *Ut aedificentur et aperiantur* etc. — Agitur in paragrapho de scholis, hospitiis vel similis rationis aedibus a domo religiosa separatis. Censemus hic agi de piis cuiusque generis erigendis operibus, in commodum, non quidem religiosorum, veluti schola pro religionis alumnis, sed fidelium, nempe iurisdictioni Ordinariorum localium subiectorum: ac proinde non esse opus separatione *materiali* aedis a domo religiosa, sed sufficere et semper requiri saltem separationem *formalem,* ita ut sub paragraphi dispositione eae quoque scholae eaque hospitia et similia comprehendantur, quae intra ipsos domus religiosae parietes aperiuntur, dummodo in fidelium, non in religiosorum, commodum erigenda sint. Cum igitur aedes seu instituta huiusmodi ad communem Ordinariorum localium iurisdictionem pertineant, eorumque semper potestati, salvis apostolicis privilegiis, ex integro subiaceant (cfr. can. 615), et ideo nulla per se exemptione gaudeant, legis praescriptum religiones quoque exemptas comprehendit; neque, sive ut aedificentur, sive ut, iam aedificata, aperiantur, requiritur consensus Ap. Sedis, sed requiritur (utique ad valorem actus) et sufficit consensus Ordinariorum localium in scriptis datus. Neque etiam hic est quaestio de domibus religiosis filialibus aut de villis ad usum religiosorum destinatis.

7. *Ut constituta domus* etc. — Paragraphus agit de conversione *formali* ac substantiali, quae nempe finem constitutae domus *formaliter* et substantialiter tangit. Haec autem ex duplici capite demetiri oportet: primum ex adiectis et acceptatis in actu fundationis ex utraque parte conditionibus; deinde ex constitutionibus religionis. Scilicet, si ex lege fundationis appareat, conversionem de qua agitur, permissam esse vel prohibitam, tum huic legi, quasi contractui bilaterali oneroso, standum est, etiamsi aliquid conversio contineat quo sit praeter, non autem contra, substantiam constitutionum religionis, nisi agatur de religione iuris dioecesani: nam iuris pontificii religio, sine consensu Ap. Sedis, contra constitutiones agere non potest; ex adverso, si nulla actui fundationis

sit adiecta conditio, tum ex constitutionum tenore (salva Ordinariorum auctoritate quoad religiones iuris dioecesani) conversio demetienda est: si nempe conversio, constitutionum limites non excedat (veluti, si ageretur de convertenda domo locali in domum provincialem aut generalem, vel de in ea instituendo novitiatu aut *Collegio Apostolico,* quod haberi debet tanquam novitiatus vestibulum); tum consenda est ad internum regimen et disciplinam referri, ac proinde praescripto huius paragraphi non comprehenditur; contra, si excedat, domus ex conversione exoritura censetur domus omnino nova, ideoque omnibus sollemnitatibus subiecta, quae ad novam domum erigendam, ex huius canonis § 1, iure communi requiruntur.

Can. 498.

Domus religiosa sive formata sive non formata, si ad religionem exemptam pertineat, supprimi nequit sine beneplacito apostolico; si ad Congregationem iuris pontificii non exemptam, supprimi potest a supremo Moderatore, consentiente Ordinario loci; si ad Congregationem iuris dioecesani, sola Ordinarii loci auctoritate, audito Congregationis Moderatore, salvo praescripto can. 493, si de unica domo agatur, salvoque iure recursus in suspensivo ad Sedem Apostolicam.

1. *Si ad religionem exemptam pertineat,* etc. — *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur* (c. 1, X, *de reg. iuris,* V, 41): quare, cum domus religiosa exempta, sive formata sive non formata, absque beneplacito Ap. Sedis erigi non possit, neque potest supprimi sine eiusdem Sedis beneplacito. Quo praestito (nempe, ut fieri solet, audito prius loci Ordinario), iam nihil amplius idem Ordinarius in negotio habet videndum: non enim negare potest quod Ap. Sedes, fortasse contra eius sententiam, concessit.

2. *Si ad Congregationem iuris pontificii exemptam,* etc. — Ex adverso, si agatur de domo non exempta, sed iuris pontificii, universum negotium peragitur inter supremum religionis Moderatorem et Ordinarium loci: scilicet suppressio (sicuti et domus exemptae) spectat ad Moderatorem supremum, ideoque, non ad loci Ordinarium; at Moderator nihil agit (can. 105 n. 1), nisi Ordinarius consentiat. Cum autem canon non requirat, ut consensus huiusmodi sit scriptus, videtur loci Ordinarius tacite vel expresse consentire posse: tacite quidem, si sciens prudens domum supprimi sinat; expresse vero, si aut in lege ipsa fundationis edixerit, sese domus suppressioni quocumque tempore vel in certis rerum adiunctis non obstiturum, aut si postea quocumque modo vel tempore expressum consensum praestiterit. Est autem necessarius consensus Ordinarii loci, quia, cum persona moralis natura sua perpetua sit (can. 102 § 1), semper consetur Ordinarius suum in erectionem supprimendae domus consensum iuxta eius naturam praestitisse, videlicet (nisi ex lege fundationis aliud ap-

pareat) cum tacita conditione, ut erigenda domus religiosa sine limitatione temporis perduraret.

3. *Si ad Congregationem iuris dioecesani* etc. — Si domus religiosa supprimenda sit iuris dioecesani, cum hoc in casu eius auctor praecipuus, etiam in conficiendis constitutionibus (can. 495 § 2), sit Ordinarius loci, sola huius Ordinarii auctoritate suppressio peragitur, dummodo antea, ad validitatem actus (can. 105 n. 1), Moderator Congregationis (sive in dioecesi commoretur sive extra) audiatur, et domus supprimenda non sit unica Congregationis domus: tum enim suppressionem domus religionis suppressionem secumfert, quae non est in potestate Ordinariorum localium, ideoque ad normam can. 493, beneplacitum apostolicum ad suppressionem requiritur.

4. Quarere quis possit, quidnam sentiendum sit, quoad suppressionem, de domibus religiosis monialium non exemptarum ac de domibus cuiuscumque generis, existentibus in locis S. Congregationi de Prop. Fide subiectis, quae omnes domus erigi non potuerunt (can. 497) absque consensu Ap. Sedis. Quocirca certe constat, esse apud S. Congregationes de Religiosis et de Prop. Fide praxim constantem, non permittendi earum domorum suppressionem, nisi prius earum Congregationum consensus requisitus fuerit: quod ceterum concordat cum regula generali, nihil, cui Ap. Sedes manus apposuerit, posse quomodocumque substantialiter immutari, nisi ex praevio eius consensu.

5. *Salvoque iure recursus in suspensivo* etc. — Recursus ad Ap. Sedem semper fieri posse videtur (cfr., Chelodi, *Ius de pers.*, n. 249, litt. *e*), sive agatur de supprimenda domo religiosa iuris dioecesani, sive non dioecesani: semper namque eadem est ratio, nempe servandi ab extinctione domum religiosam. Et hac de causa semper est in suspensivo, non in devolutivo; ac proinde, cum natura sua propius accedat ad naturam appellationis adversus sententiam iudicialem, sicut appellatio huiusmodi, intra decendium ab intimatione contrarii decreti interponendus est ab iis quorum interest. Ad rem S. Congr. Concilii (12 ian. 1924): *Cum, ordinario, recursus meriti* (idest totius controversiae) *examen devolvat quin provisionem suspendat, quoties* (prout in casu) *contrarium accidit, appellationis regulas sequi debet, ne quod in iustitiae praesidium conceditur, in iniquitatis fomentum traducatur.*

6. Quaerere etiam quis potest, an quae in hoc et praecedente canone ab Ordinario agenda dicuntur, perfici quoque possint a Vicario generali vel capitulari. Et revera Chelodi (l. c., litt. *b*, nota 3) rem ut dubiam habet; Schäfer (*De relig.*, n. 88) cum Goyeneche (*Comment. pro relig.*, 1920, p. 114), dum nihil fere concedit Vicario Capitulari, tenet Vicarium generalem agere non posse sine speciali Episcopi mandato, idque ea de causa, quod, cum idem mandatum requiratur a iure ad minora negotia peragenda, requiri etiam necesse est ad negotium gravioris ponderis, prout est erectio ac suppressio domorum religiosarum. Sed ex adverso nos, qui privati iurisperiti esse censemus, leges non quidem ferre sed interpretari, quo usque Ap. Sedes interpretationem authenticam clarae

legis extensivam ediderit, tenendam esse existimamus contrariam sententiam, nempe speciale mandatum non esse necessarium. Et revera, ad normam can. 368 § 1, Vicario generali, *vi officii,* ea competit in universa dioecesi iurisdictio..., quae ad Episcopum *iure ordinario* pertinet, exceptis iis... quae *ex iure requirant speciale Episcopi mandatum.* Quoties igitur speciale mandatum requiritur, ius expresse statuit (cfr. Cod. passim, et ind. anal.-alphab., v. *Vicarius generalis*): unde cum Codex in casu sileat, tenendum est Vicarium generalem *vi officii* agere posse. Praeterea hisce canonibus Legislator loquitur de *Ordinario loci.* Jamvero, ad normam can. 198 § 2, nomine *Ordinarii loci...* veniunt *omnes recensiti* (nempe in § 1 eiusd. canonis), exceptis Superioribus religiosis. At inter recensitos in § 1 can. 198, locum obtinet *Vicarius generalis.* Quoties igitur Codex loquitur de *Ordinario loci,* nisi per adiectam clausulam verborum *propria significatio* (cfr. can. 18) restringatur (veluti accidit ex. c. in can. 152, 1104 et alibi), semper loqui censendus est de Vicario quoque generali. Sed nulla in can. 498 restrictio fit. Si igitur velimus, prouti decet, Justinianum per Justinianum interpretari, videtur Vicarius generalis in erigenda ac supprimenda domo religiosa agere posse, perinde ac Episcopus, vi officii et sine speciali mandato. Neque, in casu, quis provocare potest ad ius vetus ante Codicem vigens, cum et Codex, uti vidimus, satis clare loquatur, et haud paucae per Codicem in iure Vicariorum generalium immutationes introductae sint. Quoad vero potestatem, hac in re, Vicarii capitularis, videtur Vicarius huiusmodi nihil posse potestate ordinaria, nempe sine delegatione Ap. Sedis, cum obstet regula: *Sede vacante nihil innovetur* (can. 436).

7. Tandem, praeterquam per suppressionem, domus religiosa cessare potest per lapsum temporis, idest statim ac, ad normam can. 102 § 1, transactum fuerit spatium centum annorum a quo domus esse desierit.

TITULUS X.

DE RELIGIONUM REGIMINE.

CAPUT I.

DE SUPERIORIBUS ET DE CAPITULIS.

Can. 499.

§ 1. *Religiosi omnes, tanquam supremo Superiori, subduntur Romano Pontifici cui obedire tenentur etiam vi voti obedientiae.*

§ 2. *Cardinalis Protector cuiuslibet religionis, nisi aliud expresse cautum fuerit in peculiaribus casibus. iurisdictione in religionem aut in singulos sodales non pollet, nec potest se interiori disciplinae et bonorum administrationi immiscere, sed eius est tantummodo bonum religionis consilio et patrocinio promovere.*

1. *Religiosi omnes* etc. — Religionum regimen ex tribus praesertim elementis consistit, videlicet ex Superioribus et Capitulis, quibus exterius regimen; ex confessariis et cappellanis, quibus conscientiae regimen internum aut officium sacra peragendi; denique ex administratoribus, quibus temporalium bonorum administratio a iure devolvitur. Et primum de Superioribus et Capitulis. Superiores autem vel ad religionem pertinent vel minus. De hisce imprimis Legislator agit, inter quos principem locum tenet R. Pontifex, qua talis. Quocirca satis constat, universam potestatem, quibuslibet Superioribus ecclesiasticis *a iure* vel *ab homine* delatam, competere quoque, et *eminenter,* R. Pontifici, non exclusa potestate dominativa, quae, ex quasi-contractu professionis religiosae, religionum Superioribus per factum ipsorum profitentium defertur: id namque (sin expresse fateatur) tacite subintelligitur in quavis religiosa professione. Quare religiosi omnes R. Pontifici, etiam vi voti obedientiae, obedire tenentur quoad ea, quae eodem voto, ad normam iuris communis et peculiarium constitutionum, comprehenduntur. Ut autem R. Pontifex aliquid praecipere censeatur vi voti obedientiae (quod, cum versemur in odiosis, nunquam praesumitur), oportet expresse constet ex tenore praecepti. Quod si praeceptum, vi voti obedientiae exequendum, R. Pontifex, ut plerumque fieri solet, per S. Congregationem de Religiosis aut aliam Curiae Romanae Congregationem ediderit, patet tum et praeceptum Romanae Curiae ex voto obedientiae tenere. Atque ita inutilis fit quaestio (cfr. Vermeersch *Epitome,* I, n. 471 ; Larraona, *Comment. pro Relig.,* 1925, p. 80) an, ex praescripto canonis quem explicamus, teneantur religiosi parere Rom. Congregationibus, etiam vi voti obedientiae.

2. *Cardinalis Protector* etc. — Si figuram iuridicam Cardinalis Protectoris specifice sumpserimus, primum testimonium ex quo aperte constet de praxi petiendi a R. Pontifice Cardinalem protectorem ad religiones tuendas, eruitur ex regula S. Francisci Assisinatis, cuius (c. 12) haec sunt verba: *Per obedientiam ad haec iniungo ministris, ut petant a Domino Papa unum de sanctae Ecclesiae Cardinalibus, qui sit gubernator, protector et corrector istius fraternitatis; ut semper subditi pedibus eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae, stabiles in fide catholica, paupertatem et humilitatem et sanctum Evangelium Domini nostri Jesu Christi, quod firmiter promittimus, observemus.* Sane verba S. Patriarchae *gubernator, corrector,* amplissimam in Cardinali protectorem auctoritatem designant. Et revera, sive ex consuetudine sive ex facultatibus eis a R. Pontifice delegatis, multum deinde potuerunt in religionum regimine Cardinales protectores. Quod quum, propter frequentes inter Superiorum religiosorum et Cardinalium huiusmodi iussa exortos conflictus, cum obedientiae ac quietis iactura, in detrimentum et perniciem cederet religionum, plures a Pontificibus (Greg. Pp. XI, Sixtus IV, Julius II, Greg. XIII, Paulus V) ad coarctandam Cardinalium protectorum potestatem, editae sunt constitutiones, usque dum Innocentius Pp. XII constit. *Christi fidelium* (16 febr. 1694) quamcumque eisdem Cardinalibus iurisdictionem in religiones interdixit: *Propterea,* ait (§ 15), *omnes... facultates, auctoritates et iurisdictiones... omnibus et singulis... nunc existentibus Protectoribus huiusmodi... concessas... seu ab illis quoquo modo exerceri consuetas... reformamus et ad limites... praesentium reducimus...; sicque pariter... in posterum exsequi omnino volumus et mandamus.* Neque praetermisit Pontifex clausulas irritantes (§ 14). *Ex eo vero,* ait Bouix (qui tamen in scopulum impingit, cum (ibid. n. 16), ad praefatam constitutionem explicandam, introducit Cardinalem De Luca, qui annos undecim (a. 1683) ante eam constitutionem obierat), *quod Cardinalis protector iurisdictionaliter religiosorum causis et negotiis sese ingerere nequeat, non sequitur non posse eum in iis sese immiscere quatenus protector, idest adiutor, amicus et advocatus. Imo hoc ipsius officium est, praesertim ubi tutandi sunt religiosi ab iniuriis et oppressionibus. Agit autem ut protector qui requisitus iuvamen praestat. Quod si Cardinalis protector, non requirentibus aut invitis religionis praelatis, dirimenda negotia sibi arroget, non protegit, sed eorumdem praelatorum iurisdictionem invadit ac eas inducit perturbationes, quas sublatas voluit Innocentius XII.* Hisce verbis ius nunc quoque vigens quoad Cardinales religionum protectores continetur. Reservatur igitur munus huiusmodi S. R. E. Cardinalibus, in Curia Romana commorantibus (nisi quandoque maluerit R. Pontifex per semetipsum munus exercere), qui, postulante religione iuris pontificii (dioecesanis exclusis), a R. Pontifice designantur. At nulla est ex iure communi protectorem petendi obligatio; sed, ex adverso, quandoque ex iure particulari exurgit.

3. *Nisi aliud expresse* etc. — Quamvis Cardinalis protector, vi officii, qualibet, ut supra vidimus, in religiones ac religiosos iurisdictione aut dominativa

potestate careat, integrum tamen est R. Pontifici, in peculiaribus casibus, per facultates delegatas iurisdictionem plus minusve latam tribuere, sive ad aliquod negotium peragendum sive etiam ad universitatem causarum.

CAN. 500.

§ 1. *Subduntur quoque religiosi Ordinario loci, iis exceptis qui a Sede Apostolica exemptionis privilegium consecuti sunt, salva semper potestate quam ius etiam in eos locorum Ordinariis concedit.*

§ 2. *Moniales quae sub iurisdictione Superiorum regularium ex praescripto constitutionum sunt, Ordinario loci subduntur tantum in casibus iure expressis.*

§ 3. *Nulla virorum religio sine speciali apostolico indulto potest sibi subditas habere religiosas Congregationes mulierum aut earum religiosarum curam et directionem retinere sibi specialiter commendatam.*

1. *Subduntur quoque religiosi* etc. — Praeterquam R. Pontifici, subduntur religiosi Ordinario loci. Subiectio autem huiusmodi alia est quoad religiones iuris dioecesani, alia quoad religiones iuris pontificii. Religiones vero exemptae proprie loquendo dici non possunt Ordinariis locorum subiectae: habent namque Superiores suos, qui eas regunt per potestatem iurisdictionis, episcopali aequiparandam, quique idcirco, perinde atque Episcopi residentiales, veniunt in iure nomine *Ordinarii* (can. 198, § 1); unde, si ius, ut canon ait, etiam in exemptos locorum Ordinariis potestatem concedit, id, ad normam can. 615, locum non habet nisi in casibus a iure expressis, idest exceptis propter utilitatem publicam fidelium, Episcopi iurisdictioni subiectorum. Quare, si exceptio dubia fuerit, vi possessionis praevalet ius singulare religionis exemptae. Videamus igitur primum de religionibus iuris dioecesani. Quocirca, nempe quoad materiam implicatissimam, in qua explicanda variae sunt iurisperitorum opiniones, videtur ante omnia rationem esse habendam religionum, apud quas, in votorum professione, obedientia Ordinario loci promitti solet, tanquam praecipuo religionis Superiore. Scilicet hoc in casu Ordinarius, ex quasi-contractu professionis, gaudet in religiosos omnes, salvis praescriptis constitutionum prout tum extant, plenissima potestate dominativa, per quam in internum religionis regimen sese quoquoversus ingerere potest. Contra, si nulla ei fieri solet a religiosis obedientiae promissio, loci Ordinarius non habet in religionem nisi eam iurisdictionis potestatem, quam habet in alia dioecesis collegia legitime constituta, quaeque a propriis internis Superioribus reguntur iuxta propria legitima statuta: proinde non censetur Superior *religiosus,* quamvis, propter potestatem iurisdictionis in religionem, ad normam iuris communis et peculiarium constitutionum exercendam (cfr. can. 492, § 2), genuinus sit earum Superior, perinde atque ex. c. Capitulorum et confraternitatum. Est igitur tum Ordinario potestas quoad omnia invigilandi; sicuti ceterorum collegiorum, delicta puniendi; ac praeterea, ad

normam can. 495, § 2, constitutiones, rerum adiunctis ita postulantibus, immutandi. Minor est potestas Ordinariorum localium quoad religiones iuris pontificii non exemptas: nam in primis, regulariter, nullam in eas potestatem dominativam habere possunt; deinde vero, ad normam can. 618, § 2, neque possunt constitutiones immutare aut (exceptis quibusdam casibus per can. 533-535 definitis) de re oeconomica harum religionum cognoscere, neque sese ingerere in regimen internum ac disciplinam: exceptis casibus in iure expressis atque iure inquisitionis quoad religiones laicales, etiam exemptas. Quinam autem sint casus a iure excepti quoad religiones iuris pontificii, sive non exemptas sive exemptas, postea videbimus, cum agendum erit de privilegiis religiosorum.

2. *Moniales quae sub iurisdictione* etc. — Moniales, nempe religiosae votorum sollemnium (can. 488, n. 7), de iure quidem semper subsunt iurisdictioni Superiorum regularium, non tamen semper de facto: nam quandoque, ob rerum adiuncta, eas Ap. Sedes subiicit iurisdictioni Ordinariorum localium, veluti Larraona refert (*Comment. pro relig.*, 1925, pag. 185, nota 87) de monialibus Hispaniae. Praeterea vero, ex rei natura, hic nomine monialium non comprehenduntur religiosae, quarum vota ex instituto quidem sunt sollemnia, sed pro aliquibus locis, ex Ap. Sedis praescripto, simplicia sunt (cfr. can. 488, n. 7): religiosae enim huiusmodi sunt iurisdictioni Ordinariorum localium subiectae. Moniales autem, de quibus agit canon quem modo explicamus, cum subsunt iurisdictioni Superiorum maiorum regularium, subsunt quoque eorum potestati dominativae: nam, eodem modo ac eiusdem Ordinis viri, eidem Moderatori generali iisdemque Superioribus maioribus in actu professionis obedientiam promittunt. Quare, cum, ex iure singulari exemptionis, satis superque habeant a Superioribus regularibus quod ad sui regimen necessarium est, inde loci Ordinario subduntur tantum in casibus iure expressis, nempe exceptis, uti supra vidimus: qui casus quinam sint, postea de privilegiis agentes explicabimus.

3. *Nulla virorum religio* etc. — Paragraphi praescriptum respicit non quidem statum de iure sed statum de facto. Scilicet, quidquid de iure sit quoad facultates ab Ap. Sede religionibus virorum ante promulgationem Codicis i. c. directe vel indirecte concessas, quas de facto eaedem virorum religiones, cum Codex promulgatus est, subditas habebant Congregationes religiosas mulierum, has retinere possunt; quas vero tum de facto non habebant, postea sine speciali indulto apostolico sibi subiicere non possunt. Sed neque possunt ullum ius hac in re sibi arrogare, veluti si huiusmodi Congregationum cura atque moderatio sibi esset (ex. c. ex identitate habitus vel professionis aut alia de causa, quantumvis in rerum veritate fundata) peculiariter commendata. Estque animadvertendum, prohibitionem in paragrapho contentam, hinc quidem respicere omnes, nulla excepta, religiones virorum; illinc vero tantummodo religiosas mulierum Congregationes, exclusis monialium Ordinibus. Insuper ex paragrapho descendit, non posse easdem Congregationes mulierum, seu in actu fundationis seu postea, quidquam in constitutionibus introducere (sive quoad votum obedientiae, sive

quoad confessarios, oeconomos et similia), quod huic legis dispositioni repugnet. Quod tamen non significat, prohiberi religiosas ab arcessendo de facto confessario aut ab audiendo Superiore eius religionis, quae cum suae vitae ratione magis conveniat.

CAN. 501.

§ 1. *Superiores et Capitula, ad normam constitutionum et iuris communis, potestatem habent dominativam in subditos; in religione autem clericali exempta, habent iurisdictionem ecclesiasticam tam pro foro interno quam pro externo.*

§ 2. *Superioribus quibuslibet districte prohibetur quominus in causis ad S. Officium spectantibus se intromittant.*

§ 3. *Abbas Primas et Superior Congregationis monasticae non habent omnem potestatem et iurisdictionem quam ius commune tribuit Superioribus maioribus, sed eorum potestas et iurisdictio desumenda est ex propriis constitutionibus et ex peculiaribus Sanctae Sedis decretis, firmo praescripto can. 655, 1594, § 4.*

1. *Superiores et Capitula* etc. — Huc usque Legislator egit de religionum Superioribus, qui, qua tales, ad religionem minime pertinent. Modo vero agere incipit de Superioribus religiosis. Admodum varia sunt nomina, quibus in religionum constitutionibus appellantur Capitula ac Superiores. De iis quae communia sunt omnibus, quaeque proinde hac canonis paragrapho comprehenduntur, videamus. Jamvero alia Capitulorum ad singulas domos religiosas pertinent; alia ad circumscriptionem plurium domorum, quae *provinciae* plerumque nuncupantur; alia denique ad religionem universam. Omnia Capitula huiusmodi (quae, exceptis, ob imperfectam evolutionem, religionibus iuris dioecesani et, ob rigidiorem constitutionem monarchicam monasteriis sui iuris, praesertim non confoederatis, apud omnes religiones reperiuntur) sunt personae collegiales, ad vitam religiosam, per normas a se statutas vel per decisiones communi suffragio a se editas, plus minusve moderandam, constitutae. Neque confundendae sunt cum Superiorum Consiliis, de quibus propediem. Unde, communiter, minora domorum negotia et electio Superioris localis per Capitulum domesticum; earundem domorum maiora negotia, una simul cum negotiis minoribus circumscriptionum provincialium et cum electione Superioris provincialis, per Capitulum provinciale; denique maiora negotia provinciarum, simul ac religionis universae et electio Moderatoris generalis, ad Capitulum generale pertinet. Dum autem Capitulorum est, normas aut decisiones edere, Superiorum potissimum est normas applicare ac decisiones exsequi. Et, prouti Capitula, Superiores quoque vel sunt locales, vel provinciales vel generales: quorum generum duo postrema cum suis vicariis et pro-vicariis, necnon Superioribus monasteriorum sui iuris, quibus accensendae videntur (cfr. can. 488, n. 8, 490 et 504) monialium An-

tistitae, Superiores maiores in iure vocantur. Tum vero Superiores, tum Capitula agere non possunt, nisi ad normam constitutionum religionis et iuris communis.

2. *Potestatem habent dominativam* etc. — Superioribus et Capitulis religionum competit ex iure naturali in subditos potestas dominativa. Potestas huiusmodi, de qua satis saepe locuti sumus, nomen accepit a dominio, quod quis habet in alium (veluti pater in liberos, herus in famulum) seu puro iure naturae seu iure, item naturali, liberi contractus. Patet, hoc dominii genus, in orbe christiano, toto caelo distare a titulo dominii seu proprietatis, ex quo res nostrae nobis subiectae sunt. Scilicet, confert quidem personae superiori (non dicam domino) ius legitime praecipiendi ad normam divinarum atque humanarum legum et intra limites a natura vel a contractu praefinitos; personae vero inferiori obligationem imponit intra eosdem fines parendi. Et haec est natura potestatis dominativae, quam, in religionibus, Superiores et Capitula habent in subditos ex quasi-contractu professionis. Quae potestas, ut merito ait Chelodi (*Jus de pers.*, n. 252, litt. *a*), *eo spectat ut societas conservetur, augeatur, suos fines assequatur; ideo universim tribuit facultatem iubendi in virtute obedientiae, urgendi observantiam regulae vel in singulis casibus ab ea dispensandi; coërcendi domestica correctione reluctantes, contumaces dimittendi, vota irritandi (can. 1312, § 1), bona administrandi, novas domus erigendi et huiusmodi.* Brevi: potestas dominativa Superiorum religiosorum eos subditorum actus complectitur, circa quos religiosus sese per professionem obligavit: nempe non extra limites per ius commune, religionibus applicabile, et religionis constitutiones definitos, iis comprehensis, sine quibus fines ita legitime statuti attingi non possunt.

3. *In religione autem clericali exempta* etc. — Praeterea Capitula atque Superiores religionum clericalium exemptarum habent, veluti potestati dominativae (quae ad omnes religiones pertinet) iuxtapositam, iurisdictionem ecclesiasticam tam pro foro interno, quam pro externo. Ex eo autem potestas iurisdictionis in foro externo differt a dominativa, quod ex lege, non ex contractu, descendit; quod publica est, nempe publicum bonum directe respicit; quod denique publica ratione exercetur, videlicet leges ferendo, de causis sive contentiosis sive criminalibus iudicando, delicta omnibus poenis ecclesiasticis coërcendo. Harum trium potestatum (legislativae, iudiciariae et coactivae), quae tanquam partes in potestate externae iurisdictionis continentur, plerumque legislativa ad sola Capitula, praesertim generalia, spectat; ceterae potestates tum ad Capitula tum ad Superiores maiores (quandoque etiam ad locales, veluti ad Abbates monasticos), qui ideo Ordinariorum (can. 198 § 1) et Praelatorum (can. 110) nomine in iure veniunt. Ex adverso communiter Superiores locales potestate iurisdictionis fruuntur tantummodo pro foro interno: quocirca standum est religionum constitutionibus. Sed praetereundum non videtur quod Vermeersch (*Epit.*, I, n. 477), in explicando canonis verba: *Superiores... in religione clericali exempta habent iurisdictionem* etc., ait: *Itaque iurisdictio fori exterioris et qualitas praelati non sunt abiudicandae a Superiore locali religionis clericalis exemptae,*

quamvis ex can. 198, soli Superiores maiores veniant nomine Ordinarii. Quod minus recte dictum censemus. Nam quaerere quis possit: Si ita est, undenam Superiores locales talem potestatem habent? Procul dubio ex officio quod gerunt, sicuti, ex textu et contextu canonis, ex officio habent Superiores maiores: uno enim verbo Legislator utitur. At, si habent ex officio, nullo modo negari potest eorum potestatem esse ordinariam, perinde ac potestas Abbatum monasteriorum sui iuris. Quare igitur idem Legislator negat (can. 198 § 1), huiusmodi Superiores venire in iure nomine Ordinarii? Est itaque dicendum, verbum *Superiores,* in paragrapho quam explicamus, inspecta legis natura, aliter atque aliter in prima et altera paragraphi parte esse intelligendum, eo plane modo, quo verbum *Capitula* , quod nequaquam omnia Capitulorum genera in utraque parte complectitur. Ceterum, si verum est potestatem iurisdictionis fori exterioris non intelligi sine potestate legislativa, cuinam, inquam, Superiorum localium haec competit potestas? Videtur igitur Superior localis, ex iure communi, qualibet externa potestate iurisdictionis carere, quamvis, ex iure particulari ab Ap. Sede probato, aliquo huius potestatis fragmento exornari possit.

4. *Superioribus quibuslibet* etc. — Causae ad S. Officium spectantes sunt, generatim, causae fidei et morum (can. 247 § 1). In specie vero sunt causae, quae respiciunt delicta haeresis, apostasiae, schismatis eorumque suspicionem ac proinde sollicitationis (can. 904), violationis sacramentalis sigilli, simulatae Missae celebrationis vel sacramentalis absolutionis; privilegium Paulinum; impedimenta matrimonialia disparitatis cultus et mixtae religionis (can. 247 § 3); libros aliaque scripta, ecclesiastica auctoritate damnanda (ibid. § 4); ieiunium eucharisticum quaod Missam celebrandam (ibid. § 5). In hisce aliisque similibus causis suos subditos forte respicientes, ad quas cognoscendas unum tribunal competens est Congregatio S. Officii, Superioribus religiosis sese intromittere non licet: et si fecerint, nihil agunt. Ad rem et accuratissime eadem S. Congregatio (decr. 15 maii 1901): *Uti pluries a Summis Pontificibus sancitum est, in rebus ad S. Officium spectantibus nullo modo ad Superiores regulares pertinere subditorum suorum causas cognoscere, nulloque proinde titulo aut praetextu posse eos vel debere, nisi de expresso S. Congregationis mandato, de his inquirere, denunciationes recipere, testes interrogare, reos excutere, iudicium instituere, sententiam ferre, aut alia quavis ratione vel modo in eis sese immiscere vel manus apponere: sed quos religiosi viri ex suis subditis vel confratribus vel etiam Superioribus huiusmodi criminum (praesertim quod ad abusum sacramentalis confessionis spectat) reos vel suspectos noverint, strictim teneri, absque ulla cum aliis quibuscumque communicatione, nulla petita venia, nullaque fraterna correptione aut monitione praemissa, eos S. Officio aut locorum Ordinariis incunctanter denunciare.*

5. *Abbas Primas et Superior* etc. — Superior Congregationis monasticae competens est (perinde ac supremi religionum Moderatores) ad sententiam dimissionis ferendam (can. 655 § 1). Praeterea, salvo diverso constitutionum prae-

scripto, competens est, tanquam iudex primae instantiae, ad cognoscendas controversias inter duo monasteria sui iuris (can. 1579 § 2); semper autem (exclusis constitutionibus) tanquam iudex secundae instantiae competens est in causis actis coram Abbate locali (can. 1594 § 4). Haec, quae Codex noster statuit de iurisdictione Superioris seu Praesidentis Congregationis monasticae. Quoad vero iurisdictionem Abbatis Primatis, quem Leo Pp. XIII per litt. Ap. *Summum semper* (12 iul. 1893), praefecit universis Congregationibus Benedictinorum *nigrorum*, nihil Codex statuere videtur. Sacra autem Congregatio Ep. et Reg., per decr. 16 sept. 1893, ei ius tribuit exigendi quolibet quinquennio relationem super statu Congregationum; dissensiones ac dubia inter Abbates ac Praesidentes amice componendi; omnes Congregationes, si necessitas urgeat, per se vel per idoneum sodalem visitandi; in casibus urgentioribus, decernendi de quaestionibus, quae pacifice componi non possunt, facta postea relatione Ap. Sedi; tandem vigilandi et curandi, ut in singulis Congregationibus regularis disciplina servetur.

CAN. 502.

Supremus religionis Moderator potestatem obtinet in omnes provincias, domos, sodales religionis, exercendam secundum constitutiones; alii Superiores ea gaudent intra fines sui muneris.

1. *Supremus religionis* etc. — Potestas Superiorum religiosorum, sive ea dominativa tantum sit sive etiam iurisdictionalis, directe afficit personas subditorum et per personas ea quoque loca, quae earundem personarum usui exclusive addicta sunt. Quare si ea loca inserviant etiam usui personarum *non* subditarum, veluti ecclesiae aut publica oratoria, tum, quatenus hisce personis inserviunt, iurisdictioni Ordinariorum localium subiiciuntur. Quaenam sunt igitur personae, quae a iure tanquam *subditi* habentur Superiorum religiosorum? Imprimis sane ii omnes qui vota religiosa professi sunt; deinde novitii, qui, et ad corpus religionis pertinent et, quousque novitii manent, profitendorum votorum causa tales sunt et proinde hac in re, regulariter, eodem censentur iure ac vota professi, salvis exceptionibus a iure statutis ob non definitivam eorum conditionem iuridicam. Ex adverso, ob contrarias rationes, proprie subditi non sunt religiosorum familiares, imo et ingressum in religionem postulantes, nisi intra limites initi quasi-contractus, plane diversi a professione religiosa, cuius causa ius, opportunitatis gratia, hos plerumque habet uti de facto subditos Superiorum religiosorum, atque in hunc sensum haud pauca constituit (cfr. can. 509, § 2, n. 2; 514, § 1; 875, § 1 et alibi). Itaque in loca atque res, quae personarum sibi subditarum usui inserviunt, potestatem habent, seu dominativam seu etiam iurisdictionalem, religiosorum Superiores. Et hac significatione canon loquitur de provinciis atque domibus.

2. *Exercendam* etc. — Supremi Moderatoris potestas natura sua suprema

est, et ideo omnes personas, res, loca, ad religionem petinentia, comprehendit. At limites et modum hanc potestatem exercendi definiunt tum ius commune, tum constitutiones seu iure pontificio seu saltem dioecesano. Sunt proinde, ad normam constitutionum, limites ac modus huiusmodi admodum varii, iuxta varietatem finis, naturae religionis atque adiunctorum in quibus religio exorta est, salvis iuris communis praescriptis: quibus ius particulare, nisi Ap. Sede permittente, ob praescriptum can. 489 contradicere non potest, quamvis possit deficientias supplere. Itaque in primis ius commune quaedam Ap. Sedi agenda reservat, veluti fundationem, unionem, divisionem, suppressionem provinciarum ac monasteriorum sui iuris (can. 494, § 1). Deinde multa negotia reservat nominatim, cum consensu vel consilio aliorum aut minus (can. 516, § 1), Moderatoribus generalibus, veluti potestatem quasdam domus supprimendi (can. 498); permittendi mutationem cessionis vel dispositionis bonorum ante professionem peractae (can. 580, § 3); deliberandi ac decernendi circa dimissionem religiosorum (can. 650, §§ 1 et 2); sententiam iudicialem ferendi quoad dimissionem religiosorum (can. 155, § 1) et hanc potestatem aliis quandoque demandandi (can. 667); casus reservandi (can. 896); libros prohibendi (can. 1395, § 3); controversias inter provincias vel monasteria sui iuris in prima instantia dirimendi. Praeterea tandem ad Supremum Moderatorem pertinet potestas, quam ius commune concedit Superioribus maioribus religiosorum.

3. *Alii Superiores* etc. — Ceteri Superiores, maiores aut minores, potestatem obtinent (item ad normam iuris communis et constitutionum communi iuri non contradicentium) tantummodo intra fines sui muneris: nempe intra limites a natura muneris definitos.

Can. 503.

Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis possunt notarios constituere, sed tantum pro negotiis ecclesiasticis suae religionis.

Notariorum constitutio est actus ad iurisdictionem pertinens; proinde iis tantum Superioribus religiosis competere potest, quibus competit ecclesiastica iurisdictio in externo foro: unde excluduntur Superiores religionum clericalium non exemptarum et religionum laicalium, quamvis hae postremae exemptae sint a potestate Ordinariorum localium. Constitui autem possunt notarii tantummodo a Superioribus maioribus (cfr. can. 488, n. 8) et ad normam can. 373 et 374. Quare, exceptis causis criminalibus religiosorum, notarii quandoque laici esse possunt (can. 373, § 3). Denique per se patet, notarios ecclesiasticos nonnisi pro ecclesiasticis negotiis posse constitui; notarios vero religiosos (sive clericos sive laicos) nonnisi pro negotiis ad religionem pertinentibus: non enim latius patere potest notariorum officium, quam pateat potestas Superioris constituentis. Unde etiam descendit, officium notariorum non territorio sed, sicuti constituentis pote-

nos statem, personis definiri, ac proinde, secus ac officium notariorum episcopalium (can. 374, § 2), nulli territorio esse obstrictum.

CAN. 504.

Firmis propriis cuiusvis religionis constitutionibus, quae provectiorem aetatem, aliaque potiora requisita exigant, ad munus Superioris maioris inhabiles sunt qui eandem religionem professi non sunt a decem saltem annis a prima professione computandis, non sunt ex legitimo matrimonio nati et annos quadraginta non expleverunt, si agatur de supremo religionis Moderatore aut de Antistita in monialium monasterio; annos triginta, si de aliis Superioribus maioribus.

1. *Firmis propriis* etc. — Legislator hoc in canone ius particulare, si rigidius fuerit, mitiori iuri communi anteponit. Quare tunc illud est omnino sequendum, communi relicto. Non tamen ut videtur, sequendum est ad validitatem actus: quamvis namque agatur de canone inhabilitanti, vis tamen inhabilitans non videtur verbum quoque *firmis* afficere (cfr. can. 11), sed tantummodo iuris communis praescripta, quae verba *inhabiles sunt* subsequuntur: et ideo, summo iure videtur posse contingere, ius particulare potiora requisita exigere, ad validitatem actus et tamen eius praescripta negligi posse, illicite quidem, sed absque actus invaliditate.

2. *Ad munus Superioris* etc. — Ad validam Superiorum maiorum designationem primum requiritur, ut per decem saltem annos ante designationem ipsam in religione vixerint: nempe ideo, ut sint in vita religiosa probe exercitati. Itaque temporis spatium supputandum est ab initio diei, qui primae professioni in ea religione peractae subsequitur, ad finem diei eiusdem mensis et numeri qui post annos decem recurrit (can. 34, § 3, n. 3): quo ultimo die transacto, Superior maior ex hoc capite quilibet religiosus designari potest absque Ap. Sedis dispensatione.

3. *Ex legitimo matrimonio nati* etc. — Deinde requiruntur legitima natalia, seu (quod in idem redit, cum hic nihil contra expresse statuatur) saltem legitimatio per subsequens matrimonium (can. 1117), sive verum aut putativum, sive noviter contractum aut convalidatum (can. 1116), aut per Ap. Sedis rescriptum: quod tamen, si concessum fuerit sub forma dispensationis generalis ad sacros ordines suscipiendos, suffragare quidem potest ut quis Superior maior renuntietur in religione laicali aut clericali non exempta, non autem (iurisdictionis exercendae causa) in clericali exempta (can. 991, § 3). Est etiam animadvertendum, votorum sollemnium professionem tollere quidem illegitimitatem natalium ad sacros ordines suscipiendos (can. 984, n. 1), non autem ad consequenda officia ecclesiastica, quae legitimitatem requirunt, ut patet ex facto ipso, quod ius commune legitima natalia exigit in Superioribus maioribus religiosis.

4. *Et annos quadraginta* etc. — Tertio requiritur aetas provectior. *Ab-*

batissa et priorissa, ait Conc. Tridentinum (Sess. XXV, c. 7), *et quocumque alio nomine praefecta vel praeposita appelletur, eligatur non minus annis quadraginta.* Quod Antistitae monialium requisitum, per Codicem primo ad supremos religionum Moderatores expresse extensum est, dum in ceteris (quocumque nomine veniant) Superioribus maioribus aetas triginta saltem annorum requiritur. Debetque huiusmodi temporis spatium ante designationem expleri atque supputari ad normam can. 34, § 3, n. 3: ita nempe, ut expletum habeatur elapso ultimo die eiusdem mensis et numeri ac die nativitatis.

CAN. 505.

Superiores maiores sint temporarii, nisi aliter ferant constitutiones; Superiores autem minores locales ne constituantur ad tempus ultra triennium; quo exacto possunt ad idem munus iterum assumi, si constitutiones ita ferant, sed non tertio immediate in eadem religiosa domo.

1. *Superiores maiores* etc. — Quaenam sit huius praescripti vis, desumi potest ex praxi ab Ap. Sede elapso saeculo recepta, nunquam approbandi constitutiones religiosas quae alicuius Superioris maioris officium perpetuum sancirent. Inde significatio canonis: nempe, si constitutiones iam approbatae hanc perpetuitatem ferant, haec rata habenda est auctoritate Codicis; si, contra, agatur de novis erigendis religionibus novisque ad id constitutionibus conscribendis, tum rationem haberi oportet verborum canonis: *Superiores maiores sint temporarii.* A qua lege ne fundatores quidem religionum, nisi ex dispensatione Ap. Sedis, eximuntur (S. Congr. de Relig., 6 mart. 1922). Ex adverso excipiuntur Monialium Antistitae, sed hoc sensu quod, ex peculiari dispositione Ap. Sedis, quamvis Superiorum maiorum nomine veniant, in officio perdurare non possunt ultra triennium (S. Congr. de Relig., 9 mart. 1920), quodcumque fuerit constitutionum praescriptum.

2. *Superiores autem minores locales* etc. — Praeter Superiores maiores, qui can. 488, n. 8 recensentur, sunt in religionibus Superiores minores, quos inter principem locum tenent Superiores locales, nempe qui non quidem religioni universae aut provinciae religiosae sed *loco,* idest peculiari religiosae domui, cum ordinaria potestate praeficiuntur. De his loquitur canon. Non igitur loquitur de iis, qui fortasse praesunt cum potestate delegata; neque ideo de iis qui praesunt domibus stricte filialibus quique et ipsi habendi sunt tanquam delegati *ad nutum* Superioris domus matricis (S. Congr. de Relig., 30 nov. 1923), tametsi *a fortiori* delegatio ultra triennium prorogari non possit; neque tandem de officialibus qui, quamvis praesint, non tamen praesunt universae domui, veluti magistri novitiorum ceterique id genus. Ex adverso canon comprehendit eos qui domibus non stricte filialibus cum vicaria potestate praeficiuntur, sicuti eos quoque qui praeficiuntur scholis, nosocomiis aliisque piis domibus, ita tamen ut de iure

sub sua potestate habeant alios religiosos, ibidem commorantes, *etiam quoad religiosam disciplinam* (Pont. Comm. ad Cod. interpr., 3 iun. 1918). Huiusmodi igitur Superiores locales constitui non possunt ad tempus ultra triennium, abrogatis hac in re contrariis constitutionum praescriptis (can. 489). Et, quamvis verba legis *non constituantur* natura sua significent legem de duratione triennali per se futura tantum respicere, non praeterita, uti sunt designationes et electiones ante promulgationem Codicis (19 maii 1918) peractas et iura inde legitime quaesita: tamen, ex authentica et extensiva interpretatione Pont. Commissionis (14 iul. 1918 et 25 mart. 1919), lex vim retroactivam adepta est et, ob praeponderantem rationem legis, iura ex actu ad normam veteris legis peracto legitime quaesita; eatenus evertit, quatenus cum ratione novae legis conciliari non poterant. Aliis verbis, per eam responsionem in lege de triennali duratione ii quoque Superiores locales comprehenduntur, qui ante diem 19 maii 1918 constituti sunt: nam, ut ait Pont. Commissio, *temporum in eodem canone praescriptorum observatio, ipsos quoque tenet; quae tempora a die nominationis ipsorum Superiorum computanda sunt.* A die nominationis: scilicet ante promulgationem Codicis i. c.

3. *Quo exacto possunt* etc. — Hic permissio iuris communis fundatur in conditione, quod, nempe, ius particulare permittat immediatam iterationem muneris: secus, deficiente conditione, deficit simul iuris communis permissio, et tum Superior localis ad idem munus iterum immediate assumi non potest. Ut autem quis possit tertio ad munus Superioris localis in eadem domo immediate assumi, ita ut per annos novem eandem domum religiosam regat, requiritur dispensatio Ap. Sedis, quae sine causa proportionata non conceditur. Quod si ius particulare contrarium ferat, abrogatum est promulgatione Codicis (can. 489). Quousque igitur domus religiosa eadem perseverat (praesertim quoad personas religiosorum ibidem commorantium, quas praesertim respicit ratio legis), tertia et immediata eiusdem personae ad munus Superioris assumptio vetita est a iure communi. Quod tamen non significat, mutationem personarum in domo degentium per se auferre prohibitionem, sed tantummodo hoc in casu dispensationem apostolicam facilius concedi. Estque hic animadvertendum, Pont. Commissionem C. i. p., rogatam *an praescriptum can. 50˜ comprehendat etiam Societates, de quibus canones 673-681 agunt, earumque domus quae non sint vere et proprie religiosae, sed externae seu non pertinentes ad Societatem, in quibus nempe sodales pauci numero adhiberi solent, ex gr. in Seminariis, scholis, nosocomiis,* die 20 iul. 1926 respondisse; *Affirmative, ad normam responsi diei 3 iun. 1918.* Quod quidem responsum supra (cfr. comm. ad can. 505, n. 2) a nobis allatum est: scilicet, si agatur de genuinis Superioribus, Superiorum iure censeri debent.

Can. 506.

§ 1. *Antequam ad Superiorum maiorum electionem deveniatur in religionibus virorum, omnes et singuli e Capitulo iure iurando promittant se electuros quos secundum Deum eligendos esse existimaverint.*

§ 2. *In monasteriis monialium, comitiis eligendae Antistitae praesit, quin tamen clausuram ingrediatur, Ordinarius loci aut eius delegatus cum duobus sacerdotibus scrutatoribus, si moniales eidem subiectae sint; secus, Superior regularis; sed etiam hoc in casu Ordinarius tempestive moneri debet de die et hora electionis, cui potest una cum Superiore regulari per se ipse vel per alium assistere et, si assistat, praeesse.*

§ 3. *In scrutatores ne assumantur ipsarum monialium confessarii ordinarii.*

§ 4. *In mulierum Congregationibus electioni Antistitae generalis praesideat per se vel per alium Ordinarius loci, in quo electio peragitur: cui, si agatur de Congregationibus iuris dioecesani, peractam electionem confirmare vel rescindere integrum est pro conscientiae officio.*

1. *Antequam ad Superiorum* etc. — Postquam actum est de qualitatibus, quibus religiosus, ut in Superiorem maiorem eligi possit, praeditus esse debet ex praescripto iuris communis, relictis qualitatibus Superiorum minorum iuri particulari; itemque definito tempore, per quod utrumque Superiorum genus in officio manere debet; Codex noster agit de eo actu iuridico, per quem religiosus ad officium Superioris evehitur consodalium suffragio. Quocirca in primis legislator diligentissime definit quinam sint Superiores de quibus hic agitur. Nempe agitur de *electionibus,* non autem de nominationibus: scilicet de designationibus a pluribus inferioribus per suffragium in Capitulo peractis. Deinde agitur de Superioribus *maioribus* (cfr. can. 488 n. 8): si igitur eligendus fuerit Superior minor, praescriptum huius paragraphi non obligat electores. Tertio denique agitur de religionibus *virorum,* non de religionibus mulierum, quibus omnis ratio anxietatum erat auferenda. Quando ergo eligendus est Superior maior in religione virili, omnes et singuli capitulares debent ante omnia iusiurandum praestare, de quo in canone. Omnes et singuli e Capitulo: videlicet iis quoque comprehensis, qui suo suffragio fortasse renuntiare intendunt, nam haec etiam renunciatio aliquid confert ad exitum electionis. Dummodo autem iusiurandum quilibet ex electoribus praestet, parum refert modus quo praestatur; ideoque definitio iuri particulari relinquitur.

2. *In monasteriis monialium* etc. — Nomine *monialium,* ad normam can. 488, n. 7, veniunt non solum religiosae votorum sollemnium, sed etiam (nisi ex rei natura vel ex contextu sermonis aliud constet) religiosae quarum vota ex instituto sunt sollemnia, sed pro aliquibus locis ex Ap. Sedis praescripto simplicia sunt. Hoc postre-

mum monialium genus, religiosis votorum simplicium quoad subiectionem aequiparantur, ac proinde (cfr. can. 618 § 1) Episcoporum, non autem Superiorum regularium, ordinariae iurisdictioni plene subiiciuntur (cfr. comm. ad can. 488 n. 7). Quae Ordinariis locorum subiectio locum habere potest tum etiam, cum agitur de monialium primo genere, si nempe, prout accidit ex. c. ab a. 1858 in Hispania, e potestate Superiorum regularium monasteria per Ap. Sedem erepta sint. Sed hoc in casu, cum Ap. Sedes Episcopis nonnisi *ad tempus* necessarias facultates conferre soleat, dicendum est monasteria eiusmodi subesse simul et potestati ordinariae Ap. Sedis et delegatae Episcoporum. Et inde patet quandonam et quomodo moniales Episcopis, quandonam vero Superioribus regularibus subiiciantur.

2. *Comitiis eligendae Antistitae* etc. — Comitia electiva monialium, cum eis praesse oporteat clericum (et quidem cum iure dirimendi post tertium scrutinium suffragiorum paritatem) qui non est de gremio electorum, proprie Capitula appellari non possunt; attamen, sive ob rationem procedendi sive ob effectum quem producunt, Capitulis aequiparantur. Si itaque non agatur de comitiis electivis, vel de Antistitae officio, non tenet canonis praescriptum.

3. *Praesit, quin tamen* etc. — Ordinarius, seu saecularis seu regularis (cfr. can. 198), eodem plane modo praeest in his comitiis, quo praeest extra comitia, nempe potestate iurisdictionali. Omnia igitur potest, poenis non exclusis, quae ad comitia legitime peragenda, ex iure communi aut particulari, necessaria apparent atque opportuna. Eandemque potestatem, nisi *ab homine* fuerit plus minusve coarctata, habet Ordinarii delegatus vel, si potestas Ordinarii loci in moniales et ipsa delegata fuerit (cfr. quae supra diximus n. 1), subdelegatus. Subdelegatus, inquam: idque ad normam can. 199 § 2, cum neque hic electa sit industria personae, neque subdelegatio prohibita. Praeterea cavet ius, ut Ordinarius duos scrutatores adhibeat, a se sane, salvo iure particulari quod aliter disponat, inter clericos sibi subiectos eligendos, quique sint sacerdotio aucti, neque earum monialium confessarii ordinarii existant (§ 3). Quibus poterit Ordinarius, si necessitas postulaverit (veluti si quae monialium ius ad suffragium habentium infirma decumbat), ex sua potestate iurisdictionali scrutatrices duas ex monialibus ipsis adiungere. Ad rem S. Congr. de Relig., 27 aug. 1910: *In electionibus Abbatissae aut Priorissae, sive monasterium subiiciatur Episcopo sive praelato regulari, singula vota monialium in urna clausa colligantur et a praelato praeside cum duobus sacerdotibus scrutatoribus aperiantur; quod si gravi de causa vota oretenus dentur, id fiat coram praelato, adsistentibus tamen sacerdotibus scrutatoribus. Sacerdotes, de quibus agitur, sint maturae aetatis et probatae virtutis.* Haec sunt quae Ordinarius, localis vel regularis prout huius vel illius iurisdictioni monasterium subiicitur, agere debet.

4. *Sed etiam hoc in casu* etc. — Sed praeterea, si monasterium subiectum fuerit praelato regulari, ius est Episcopo per se vel per alium adsistendi; qui alius, cum Episcopi personam gerat, patet eodem iure (cfr. can. 106 n. 1, nec non responsionem authenticam Pont. Commissionis C. i. p., 24 nov. 1920) esse

censendus. Estque hic Episcopi interventus a iure introductus ratione vigilantiae, quam ius Episcopis residentialibus generaliter demandat in personas ac res universas sitas intra fines dioecesis, quaeque omnino peculiaris est, cum agitur de monialium monasteriis, quamvis eorum iurisdictioni non subiectis. Quod si Episcopus hoc suo iure uti velit, eidem ob episcopalem dignitatem deferenda est praesidentia comitii, quae tamen, cum in monasterium iurisdictione careat, esse non potest nisi mera praesidentia honoraria. Unde ea omnia, quae ius officio praesidis electionum attribuit (cfr. ex. c. can. 101, n. 1), a Praelato regulari praestanda sunt. Esse autem canon ita interpretandus, tum ex generalibus iuris principiis, tum etiam ex textu et contextu facile probatur. Et revera: praelatus regularis eiusve delegatus scrutatores designat; Episcopum *monet,* non autem eius consensum et delegationem exquirit; tandem Episcopus *potest,* non debet, comitiis adsistere.

5. *In mulierum Congregationibus* etc. — Agitur de Congregationibus mulierum, de iis nempe religionibus in quibus (can. 488, n. 2) vota dumtaxat simplicia emittuntur, sive iuris pontificii fuerint sive iuris dioecesani. Huiusmodi religiones plene sunt, perinde atque cetera dioecesis collegia, Ordinariis locorum subiectae. Jus igitur praesidendi comitiis eligendae Antistitae generalis (non autem aliorum Superiorum, qui ad normam constitutionum sunt designandi) spectat ad loci Ordinarium. Quod si fortasse Congregatio quavis de causa a potestate Episcopi exempta fuerit, tum hic casus censetur ex exemptione exceptus.

6. *Praesideat... Ordinarius* etc. — Nempe sine presbyteris scrutatoribus: scrutatores enim, ad normam can. 171 § 1, e gremio collegii esse debent, cui normae generali, dum in § 2 huius canonis expresse derogatur, hac in paragrapho minime derogatur; et ideo scrutatoris officium religiosis sororibus competit ad normam constitutionum.

7. *Cui si agatur* etc. — Si agatur de religione iuris pontificii, electione peracta omnino absolutum est munus hac in re Episcopo a iure communi delatum; electionis vero confirmatio, si ea opus sit, vel rescissio peragenda est ad normam constitutionum, nempe subintrat ius particulare. Ex adverso, cum agitur de religionibus iuris dioecesani, quarum maior est Episcopis subiectio, confirmatio vel rescissio ex iure communi pertinet ad Ordinarium loci, qui praefuit electioni.

8. *Pro conscientiae officio.* — Haec canonis verba difficultate non carent. Sunt namque iurisperiti qui existiment, officium conscientiae non intelligi nisi ad normam iuris, ac proinde non posse Ordinarium loci electionem, qua de agitur, confirmare aut rescindere, nisi cum omnia extant requisita, quae ad confirmationem vel rescissionem a iure communi (can. 177, § 2) et particulari expostulantur. Ex adverso autem sunt alii, qui conscientiae officium, de quo loquitur canon, latius intelligunt iuxta aequitatem ac supremam legem salutis animarum, iure positivo ecclesiastico relicto. Hanc amplectimur sententiam ob rationes quae sequuntur: 1) Facile fuisset, si vellet, Legislatori allegare hic, ut alibi facit, can.

177 § 2; vel saltem praecipere ut procederetur ad normam iuris. — 2). In religionibus iuris dioecesani omnia sunt veluti in cunabulis, et ideo esset iniquum iuris praescripta rigide applicare — 3). Amplissima est Episcoporum potestas in religiones iuris dioecesani. Quod si Ordinarius electionem resciderit, ad novam electionem deveniendum est. Ad rem Vermeersch - Creusen (*Epitome*, I, n. 483, 5, a): *Observes*, aiunt, *in nullo religionum genere tribui Ordinario loci, ut ipse, capitulum supplens, Antistitam nominet. Hoc quidem S. Pontifex potest, non autem alius, qui iura quaesita abolere nequit. In solis itaque casibus ubi, ex ipso iure, electio devolvitur ad Superiorem ecclesiasticum, potest loci Ordinarius Antistitam, etiam in Congregatione dioecesana, nominare. Casus autem sunt, ex can. 178, si electio intra praescriptum tempus peracta non fuerit, aut collegium iure eligendi privatum fuerit in poenam; et, ex can. 181 § 2, si intra praescriptum tempus (octo dierum) postulatio missa non fuerit ad Superiorem qui possit ab impedimento dispensare.*

CAN. 507.

§ 1. *In electionibus quae a Capitulis fiunt, servetur ius commune de quo in can. 160-182, praeter cuiusque religionis constitutiones eidem non contrarias.*

§ 2. *Caveant omnes a directa vel indirecta suffragiorum procuratione tam pro seipsis quam pro aliis.*

§ 3. *Postulatio admitti potest solum in casu extraordinario et dummodo in constitutionibus non prohibeatur.*

1. *In electionibus quae* etc. — Canon distinguit electiones, quae a Capitulis fiunt, ab iis quae non fiunt a Capitulis, veluti ex. c. electiones seu designationes per suffragia a Consiliis factae. A Capitulis eae electiones factae censentur, quae et ab inferioribus (nempe si electores singillatim considerentur) et in unum congregatis et per suffragia et scrutatoribus adhibitis fiunt. Itaque in electionibus huiusmodi primo servandum est ius commune, prout in can. 160-182 pro electionibus describitur, idque ex praescripto ipsius iuris communis. E contra, si agatur de electionibus non capitularibus, ius commune nihil cavet et universum negotium iuri particulari relinquit, nempe constitutionibus religionis, quibus standum est. Deinde in electionibus a Capitulis faciendis, praeter ius commune (can. 160-182) servandum quoque est ius particulare, scilicet in iis quae *praeter*, non contra, ius commune forte statuerit. Quod si quid ius particulare adversus ius commune constituat, id omne a momento promulgationis Codicis i. c. abrogatum est (can. 489), nisi aut initio constitutum fuerit *tanquam religionis privilegium* (can. 4), aut post promulgationem Codicis quocumque modo, tanquam a iure communi exceptio, ab Ap. Sede permissum fuerit.

2. *Caveant omnes* etc. — Huius dispositionis ratio ac natura requirendae sunt in decr. Clementis Pp. VIII *Nullus omnino* (25 iul. 1599, § 22) inter fontes relato, cuius haec sunt verba: *Ut omnis officiorum ambitus occasio prae-*

cludatur, caveant omnes a directa vel indirecta vocum seu suffragiorum procuratione tam pro seipsis quam pro aliis, tum in Capitulis locorum, tum in caeteris, praesertim generalibus Capitulis aut Congregationibus, seu alibi. Quicumque secus fecerint, praeter alias poenas et censuras hactenus contra huiusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in poenam privationis officiorum, quae obtinent, eo ipso incidant et ad futura quaecumque pariter inhabiles habeantur : super quo cum eis dispensari a nemine possit, nisi a Nobis vel successoribus nostris, et pro qualitate culparum gravius etiam plectantur. Porro supradictas omnes poenas ad complices ac simpliciter scientes et non revelantes extendimus. Qui poenarum cumulus (privatio, inhabilitatio, reservatio dispensationis, facultas poenas arbitrarias infligendi, denique extensio ad complices et non revelantes) legem a Clemente Pp. VIII latam gravem fuisse demonstrat. Quamvis autem poenae huiusmodi (ea forte de causa, quod agatur de re ambiguitatibus et perplexitatibus plena) non amplius vigeant ex iure communi (etsi vigere possunt ex iure particulari), tamen legis transgressio non videtur suam gravitatem amisisse. Non igitur licet, ne pro alio quidem, suffragia directe petere, aut electores blanditiis vel praestationibus circumvenire (procuratio indirecta), ut in se vel in alium suffragium conferant aut minus; sed licet, ex adverso, pro conscientiae officio quaerenti consodali respondere ac generatim per meram sui iudicii manifestationem cavere, ne quid religio detrimenti capiat.

3. *Postulatio admitti* etc. — Si electioni illius, quem electores aptiorem putent ac praeferant, impedimentum obest, super quo dispensari possit ac soleat, suis ipsi suffragiis eum possunt, nisi aliud iure caveatur, a competente Superiore postulare (can. 179 § 1). Huiusmodi autem competens Superior, si agatur de electionibus quae a Capitulis fiunt, tum tantum potest postulationem admittere et super impedimentum dispensare aut dispensationem concedendam curare, cum duae adsunt conditiones. Prima conditio est, ut postulatio eo in casu a constitutionibus non prohibeatur. Idque clarum. Altera vero conditio est, ut agatur de casu extraordinario: est namque postulatio extraordinarium, non autem ordinarium, remedium a iure concessum. Quod si Superior localis ideo postuletur, quod tertio in eadem domo ad illud munus assumi non potest (can. 505) sine consensu Ap. Sedis, postulatio, etiam extraordinaria non admittitur, nisi adsint causae graves. Ad rem S. Congr. de Relig., 9 mart. 1920:... *Nec valet quod in pluribus religiosarum Congregationum constitutionibus expresse dicatur etiam tertio Moderatricem generalem* (idque valet *a fortiori* de Superiore locali) *posse eligi, dummodo duae tertiae partes suffragiorum eidem faveant et S. Sedis confirmatio accedat; hoc enim ita intelligendum est, ut si aliquando ob graves causas eadem persona tertio aut ulterius nominari debeat, hoc fieri nequeat nisi adsint illae duae conditiones. Hinc retinendum est, quod in casu occurrit vera inhabilitas ad huiusmodi munus; quoties autem inhabilitas aliqua ex iure habetur, causae graves ad dispensationem requiruntur.*

CAN. 508.

In sua quisque domo Superiores commorentur nec ab eadem discendant, nisi ad normam constitutionum.

Canonis praescriptum respicit omnes cuiuscumque generis Superiores religiosos. Hi ad residentiam tenentur, perinde atque Episcopi residentiales et parochi, ob genuinam curam animarum, idest subditorum, ipsis concreditam; idque eo magis, quo haec cura subditos propius attingit. Ut autem continenter subditis pateat aditus ad Superiores, hi in sua quisque domo commorari debent: videlicet Superior quidem localis in domo cui praeficitur; Superiores vero maiores in domo a constitutionibus vel decretis vel consuetudine statuta. Et, salvo iure particulari, videntur Superiores religiosi posse in poenam illegitimae absentiae officio ipso privari, ad normam can. 2381 § 2. Quandonam autem absentia Superiorum religiosorum tanquam illegitima habenda sit, ius commune non definit, sed, pro varietate religionum iuri particulari relinquit, cui sunt causae, tempus, modus absentiae determinanda. Unum ius commune disponit: teneri hac in re Superiores ad constitutiones servandas; unde transgressor ad normam quoque iuris communis puniri potest.

CAN. 509.

§ 1. *Omnis Superior debet notitiam et exsecutionem decretorum Santae Sedis, quae religiosos respiciunt, suos inter subditos promovere.*

§ 2. *Curent Superiores locales:*

1. *Ut saltem semel in anno, statis diebus, publice legantur propriae constitutiones, itemque decreta quae publice legenda Sancta Sedes praescribet;*

2. *Ut saltem bis in mense, firmo praescripto can. 565, § 2, christianae catechesis habeatur instructio pro conversis et familiaribus, audientium conditioni accomodata, et, praesertim in religionibus laicalibus, pia ad omnes de familia exhortatio.*

1. *Omnis Superior* etc. — Superior hic, sicuti ex verborum contextu evincitur, stricta significatione accipitur, nempe pro Superiore, cui vel religio universa vel provincia vel saltem domus religiosa subiecta est, seu potestate propria seu vicaria. Hunc igitur, et non alium, gravat obligatio de qua in hac canonis paragrapho, scilicet curandi ut ea omnia, quae sive R. Pontifex sive Romanae Congregationes circa religiosos in genere aut propriam religionem in specie decrever int, et a subditis recte cognoscantur et adamussim executioni mandentur. Idque, tum quia decreta Ap. Sedis principem locum tenent inter ea quae cuilibet ecclesiaticae personae, clericis praesertim, cognita esse debent, tum quia R. Pontifex est supremus cunctarum religionum Superior, cui religiosi subduntur, praeterquam ex

communi obligatione, etiam obligatione peculiari, nempe vi voti obedientiae (can. 499, § 1).

2. *Curent Superiores locales* etc. — Quae sequuntur directe afficiunt Superiores locales tantum, indirecte vero Superiores quoque maiores, qui, ut huius paragraphi praescripta serventur, invigilare debent. Itaque primo diligenter est Superioribus localibus curandum, ut semel saltem in anno, statis a iure particulari diebus, publice, idest coram communitate universa, legantur constitutiones religionis seu, ut videtur, summarium quod earundem substantiam referat, ita ut vere dici possit constitutiones esse perlectas. Eodemque modo illa legenda sunt decreta, quae ut publice legantur, Ap. Sedes *praescribet*, nempe in futurum : non ideo ea decreta quae ante Codicem legenda erant.

3. *Ut saltem bis in mense* etc. — Deinde eadem diligentia Superioribus localibus curanda est catechesis conversorum (scilicet professorum in religionibus clericalibus) et familiarium, si qui sint. At alia est catechesis tradenda bis in mense hisce personis, alia quae, ad normam can. 565 § 2, tradenda est conversis novitiis semel saltem in hebdomada. Utraque esse debet, quantum fieri potest, audientium conditioni accomodata. Denique, etiam bis saltem in mense, habenda est pia exhortatio, videlicet sermo, qui et exhortatio appellari possit et pius. Et haec habenda est *ad omnes de familia.* Vox *familia* apud Latinos, uti Ulpianus ait (fr. 195, D., L, 16) *varie accepta est : nam et in res et in personas deducitur.* Et revera, dum significabat coetum servorum, qui inde nuncupati etiam sunt *familiares,* significabat quoque parentes, filios, nepotes, affines, liberos, omnes una in domo simul viventes, unde voces *paterfamilias* etc. (cfr. Forcellini, v. *familia*). Et simili significatione videtur accipi a Legislatore, dum scribit : *omnes de familia;* scilicet omnes (professi ac novitii, officiales ac non-officiales, clerici ac conversi) ex quibus familia religiosa coalescit, exclusis iis qui serviendi causa, in religiosa domo diu noctuque degunt, quique, quamvis ad familiam religiosam non pertineant, tamen in iure veniunt nomine familiarium. Quam a nobis exhibitam explicationem confirmant tum paragraphi contextus (in quo verba *omnes de familia* aliter intelligi non possunt), tum fontes paragrapho appositi (in quibus *sermo super disciplina regulari et acquisitione virtutum* vel *de religiosa disciplina regularique observantia* habendus esse innuitur ad communitatem universam). Tandem exhortatio habenda est *praesertim* in religionibus laicalibus ; quod quidem non minuit obligationem ex hac paragrapho defluentem in Superioribus religionum clericalium.

Can. 510.

Abbas Primas, Superior Congregationis monasticae et cuiusvis religionis iuris pontificii Moderator supremus debet quinto quoque anno, vel saepius si ita ferant constitutiones, relationem de statu religionis ad Sanctam Sedem per documentum mittere, subsignatum a se cum suo Consilio et, si agatur de Congrega-

tione mulierum, etiam ab Ordinario loci in quo suprema Antistita cum suo Consilio residet.

1. *Abbas Primas* etc. — Itaque tenentur praescripto huius canonis tantummodo supremi religionum Moderatores seu Antistitae et, ex iis qui iisdem in iure aequiparantur, Abbates Primates atque Superiores Congregationum monasticarum. Quare minime tenentur ceteri (cfr. can. 488, n. 8) Superiores maiores, videlicet (*ne discrepantiae,* ut ait S. Congr. de Relig., 26 oct. 1921, *oriantur in textu constitutionum identico, quibus diversae domus aut monasteria sui iuris eiusdem Ordinis utuntur*) nec Abbates monasteriorum sui iuris (neque proinde monialium Antistitae), nec Superiores provinciales eorumque vicarii, aliique ad instar provincialium potestatem habentes: imo nec supremi Moderatores religionum iuris dioecesani. Ex adverso tenentur Moderatores supremi societatum in communi viventium sine votis (can. 675), si sint iuris pontificii (cfr. can. 673, § 2).

2. *Debet quinto quoque anno* etc. — Huiusmodi igitur Moderatores supremi debent quinto ([1]) quoque anno (vel etiam saepius si ita ferant propriae constitutiones) relationem de statu religionis ad Ap. Sedem mittere. Quae verba *vel saepius, si ita ferant constitutiones,* uti apparet ex infra allato decreto (prope finem), intelligenda sunt tantummodo de constitutionibus *post Codicis promulgationem revisis et approbatis:* scilicet *revisis* et post revisionem approbatis, ad normam decr. S. Congr. de Relig., 26 iun. 1918, per quod decretum (ut ait eadem S. Con-

---

([1]) Ob eius practicum momentum et quia hunc canonem egregie explicat, integre referre praestat decretum S. Congr. de Relig., 8 mart. 1922 latum de quinquennali relatione a religionibus facienda. En decretum: « Sancitum est in Codice i. c., ut quilibet supremus Moderator sive Monasticae Congregationis sive cuiusvis religionis iuris pontificii quolibet quinquennio, aut saepius si ita ferant constitutiones, relationem de statu religionis ad Sanctam Sedem mittat.

« Ut autem hoc canonum praescriptum ordinate et utiliter effectum detur, haec S. Congregatio, re mature perpensa, ea quae sequuntur decernenda statuit:

« I. Quinquennia sint fixa et communia omnibus religionibus, incipiantque a die prima mensis ianuarii 1923. Relationem itaque exhibebunt: — 1) Ex religionibus virorum: — *a*) in primo quinquennii anno, canonici regulares, monachi et Ordines militares; — *b*) in altero, mendicantes; — *c*) in tertio clerici regulares; — *d*) in quarto Congregationes votorum simplicium tam clericales quam laicales; — *e*) in quinto societates virorum, more religiosorum viventium sine votis aut cum votis privatis — 2) Ex religionibus mulierum, relationem mittent Congregationes habito respectu ad regionem in qua exstat domus princeps Instituti, seu ubi sedem ex officio habet Moderatrix generalis sequenti ratione: — *a*) in primo anno quinquennii, ex Italia, Hispania et Lusitania; — *b*) in altero, ex Gallia, Belgio, Hollandia, Anglia et Hibernia; — *c*) in tertio, ex reliquis Europae regionibus; — *d*) in quarto, ex utriusque Americae partibus; — *e*) in quinto, ex aliis orbis partibus, et insuper societates mulierum sine votis more religiosarum viventium vel cum votis privatis.

« II. Congregationes quae relationem iam forte exhibuerint intra quinque annos praecedentes eum, in quo, ad normam supra descriptam eam mittere deberent intra quinquennium 1923-1927, eximuntur ab ea rursum mittenda pro hac prima vice.

gregatio in posteriore declaratione d. 26 oct. 1921) S. Congregatio mandaverat, ut omnes religiones iuris pontificii suas... constitutiones ad praescripta Codicis i. c. .... emendarent ac textum emendatum eidem (scil. Congregationi) *pro revisione* subiicerent. Agitur itaque, non quidem de prima constitutionum ac simul religionis approbatione, sed de *revisione* constitutionum post Codicem i. c. emendatarum et consequente nova approbatione. Unde facile intelliguntur verba supra allata: *post Codicis promulgationem revisis et approbatis*. Scilicet si constitutiones, quae frequentiorem relationem praecipiunt, nondum fuerint ab Ap. Sede *revisae,* ut quid transitorium habendae sunt, quod Legislator non recognoscit; e contra, statim ac revisae et approbatae definitivam formam ex revisione et approbatione receperint, tum et sub nova forma obligare tanquam ius particulare incipiunt, et veniunt in Codice i. c. nomine *constitutionum.*

3. *Relationem de statu religionis* etc. — Haec relatio esse debet de statu religionis, nempe personali, disciplinari, materiali et oeconomico. Quanam vero ratione confici relatio debeat, docet in genere decretum S. Congr. Episc. et Regul., 16 iul. 1906 latum, quod, inter alia, haec habet: *Cum... perspicuum sit parum vel nihil utilitatis inesse praedictae relationi si, uti non raro factum est, fusius expositis quibusdam ad rem minus facientibus, vix innuantur aut plane reticeantur ea, quae potissimum cognoscere oportet: hinc ad optatum finem facilius ac tutius assequendum, peropportunum visum est, ut etiam modus et ratio conficiendi relationem... communi lege praescribatur.* Quapropter simul cum decreto editus est a S. Congregatione, pro religionibus votorum simplicium, prolixus *Elenchus quaestionum,* quibus relationem redigentes, in specie singillatim responderent: qui

---

« III. In exaranda relatione pro Institutis votorum simplicium, prae oculis habeantur quaestiones propositae in Instructione data a S. Congr. Ep. et Reg., nunc vero ab hac S. C. reformatae ad Codicis conformitatem, eisque fideliter respondeatur.

« IV. Moderatores vero supremi Ordinum regularium et earum Congregationum etiam votorum simplicium aut societatum more religiosorum viventium, quae ad relationem mittendam ante Codicis promulgationem non tenebantur, quoadusque aliter a S. Congregatione provideatur, relationem de statu suae religionis integram et veritati respondentem (super quo eorum conscientia oneratur) diligenter exarare curent ea ratione et forma, quae Instituti naturae aptior videatur; ita tamen, ut ex ea Apostolica Sedes de statu tam materiali quam morali et disciplinari religionis plenam sibi notitiam comparari queat.

« Prima autem relatio, ante alia de actuali statu religionis, contineat notitias historicas de Ordinis aut Congregationis fundatione; et praecipue ea quae spectant ad eiusdem approbationem per Apostolicam Sedem et ad constitutiones quibus in praesenti regitur. Interna quoque regiminis forma et natura votorum exponatur, et si qua mutatio in hisce facta fuerit decursu temporum aut si qua in Regulae observantia relaxatio, et quadam auctoritate inducta fuerit, declaretur.

« Si qua Congregatio peculiare praescriptum habeat de relatione frequentius mittenda in constitutionibus a Sancta Sede " post codicis promulgationem revisis aut approbatis ", hoc servandum erit, nullo habito respectu ad ea quae de quinquennio praesens decretum praescribit. SS.mus D. N. » etc.

Elenchus per Instructionem 25 mart. 1922, ad normam Codicis i. c. emendatus, ab eadem S. Congregatione denuo editus est. Ex adverso Moderatores religionum votorum sollemnium vel societatum sine votis seu, generatim, earum religionum quae ante promulgationem Codicis ad relationem exhibendam non tenebantur, post Codicem tenetur quidem ad relationem conscribendam, nempe *integram et veritati respondentem* (S. Congr. de Relig., decr. *Sancitum est,* 8 mars. 1922), non tamen secundum *Elenchum quaestionum* de quo supra, sed *ea ratione et forma quae Instituti naturae aptior videatur* (ibid.).

4. *Ad Sanctam Sedem* etc. — Relatio, qua de agitur, mittenda est ad S. Congr. de Religiosis vel Prop. Fidei, prout religio huic vel illi subiicitur, et quidem per documentum rite subsignatum. Quare excluditur relatio oralis. Subsignatio vero fieri debet a scribente et a suo Consilio, si agatur de religione virili; a scribente cum Consilio, nec non ab Ordinario loci in quo suprema Antistita cum suo Consilio residet, si agatur de religione muliebri: nam Ap. Sedes nunquam agit directe cum religione muliebri, sed semper requirit, sicuti tutoris in iure romano antiquo ([1]), interventum Ordinarii seu localis seu regularis. Ac tandem praetermittenda non sunt, quae sub finem *Elenchi* supra allati (ibid.) edicuntur: *Si quis ex... consiliariis seu adsistentibus aliquid magni momenti praeterea* (hoc est praeter ea quae in relatione a se subsignata continentur) *S. Sedi significandum esse putaverit, id etiam per privatas atque secretas litteras praestare poterit. Veruntamen memor ipse sit conditionis suae et sciat conscientiam suam graviter oneratum iri, si quid a veritate alienum secretis eiusmodi litteris exponere praesumpserit.*

CAN. 511.

Maiores religionum Superiores quos ad hoc munus constitutiones designant, temporibus in eisdem definitis, omnes domos sibi subiectas visitent per se, vel per alios, si fuerint legitime impediti.

Superiores qui ad visitationem, de qua in canone, tenentur, non possunt esse nisi maiores: domos namque sibi subiectas habere intelliguntur; at nonnisi Superior maior domos sibi subiectas habet: non enim domus filialis, subiecta Superiori locali, est proprie *domus,* sed potius pars domus religiosae. Varietate autem religionum, constitutionum, munerum ac nominum considerata, ius commune eos qui ad huiusmodi visitationem peragendam teneantur nequaquam designat, sed designandos relinquit iuri particulari. Itemque iuri particulari relinquit definitionem temporum, quibus visitatio peragenda est. Hisce igitur in casibus ius particulare vim et momentum acquirit iuris communis. E contra

---

([1]) Quocirca Tullius (*pro Mur.* 12) ait: « Mulieres omnes propter infirmitatem consilii, maiores in tutorum potestate esse voluerunt ».

Legislator expresse cavet ut visitatio, non quidem ad aliquas extendatur, sed ad omnes domos Superiori, de quo sermo, ratione visitationis, subiectas; sicuti etiam, ut eam Superior per se, tanquam personalem obligationem peragat, nisi fuerit legitime impeditus. Impedimentum igitur debet esse legitimum, idest tale esse debet, ut recta ratio et subiectarum domorum utilitas suadeat delegationem muneris. Quod si forte constitutiones facultatem faciant visitatori designato per se vel per alium visitationem perficiendi, videntur hac in re esse emendandae, tanquam iuri communi contrariae: est namque hic casus in quo, ex expressa dispositione iuris communis, deficit regula iuris: *Potest quis per alium quod potest facere per seipsum* (Reg. 68ª R. J. in VI).

Can. 512.

§ 1. *Ordinarius loci per se vel per alium quinto quoque anno visitare debet:*

1. *Singula monialium monasteria quae sibi vel Sedi Apostolicae immediate subiecta sunt;*

2. *Singulas domos sive virorum sive mulierum Congregationis iuris dioecesani.*

§ 2. *Visitare quoque eodem tempore debet:*

1. *Monasteria monialium, quae regularibus subduntur, circa ea quae ad clausurae legem spectant; imo etiam circa alia omnia, si Superior regularis ea a quinque annis non visitaverit;*

2. *Singulas domos Congregationis clericalis iuris pontificii etiam exemptae, in iis quae pertinent ad ecclesiam, sacrarium, oratorium publicum, sedem ad sacramentum poenitentiae;*

3. *Singulas domos Congregationis laicalis iuris pontificii non solum in iis, de quibus in superiore numero, sed etiam in aliis, quae ad internam disciplinam spectant, ad normam tamen can. 618, § 2, n. 2.*

§ 3. *Quod ad bonorum administrationem attinet, serventnr praescripta canonum 532-535.*

1. *Ordinarius loci* etc. — Postquam locutus est de visitatione a Superioribus religiosis perficienda, hic agit Legislator de ea visitatione, quam perficere ius est Ordinarii loci. Quocirca, in primis visitatio huiusmodi fieri debet ab Ordinario loci eiusve delegato, nempe pro eius arbitrio, quamvis non sit impeditus: hanc namque ei ius commune facultatem expresse facit. Deinde visitatio fieri debet quinto quoque anno, perinde ac visitatio dioecesis et Liminum Apostolorum (cfr. can. 341 et 343). Est igitur in Ordinariis obligatio gravis eam perficiendi singulis quinquenniis, quamvis, ut patet, eis integrum sit frequentius perficere.

2. *Singula monialium* etc. — Monialium nomine hic veniunt tum religiosae votorum sollemnium, tum religiosae quarum vota ex instituto quidem sollemnia

sunt, sed pro aliquibus locis ex Ap. Sedis praescripto sunt simplicia: imo hae religiosae potiore iure Ordinarii loci visitationi subiiciuntur. Praeterea vero extant monialium monasteria Ap. Sedi immediate subiecta, in quae proinde loci Ordinarius, eo quod Ap. Sedes eis manus apposuerit, nullam per se potestatem habet, nisi ei fuerit, a iure vel ab homine, expresse delata. Hoc autem in canone, potestas visitandi monasteria huiusmodi a iure communi loci Ordinariis, pro tempore existentibus, expresse defertur, et quidem non personae sed officio, vel saltem personae ratione officii. Quod sane sufficere videtur, ut potestas haec ordinaria censeri possit et, sicuti ex iis quae supra diximus aperte patet, vicaria. Ad rem merito Maroto (*Instit. i. c.*, I, n. 699, 8, in nota): *An potestas,* ait, *ordinaria, quae hodie competit Episcopis in exemptos, sit dicenda propria aut vicaria? Prima fronte videretur dicenda propria: etenim potius nomine proprio agere quam nomine R. Pontificis censeri possunt, eorumque potestas videretur esse illa propria, quae ipsis dempta exemptione competeret, et quae nunc, cessante exemptione reviviscit. At, e contra, exemptio semper manet ut principium generale, et casus, quibus exempti subiiciuntur Episcopis, non sunt nisi speciales concessiones ab eo Episcopis factae, cui exempti immediate subiiciuntur. Quare potestas Episcoporum in exemptos dicenda revera est vicaria. Ceterum correctio legum est odiosa, in eaque correctione quod sit minimum debemus tenere: ergo, quia huc usque Episcopi agebant in exemptos ut delegati Ap. Sedis et nihil aliud est ipsis tributum, nisi quod agant potestate ordinaria quae vicaria esse potest, nunc dicendi sunt agere tanquam Vicarii Ap. Sedis.*

3. *Singulas domos* etc. — Religiones iuris dioecesani *una,* ut ait Leo Pp. XIII (const. *Conditae a Christo,* 8 dec. 1900) *inductae sunt atque vigent Antistitum sacrorum auctoritate.* Unde in eas religiones loci Ordinarii plenissima ea auctoritate gaudent, quam natura personarum collegialium pati potest. Inde ius et officium est loci Ordinariis, religiones huc usque recensitas intra fines sui territorii quoad omnia singulis quinquenniis visitare, nempe eadem de causa qua iisdem Ordinariis ius est et officium iis religionibus quoad omnia continenter invigilandi.

4. *Visitare quoque* etc. — Quoad religiones quae hac in altera paragrapho recensentur, sane diversa est loci Ordinarii conditio: scilicet eius visitandi potestas stricte contrahenda est ad res et casus in iure expressos: agitur enim de religionibus, quae sunt ab episcopali iurisdictione exemptae vel quibus Ap. Sedes manus apposuit. Quare non videntur loci Ordinarii alias pro libito visitationes, praeter quinquennalem, peragere posse quoad religiones huiusmodi, exceptis tamen iis quae ad monialium clausuram spectant: hac namque in re, ex auctoritate veteris iuris in Codicem integre recepti (cfr. can. 6 n. 2) et ex consequente iurisprudentia Curiae Romanae inter canonis fontes relata, potest loci Ordinarius toties visitationem peragere, quoties pro sua conscientia id expedire iudicaverit, quamvis Superior regularis et ipse pluries perexerit. Quae exceptio derivari videtur ex peculiari natura ac momento clausurae papalis.

5. *Monasterio monialium* etc. — Monasteria igitur monialium, non sibi sed

Superioribus regularibus subiectis, loci Ordinarius quinto quoque anno (ac insuper, extra ordinem, quoties opportunum pro sua conscientia censuerit) visitare potest ac debet tantummodo circa ea quae ad legem clausurae spectant. Clausurae lex can. 597 et seq. continetur: quare serius explicabitur. Quod si loci Ordinario certo constiterit, Superiorem regularem canonicam horum monasteriorum visitationem, ad normam can. 511 peragendam, a quinque annis neglexisse, ipse, ex iure devolutionis (cfr. can. 274 n. 5), eam peragere debet.

6. *Singulas domos Congregationis clericalis* etc. — Paragraphi comma maximi momenti est pro Congregationibus clericalibus iuris pontificii: habita enim ratione regulae, ex qua, ut ait cl. Chelodi (*Jus de personis,* p. 395) *visitatio est corollarium iurisdictionis,* nempe necessarium, atque cum inde merito inferri possit deficere iurisdictionem quoties defecerit ius visitationis, aperte patet, Congregationes (nempe religiones votorum simplicium) clericales iuris pontificii, exceptis rebus hoc in commate enumeratis, ab Episcoporum potestate eximi, interno regimine potestati dominativae Superiorum religiosorum omnino relicto. Quoad autem res in hoc commate recensitas, Congregationes ad normam can. 618 § 1 forte exemptae, non-exemptis aequiparantur. Itaque harum Congregationum domos loci Ordinarius visitare tenetur quinto quoque anno (non frequentius) quoad ea quae tum ex iure communi tum etiam ex iure dioecesano servanda sunt in earum ecclesiis et sacrariis, publicis oratoriis et sedibus confessionalibus, quae sive in ecclesia, oratorio publico vel sacrario, sive forte extra reperiantur.

7. *Singulas domos Congregationis laicalis* etc. — Commatis praescriptum in primis comprehendit omnes Congregationes (non autem Ordines) laicales viriles; deinde omnes religiones muliebres (monialibus exceptis, de quibus antea) iuris pontificii. Harum religionum domos loci Ordinarius quinto quoque anno visitare debet, non solum quoad ecclesiam vel publicum oratorium, sacrarium ac sedes confessionales, sed insuper, ad normam can. 618, § 2, n. 2, quoad internum regimen, nempe inquirendo *num disciplina ad constitutionum normam vigeat; num quid sana doctrina morumve probitas detrimenti ceperit; num contra clausuram peccatum sit; num Sacramenta aequa stataque frequentia suscipiantur* (ibid.). Gravibus autem abusibus forte inventis, loci Ordinarius primo Superiores, ut opportune provideant, admonere tenetur; qui si monitionem neglexerint, ipse per se consulere debet; si qua vero maioris momenti occurrerint, quae moram non patiantur, non quidem Superiores monere, sed ipse illico decernere debet, decretaque ad Ap. Sedem quam primum deferre (ibid.). Amplissima igitur loci Ordinarius in huiusmodi Congregationes laicales (quae numquam ab episcopali iurisdictione eximi solent) potestate gaudet, minus (cfr. can. 618, § 2, n. 1) tamen ampla (eo quod pontificii iuris sint), quam habeat in religiones iuris dioecesani atque in monasteria sibi subiecta: haec ratio quare in paragrapho prima huius canonis Congregatione huiusmodi recensitae non sunt. Patet ex iis quae huc usque disseruimus, Ordines virorum, seu religiones viriles votorum sollemnium, Episcoporum visitationi non subesse, sicuti non subsunt eorum iurisdictioni.

8. *Quod ad bonorum administrationem* etc. — Quoad bonorum religiosorum administrationem, de qua ex professo disseremus in explicando can. 532-535, loci Ordinarii iura, haec summatim sunt: — 1. Religiosi omnes (Ordinibus non exclusis) rationem reddere debent (puto quotannis) locorum Ordinariis de administratione legatorum et pecuniarum, quae paroeciae vel missioni obvenerint aut paroeciae vel missionis intuitu; quae si pecuniae collocandae sint collocationisve modus mutandus, toties quoties requiratur oportet eiusdem Ordinarii consensus. — 2. Praeterea, domus omnes religiosae Congregationis (non Ordinis) tum virorum tum mulierum, forte etiam exemptae, tenentur (item, ut puto, quotannis) rationem per Superiorem vel Antistitam reddere fundorum omnium, qui tributi legative fuerint ad Dei cultum vel beneficientiam intra fines dioecesis aut quasi-dioecesis exercenda; qui si fundi collocandi sint collocationisve modus mutandus, toties quoties exquiratur oportet Ordinarii locic onsensus. — 3. Praeterea, omnes domus religiosae Congregationis muliebris iuris pontificii, occasione visitationis (vel etiam saepius si Episcopus necessarium duxerit) obligatione tenentur, rationem loci Ordinariis per Antistitam reddendi omnium bonorum, quae sororum dotes constituunt; quae bona si collocari debeant vel collocationis modus mutari, toties quoties requirendus est eiusdem Ordinarii consensus. — 4. Praeterea tandem, tum domus monialium, etiam exemptarum, tum domus religionum iuris dioecesani rationem quotannis (vel etiam saepius, si ita a constitutionibus praescribatur) reddere loci Ordinariis tenentur de aliorum quoque bonorum omnium administratione; quae si bona alienari vel etiam cuiusvis pecuniae vis collocari aut modus collocationis mutari oporteat, toties quoties pro quacumque pecuniae summa eorundem Ordinariorum consensus exquirendus est.

9. Quid denique sentiendum de potestate Ordinarii loci, quoad visitationem valetudinariorum aliorumque huiusmodi operum religionis vel caritatis ad religiosos pertinentium? Respondemus cum cl. Schäfer (*De Religiosis*, p. 118): *Loci Ordinarius hospitalia, orphanotrophia aliaque similia Instituta, ad opera religionis vel caritatis sive spiritualis sive temporalis destinata, etiam in personam moralem erecta et quovis modo exempta, visitare potest et debet (cfr. can. 1489 et 1491, § 1). Imo, licet in personam moralem non sint erecta et domui religiosae concredita, si quidem agatur de domo religiosa iuris dioecesani, iurisdictioni Ordinarii loci penitus subduntur; si de domo religiosa iuris pontificii, episcopali vigilantiae subsunt quod spectat ad religionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administrationem (can. 1491, § 2).*

CAN. 513.

§ 1. *Visitator ius et officium habet interrogandi religiosos quos oportere iudicaverit et cognoscendi de iis quae ad visitationem spectant; omnes autem religiosi obligatione tenentur respondendi secundum veritatem, nec Superioribus fas est quoquo modo eos ab hac obligatione avertere aut visitationis scopum aliter impedire.*

§ 2. *A decretis Visitatoris recursus datur in devolutivo tantum, nisi Visitator ordine iudiciario processerit.*

1. Ad normam can. 511 et 512, domorum religiosarum loci Ordinario subiectarum unicus Visitator est loci Ordinarius; domorum vero ad regulares pertinentes unicus Visitator est Superior maior religionis; denique aliarum domorum Visitatores sunt, in suo quisque ambitu, Superior religiosus vel Antistita et loci Ordinarius: hic quidem ad normam iuris communis, illi vero ad normam communis iuris et constitutionum religionis. Praesente autem Visitatore, Superiorum potestas, quoad res, loca ac personas visitationi subiectas, suspenditur. Quanam autem ratione hisce Visitatoribus agendum sit videamus.

2. Et in primis distinguendus est Visitator qui ex potestate iurisdictionis agit, veluti semper necessario facit loci Ordinarius in visitatione domorum religiosarum (etsi forte sit ipse simul Superior religiosus, uti contingere potest in religionibus iuris dioecesani), a Visitatore qui agit ex potestate dominativa, veluti facit Superior vel Antistita religionis non exemptae, ac tandem a Visitatore qui ex utraque potestate agere potest, veluti facit Superior maior religionis exemptae, vel etiam loci Ordinarius qui simul fuerit Superior religiosus. Quae distinctio inde habet momentum, quod, dum Visitator iurisdictionis potestate gaudens, procedere potest tum de plano tum, si rerum adiuncta id requirant, ordine iudiciario, ex adverso Visitator sola potestate dominativa gaudens, paterne semper procedat necesse est. Quocirca monebat Wernz (*Jus decret.*, III, n. 694, IV): *Cavendum autem est, ne illa visitatio Superiorum regularium degeneret in meram inquisitionem criminalem aut extrinsecam formalitatem.* Canon vero 345, de canonica dioeceseon visitatione, ait: *Visitator, in iis quae obiectum et finem visitationis respiciunt, debet paterna forma procedere...; in aliis vero causis, etiam tempore visitationis,... ad normam iuris procedat necesse est.* Quae iuris communis dispositio, congrua congruis referendo, respicit etiam Visitatores domorum religiosarum. Hisce praelibatis, ad canonem veniamus.

3. *Visitator ius et officium* etc. — Visitator ordinarius res, loca, personas omnes visitare debet, quae ex iure tum communi tum particulari ad obiectum visitationis pertinent; e contra, Visitator extraordinarius plerumque *ab homine* mittitur, eiusque potestatis ac materiae visitationis limites a delegante adamussim definiuntur. Sive autem personae visitationis obiecto contineantur, sive minus, eas Visitator ius et officium habet interrogandi, quoties earum testimonia aliquid ad visitationem rite perficiendam conferre possunt. Itaque Visitator ius et officium habet religiosos interrogandi. Quosnam? *Quos,* ait canon, *oportere iudicaverit.* Judicium igitur quot et quales religiosi ad domum pertinentes interrogandi sint, ad Visitatorem spectat. Nec tamen est arbitrarium, sed ex visitationis materia ac rerum adiunctis demetiri debet. Est autem tanti momenti visitationis materia seu obiectum, quod Visitator eius fines substantialiter egrediens, ob defectum potestatis, invalide praecipit, vetat, punit, permittit, nisi forte id agendi

aliunde, quam ex munere Visitatoris, potestatem habeat. Praeterea vero Visitator ius et officium habet *cognoscendi*, nempe etiam praeter interrogationem religiosorum, per propriam ac personalem inspectionem rerum, locorum, librorum, instrumentorum etc. quae ad obiectum visitationis spectant.

4. *Omnes autem religiosi* etc. — Religiosi sunt, ex communi doctrina ac praesertim ex can. 488, n. 7, qui vota nuncuparunt in aliqua religione : proinde religiosi non sunt novitii et *a fortiori* postulantes ac familiares. Idque ex eo confirmationem accipit, quod cum Codex vult novitios religiosorum iure censeri, expresse significat, veluti ex. c. in can. 614 et 615. Si igitur Codicem per Codicem interpretari voluerimus, nullum dubium quin, ex iure communi, ii tantummodo sodales qui vota religiosa nuncupaverint, interrogandi sint. Cum autem ius commune nullimode vetet novitiorum, postulantium ac familiarium interrogationes, harum personarum inclusio praeter ius commune censenda est, ideoque merito sanciri potest iure particulari. Huiusmodi itaque personae, quae ex iure, seu communi seu particulari, officium atque ius (iuri et officio Visitatoris contraposita) habeant respondendi, respondere debent secundum veritatem, nec Superiores religiosi possunt, directe aut indirecte, auditionem vel responsiones malis artibus impedire. Quocirca praetereundum non est praescriptum can. 2413, qui ait : *Antistitae* (itemque Superiores omnes religiosi — ibid. § 2) *quae post indictam visitationem religiosas in aliam domum, Visitatore non consentiente, transtulerint, itemque religiosae omnes, sive Antistitae sive subditae, quae per se vel per alios, directe vel indirecte, religiosas induxerint ut interrogatae a Visitatore taceant vel veritatem quoquo modo dissimulent aut non sincere exponant, vel eisdem, ob responsa quae Visitatori dederint, molestiam sub quovis praetextu, attulerint, inhabiles ad officia assequenda, quae aliarum regimen secumferunt, a Visitatore declarentur et Antistitae officio, quo funguntur, priventur.*

5. *A decretis Visitatoris* etc. — Supra vidimus Visitatores de plano ac paterne. quoad obiectum visitationis, procedere debere, decreta vel praecepta, non sententias iudiciales ferendo. Haec sunt decreta, de quibus loquitur canon et contra quae, uti semper evenire solet in decretis ad administrationem spectantes, non datur nisi recursus in devolutivo. At potest Visitator, si in decursu visitationis causa emergat quae ordinem iudiciarium requirat, ipse vero sit potestate iudiciali praeditus, eam causam iudicialiter, servatis servandis, pertractare. Tum vero a sententia Visitatoris, perinde ac a quacumque iudiciali sententia, appellatio iudicialis interponi potest in suspensivo.

6. Quocirca quaesitum est a Pont. Commissione Codici interpretando praepositae : *Utrum, ad normam can. 512, § 2, n. 1 et can. 513, § 1, officium Ordinarii loci sit visitare quinto quoque anno monasteria monialium, quae regularibus (etiam exemptis) subduntur, circa ea quae ad clausurae legem spectant, eo qui in can. 513 exponitur modo.* Cui quaestioni Pont. Commissio, 24 nov. 1920, respondit : *Affirmative.* Modus igitur generalis procedendi in visitatione religio-

sorum, qui can. 513 quem modo explicamus definitur, etiam in monasteriis monialium, Praelatorum regularium iurisdictioni subiectis, visitandis, aeque adhibendus est a loci Ordinario.

Can. 514.

§ 1. *In omni religione clericali ius et officium Superioribus est per se vel per alium aegrotis professis, novitiis, aliisve in religiosa domo diu noctuque degentibus causa famulatus, aut educationis, aut hospitii, aut infirmae valetudinis, Eucharisticum Viaticum et extremam unctionem ministrandi.*

§ 2. *In monialium domo idem ius et officium habet ordinarius confessarius vel qui eius vices gerit.*

§ 3. *In alia religione laicali hoc ius et officium spectat ad parochum loci vel ad cappellanum quem Ordinarius parocho suffecerit ad normam can. 464, § 2.*

§ 4. *In funeribus servetur praescriptum can. 1221, 1230, § 5.*

1. Ut canonis momentum plenius perspiciatur, referre placet quae hac de re habet Card. Gasparri (*Tract. de SS.ma Euchar.*, n. 1073) ius vetus diligentissime referens. *Si vero quaeratur,* ait, *quaenam in concreto sint personae a iurisdictione paroeciali exemptae* (nempe quoad Viaticum et extremam unctionem) *et superioris iurisdictioni submissae... sub Tridentini verbis certe comprehenduntur professi, novitii, conversi et famuli intra septa... et domos... regularium habitantes et ratione famulatus superiori obedientes... E contrario, certe non comprehenduntur famuli qui, licet in monasterio laborent, tamen in eodem nullatenus habitant... ; demum nec illi qui in eadem regularium domo, hospitio recipiuntur, aut stabiliter manent, quin tamen sub superioris obedientia ullatenus sint. Hinc S. C. C. die 27 sept. 1670 declaravit : « Non licere fratribus* (idest regularibus) *absque licentia episcopi vel parochi administrare sacramenta advenis, qui in eorum conventibus infirmantur »... Tandem gravis quaestio est, utrum sine speciali indulto comprehendantur, necne, iuvenes in collegiis vel Seminariis regularium educationis causa degentes...* Quod *si agitur de Congregationibus religiosis approbatis cum votis simplicibus, ex decreto approbationis videndum, utrum exemptio eisdem concessa latiores an arctiores limites habeat.* Ex quibus verbis eximii canonistae patet, ante promulgationem Codicis i. c. ex iure communi solos regulares habuisse facultatem, et quidem strictissimam, postrema sacramenta ministrandi intra septa monasterii. Et modo ad ius novum deveniamus.

2. *In omni religione clericali* etc. — Primum igitur eximuntur a parochorum ministerio omnes religiones clericales, nempe tum Ordines, tum Congregationes omnes, sive iuris pontificii fuerint sive dioecesani, dummodo clericales sint. Deinde plus minusve eximuntur etiam religiones laicales : et in primis domus monialium, quo nomine hic eae quoque, ad normam can. 488, n. 7, moniales

venire videntur, quarum vota non quidem de facto sed tantummodo ex instituto sollemnia sunt; nec denique Legislator negligit alias omnes religiones laicales, tum viriles tum muliebres, innuens posse loci Ordinarium, ad normam can. 464, § 2, eas e parochi cura subducere ac cappellanum parocho sufficere. Neque id satis.

3. *Causa famulatus aut* etc. — Scilicet e parochi ministerio eximuntur non solum aegrotantes professi ac novitii, verum etiam qui in religiosa domo, seu formata seu informi (nam ius non distinguit et ambae in iure veniunt nomine domus religiosae), seu matrici seu, ut putamus, filiali (quae cum matricis pars sit, huius iuribus eius naturae non repugnantibus gaudere videtur), diu noctuque degunt, vel, ut videtur, ad diu noctuque ibi degendum religiosam domum ingrediuntur. At quomodo intelligenda sunt ea verba *diu noctuque degentibus?* Hic quaestio. Jamvero qui ingrediuntur famulatus causa, id faciunt ad tempus indefinitum; qui educationis causa, regulariter id faciunt saltem ad octo vel novem menses; qui causa infirmae valetudinis, usque ad recuperatam salutem. Restant qui domum religiosam ingrediuntur hospitii causa. *Hospes,* ait Forcellini (*Lexicon,* sub eod. v.) *est advena, peregrinus, qui brevi apud nos diversatur.* Brevi: unde quis potest et per plures menses (veluti inter alios, nostra sententia, novitiatus ingressum postulantes), et per diem unum in domo religiosa commorari hospitii causa. Sane hic esse videtur cardo interpretationis: nempe verba *diu noctuque degentibus* non latiorem significationem habere posse, quam *hospitii* natura patiatur. Ideoque temporis spatium a iure requisitum ad unum diem merito contrahi potest. Ceterum praetor non curat de minimis: quare, cui multum concessum est, minimum quoque videtur esse concessum.

4. *In funeribus servetur* etc. — Itaque summatim videamus, quid sentiendum sit de exemptione religiosorum, religiosarum aliarumque in paragrapho prima recensitarum personarum, a cura paroeciali quoad funera. Quocirca haec tenenda sunt: — 1. Prorsus exempti sunt a cura paroeciali quoad funera, religiosi professi cuiuslibet religionis virilis (laicalibus non exclusis), etiam iuris dioecesani (quamvis, summo iure, exclaustrati, apostatae, fugitivi aut vi civilis persecutionis dispersi), nisi forte extra domum religiosam obierint ad eamque non possint commode transferri, neque facto transferantur; itemque earundem religionum novitii, nisi forte aut extra domum religiosam obierint aut aliam ecclesiam funeris legitime elegerint: tum namque exequiarum ordo et tumulatio spectant ad parochum ecclesiae funerantis (can. 1221, § 1). — 2. Prorsus exemptae sunt a cura paroeciali quoad funera religiosae, professae ac novitiae, quae, seu ex iuris (cfr. can. 514, § 2) seu ex hominis (cfr. eund. can. § 3) dispositione, a parochi potestate generaliter exemptae fuerint (nisi forte extra domum religiosam obierint): tum enim locum parochi cappellanus tenet (can. 1230, § 5). — 3. Prorsus exempti sunt a cura paroeciali quoad funera, ii qui in domo religiosa diu noctuque degunt causa famulatus, nisi forte extra eandem domum obierint. Hae sunt religiosorum, religiosarum eorumque familiarium exemptiones

quoad funera: ceteris in casibus (nisi contraponi possit ius legitime quaesitum, consuetudo aut lex territorialis vel denique privilegium) praevalet ius paroeciale, praesertim quoad eos qui in domo religiosa degunt educationis, hospitii vel infirmae valetudinis causa. Quocirca Codicis nostri commentatores aut ingressum religionis postulantes praetereunt, aut, quandoque, eos novitiis in favorabilibus (ac proinde in privilegiis, immunitatibus, exemptionibus) aequiparant. Quod nobis minus recte dictum videtur propter has, quae sequuntur, rationes: — 1) Codex i. c., qui de privilegiis novitiorum, conversorum, imo etiam eorum (cfr. can. 514, § 1) qui in domo religiosa degunt causa famulatus, educationis, hospitii ac infirmae valetudinis expresse loquitur, nihil omnino habet de privilegiis postulantium, et tamen expresse de postulatu agit; — 2) *Nullo modo* postulantes ad religionem, imo ad novitiatum religionis, *ex iure* pertinent: nempe ideo in postulatu vivunt, ut constare possit an sint, vel minus, *ad novitiatum* admittendi; unde, si quid extat in Codice nostro omnino precarium, id in conditione iuridica postulantium positum est. Neque obiici potest religiosa vestis (sane *a veste novitiorum diversa*) quam induunt, ad normam can. 540, § 2: eadem enim ratione privilegiis clericorum uti deberent Seminariorum alumni nondum ad primam tonsuram promoti, quod quidem asserit nemo. Sed neque iis suffragatur *factum,* quod sint de familia religiosa ac sub immediata directione Superiorum religionis, imo, subiungimus nos, quod etiam more religiosorum vivant et quidem, ex mente Legislatoris, ut ad novitiatum admittantur: haec enim omnia ad nudum factum pertinent, quod videtur parere non posse ea privilegia, quae cum status iuridica mutatione (nempe aut per primam tonsuram, aut per admissionem ad novitiatum, idest, quamvis non definitive, ad religionem) coniuncta sunt. Hisce de causis, verius nobis videntur iis accensendi postulantes esse, qui in domo religiosa commorantur hospitii causa (cfr. can. 514, § 1).

Can. 515.

Prohibentur tituli dignitatum vel officiorum mere honorifici; soli, si id permittant constitutiones, tolerantur tituli officiorum maiorum, quibus religiosi in propria religione reapse functi sint.

Quidnam proprie hoc in canone prohibeatur, videamus. Scilicet in primis prohibentur tituli mere honorifici, idest quibus officium aut dignitas, titulo significata, de facto non inhaerent vel quia legitime suppressa sunt, vel quia eis religiosus ex iure caret. Quare ab officio aut dignitate suspensus vel ab eorum exercitio prohibitus hac lege non tenetur. Deinde prohibentur tituli mere honorifici dignitatum et officiorum, idest ecclesiasticorum, quibus religiosus, seu in saeculo (dignitates et officia) seu in propria religione (officia tantum), alias sit legitime usus: veluti ex. c. S. R. E. Cardinalis, qui ex R. Pontificis consensu religionem ingrediatur, vel religiosus, qui magistri novitiorum munus im-

pleverit, titulum dignitatis vel officii retinere non possunt. Ex adverso retineri potest, quamvis mere honorificus, titulus doctoris, magistri, lectoris, etc., quia tituli huiusmodi sunt tituli peractorum studiorum, non autem officiorum vel dignitatum.

Praeterea vero, ex expressa dispositione iuris communis, si id constitutiones religionis permittant, *tolerantur* tituli mere honorifici officiorum maiorum (non itaque minorum), quibus religiosi in propria religione (non igitur in alia) reapse functi sint.

CAN. 516.

§ 1. *Supremus religionis aut monasticae Congregationis Moderator, Superior provincialis et localis, saltem formatae domus, habeant suos consiliarios, quorum consensum aut consilium exquirant ad normam constitutionum et sacrorum canonum.*

§ 2. *Sint etiam pro administratione bonorum temporalium oeconomi: generalis qui religionis universae bona administret, provincialis qui provinciae, localis qui singularium domorum; qui omnes officio suo fungantur sub directione Superioris.*

§ 3. *Oeconomi generalis et provincialis munus gerere Superior ipse non potest; munus vero oeconomi localis, quamvis melius a munere Superioris distinguatur, componi tamen cum eo potest, si necessitas id exigat.*

§ 4. *Si de modo oeconomos eligendi constitutiones sileant, a Superiore maiore cum consensu sui Consilii eligantur.*

1. Expleta tractatione de iuribus et obligationibus Superiorum in genere, Legislator agit de Superiorum coadiutoribus. Primum inter hos locum tenent Superiorum vicarii: amplissima namque iis potestas deferri potest, quum et Superior localis, et provincialis, et supremus vicario uti possint eique potestatem suam, ex parte vel etiam ex toto, ad tempus delegare. Quod si in Codice nostro ne verbum quidem reperitur de vicariis Superiorum religiosorum, ex eo id provenit, quod semper potest quis per alium facere, quod potest facere per seipsum, dummodo iura non vetent aut non agatur de delegando incapaci. Quamvis igitur esse non possit vicarius ordinarius Superioris religiosi, tamen ex can. 199 semper extare potest vicarius delegatus, idque non solum quoad potestatem iurisdictionalem in religionibus exemptis, sed etiam, per analogiam, quoad potestatem dominativam in ceteris religionibus, nulla exclusa. Praetereundum autem non est, posse potestatem ordinariam vicariam, de qua nullum in Codice vestigium, exoriri in religionibus ex iure particulari, nempe ex praescripto constitutionum, quae natura sua ideo vigent, ut, iuxta finem et peculiarem characterem cuiusque religionis, ius commune aut loquens adamussim interpretentur, aut silens suppleant et compleant. Nullum vero, in praxi et quoad vim obligandi,

discrimen inter ius commune et legitimum ius particulare. Proinde, utroque iure considerato, constat reperiri posse, inter Superiorum religiosorum coadiutores, figuram iuridicam vicarii seu delegati, seu ordinarii.

2. *Supremus religionis* etc. — Uti religionis negotia qua par est gravitate ac prudentia pertractentur, cuilibet Superiori religioso ac religiosarum Antistitae (tum maiori, tum locali, excluso, ut videtur, Abbate Primate) saltem domus formatae adesse debet Consilium seu coetus consiliariorum, quorum consensum aut consilium exquirere possit, quoties id iure communi aut particulari praecipitur. Quinam religiosi et quomodo ad huiusmodi coetum vocandi sint, quot esse debeant (excepto casu sententiae dimissionis, ad quam ferendam Supremus Moderator, ex can. 655 § 1, quatuor consiliarios adhibere debet) quove temporis spatio in munere perdurent, iuri particulari Legislator definienduu reliquit. E contra, plures casus a Codice expresse statuuntur, in quibus harum personarum consilium vel consensus requiritur; hisque casibus alii, ut patet, addi possunt iure particulari. Consideratione dignum putamus, Legislatorem edixisse in religionibus consensum et consilium *exquirenda esse ad normam constitutionum et sacrorum canonum,* nempe primo ad normam constitutionum ab Ap. Sede approbatarum; constitutionibus autem hac de re silentibus, ad normam can. 105 et (per analogiam, cum Consilium quo de agitur non sit persona moralis) can. 101. Brevi, videtur hic Legislator prae iure communi sartum tectum voluisse ius particulare, et quidem praecise quoad modum consensum aut consilium exquirendi: quod cl. Fanfani (*De iure relig.,* n. 66) aliique, forte non satis consideraverunt.

3. *Sint etiam* etc. — Haec canonis paragraphus et subsequentes constitutionem oeconomi respiciunt. Itaque post promulgationem Codicis i. c. in qualibet religione, provincia, domo, oeconomus extare debet ex praescripto iuris communis; quod commune ius etiam permittit, ut, si necessitas id exigat, officium oeconomi localis cum officio Superioris localis cumuletur. Hic quoque requisita, ut quis in oeconomum deputetur, sicuti duratio muneris, iuri particulari definienda relinquuntur. Unum tantummodo ius commune statuit, nempe oeconomos a Superiore maiori cum consensu sui Consilii esse deputandos, quoties constitutiones alium designandi modum non sanxerint. Et hoc in casu, uti patet, Superioris deputantis est, requisita perpendere ac muneris durationem praestituere.

Can. 517.

§ 1. *Quaevis virorum religio iuris pontificii procuratorem generalem habeat, qui secundum constitutiones designatus, negotia propriae religionis apud Sanctam Sedem pertractet.*

§ 2. *Antequam praescriptum in constitutionibus tempus expiret, ne amoveatur, inconsulta Sede Apostolica.*

1. Ad negotia religionum apud Ap. Sedem recte celeriterque perficienda, multum refert adesse procuratorem, qui et sit religionis alumnus et diuturno

temporis spatio in officio permaneat. Inde ante promulgationem Codicis i. c. ad procuratorem generalem constituendum tenebantur Ordines regularium, quippe quibus maior erat copia negotiorum apud Ap. Sedem agenda. Per Codicem autem institutum procuratorum generalium extensum est ad omnes religiones viriles iuris pontificii: idest maximam, quam habere poterat, extensionem obtinuit. Scilicet imprimis excluduntur ab obligatione religiones viriles iuris dioecesani, idque ideo quod omnia sua negotia, quousque dioecesanae permanserint, vel apud loci Ordinarium vel per Ordinarium loci agere debent; deinde excluduntur omnes religiones muliebres, idque ideo, quod vel clausura papali obligantur vel, utcumque, multis de causis non expedit eas per religiosam sodalem apud Ap. Sedem sua negotia tractare, ideoque tractare solent per procuratorem generalem Ordinis seu Congregationis iuris pontificii, ad quam forte pertinent, vel per loci Ordinarium et quibusdam in casibus per cardinalem Protectorem.

2. *Quaevis virorum* etc. — Omnes igitur virorum religiones iuris pontificii vel quae in posterum, obtento decreto laudis, iuris dioecesani esse desierint, salva dispensatione apostolica, obligatione tenentur habendi procuratorem generalem, ac proinde definiendi in suis constitutionibus quinam, a quo, quomodo et quanto tempore procurator generalis deputari debeat: cavet namque canon, ut procuratores huiusmodi designentur *secundum constitutiones*. Debetque procurator (nisi hac in re ab Ap. Sede dispensatum fuerit) in Urbe commorari (cfr. decr. S. C. Ep. et Reg., 22 aug. 1814, n. III).

3. *Negotia propriae religionis* etc. — Cum procuratorum generalium potestas, tanquam officio inhaerens, a iure, et quidem communi, definiatur, haec potestas, qualiscumque tandem aliquando ea sit, ordinaria habenda est, et ideo delegari potest ad normam can. 199 § 1. Per se autem officium procuratoris, quamvis ob reverentiam erga Ap. Sedem magni fieri soleat, nullam in religiosos sodales potestatem, imo nec praeminentiam secumfert.

4. *Antequam praescriptum* etc. — Per hanc alteram paragraphum canon vetat, ne, inconsulta Ap. Sede, procurator amoveatur antequam elapsum sit tempus pro eo munere in constitutionibus praescriptum. Unde merito arguere possumus, non esse Ap. Sedem consulendam, si tempus in constitutionibus approbatis forte praescriptum non sit, sed a Capitulo vel a Moderatore generali toties quoties praefinitum, vel si, nullo praestituto tempore, procurator *ad beneplacitum* deputetur.

CAPUT II.

DE CONFESSARIIS ET CAPPELLANIS.

CAN. 518.

§ 1. *In singulis religionis clericalis domibus deputentur plures pro sodalium numero confessarii legitime approbati, cum potestate, si agatur de religione exempta, absolvendi etiam a casibus in religione reservatis.*

§ 2. *Superiores religiosi, potestatem audiendi confessiones habentes, possunt, servatis de iure servandis, confessiones audire subditorum, qui ab illis sponte sua ac motu proprio id petant, at sine gravi causa id per modum habitus ne agant.*

§ 3. *Caveant Superiores ne quem subditum aut ipsi per se aut per alium vi, metu, importunis suasionibus aliave ratione inducant ut peccata apud se confiteatur.*

1. Ait merito cl. Vermeersch (*Epitome*, I, n. 20): *Hac denique mente Codex compositus videtur, ut, multa facilitate et libertate data, usus fori interni omnibus planior atque expeditior evadat, et quidquid odiosum sapere possit ab hoc foro exulet.* Hisce verbis eximius canonista unum ex κριτηρίοις, nec minoris momenti, quod Legislator in universo Codice i. c. redigendo prae mente habuit, in aperto ponebat. Quod quidem κριτήριον nullibi fortasse ita elucet, quam hoc in capite de confessariis religiosorum, ubi, nedum substantialiter recepta sunt recentissima decreta paullo ante codificationem ab Ap. Sede, ad legitimam conscientiae libertatem tutandam, edita, verum etiam haec ipsa decreta, quantum fieri poterat, magis magisque sunt amplificata.

2. *In singulis religionis* etc. — In capite agitur primum de religionibus clericalibus, deinde de laicalibus mulierum, tertio de laicalibus virorum; idque absque ullo discrimine inter religiones iuris pontificii etd ioecesani; solum passim, ut rei natura postulabat, ratio peculiaris habetur religionum clericalium exemptarum. In primis igitur expresse praecipitur Superioribus religionum clericalium, ut in singulis domibus plures deputent confessarios. Quot? Sane pro numero sodalium. Haec autem videtur hac in re mens Legislatoris, ut confessarii semper *plures* (idest saltem duo) esse debeant, tum quoque cum minimus est sodalium numerus, ita ut optio semper pateat. Possunt autem religiosorum confessarii e sodalibus alterius religionis vel clero saeculari deputari (can. 875 § 1). Praeterea vero Superioribus religionum exemptarum expresse praecipitur, ut omnibus confessariis, ita legitime deputatis, potestatem committant absolvendi etiam a casibus, nempe universis, in religione forte reservatis.

3. *Superiores religiosi* etc. — Deinde cunctis Superioribus religiosis expresse vetatur, ne, sine gravi causa, habitualiter audiant confessiones subditorum, neve audiant unquam (seu habitu seu actu), nisi subditi sponte sua ac motu proprio id petierint; et quia potest quis sponte petere ex alterius suasionibus inductus, ideo hae quoque suasiones, et *a fortiori* vis aut metus quicumque districte vetantur.

4. *Ne quem subditum* etc. — Quinam habendi sunt, quoad confessionem peragendam, tanquam subditi Superiorum religiosorum? Proculdubio omnes et soli, qui in can. 875, § 1 recensentur: nempe religiosi professi ac novitii, necnon ii omnes qui in can. 514, § 1 enumerantur, idest qui in domo religiosa diu noctuque degunt famulatus, educationis, hospitii aut infirmae valetudinis causa. Horum omnium confessionibus consulere debet Superior. At aliter atque aliter,

prout religio exempta est vel minus: nam, si exempta, personae huiusmodi subsunt, quoad confessiones, Superiori religioso tum ex potestate dominativa tum ex genuina iurisdictione ecclesiastica, vi cuius potest, ad normam constitutionum, iurisdictionem delegatam ad earum confessiones audiendas conferre (can. 875, § 1); ex adverso, si non exempta est religio, Superior ex unica potestate dominativa qua in eas personas gaudet, non potest nisi confessarios designare, qui sacramentalem iurisdictionem vel a iure communi vel a loci Ordinario receperint.

CAN. 519.

Firmis constitutionibus quae confessionem statis temporibus praecipiunt vel suadent apud determinatos confessarios peragendam, si religiosus, etiam exemptus, ad suae conscientiae quietem, confessarium adeat ab Ordinario loci approbatum, etsi inter designatos non recensitum, confessio, revocato quolibet contrario privilegio, valida et licita est; et confessarius potest religiosum absolvere etiam a peccatis et censuris in religione reservatis.

1. Huius canonis praescriptum substantialiter desumptum est ex decr. S. C. de Relig., 5 aug. 1913, per quod *confessarii totius orbis a locorum Ordinariis approbati, auctoritate SS.mi D. N. Pii Pp. X, omnium sodalium cuiuscumque Ordinis, Congregationis aut Instituti sacramentales confessiones excipere... atque valide et licite absolutionem a peccatis in Ordine vel Instituto etiam sub censura reservatis, impertire queunt*. Quo edito decreto, cum quaesitum esset, an comprehenderentur quoque *confessiones a Latinis apud Orientales peractas et vicissim,* necnon *novitii cuiuscumque Ordinis vel Congregationis,* eadem S. Congregatio, 3 maii 1914, ad utrumque dubium *affirmative* respondit. Hinc, in foro interno sacramentali religiosorum, eversio veteris praxis, vi cuius confessio apud confessarium non designatum, sine licentia Superioris facta, fere semper illicita ac invalida erat.

2. *Firmis constitutionibus* etc. — In primis itaque confirmantur constitutiones, quae confessionem apud confessarios a Superiore designatos, statis temporibus peragendam, vel praecipiunt vel suadent. Scilicet, si constitutiones huiusmodi confessionem praeceperint, religiosi ad eam, veluti ad ordinarium confitendi modum, obligantur; si vero constitutiones suadeant tantum, cum suasio non sit lex, nulla proprie loquendo obligatione tenentur.

3. *Si religiosus* etc. — Non obstante praecepto vel suasione, de quibus supra, possunt religiosi extraordinario quoque confessario uti, quoties id ad suae conscientiae quietem opportunum duxerint. Quo in casu conditiones quaedam a iure statuuntur, quae quoniam apponuntur legi tanquam conditio *sine qua non* non solum liceitatis, sed etiam validitatis confessionis, ideo diligenter sunt perpendendae. Prima igitur ac praecipua conditio est, ut religiosus confessario

extraordinario utatur *ad suae conscientiae quietem*. At quandonam hanc adesse conditionem recte existimabimus? Versamur sane in re fere imponderabili, quia essentialiter subiectiva; praeterea vero putare debemus, concessionem, a Legislatore factam ad conscientiae quietem, ita esse intelligendam, ut conscientiae perplexitates excludat. Scilicet videtur religiosus tum semper confessario extraordinario uti ad conscientiae quietem, cum id facit ex eo, quod hic agendi modus, *re vera ei videatur* magis conferre ad suae conscientiae tranquillitatem. Conditionem rigidius interpretari, esset, sententia nostra, coarctare mentem Legislatoris. Altera conditio est, ut religiosus confessarium adeat *ab Ordinario loci approbatum*. Quare, si forte ex. c. novitius religionis exemptae (cfr. can. 566, § 2) adiret confessarium approbatum tantummodo a Superiore religioso, et quidem ad professorum tantum confessiones audiendas, sed inter confessarios pro novitiis non recensitum, confessio illicita esset ac invalida: extraordinaria namque concessio hoc in canone facta, non comprehendit nisi confessarios a loci Ordinario (nempe cuiuscumque loci, toto orbe) approbatos, et hic proprie positum est concessionis momentum. At S. R. E. Cardinales, canonici poenitentiarii Capitulorum et parochi, cum iurisdictionem in foro sacramentali habeant a iure communi, non veniunt inter eos qui a loci Ordinario approbantur. Suntne igitur incapaces audiendi confessiones religiosorum? Sane non: nam Cardinales, ex can. 239 § 1, n. 1, *facultate gaudent audiendi ubique terrarum confessiones, etiam religiosorum utriusque sexus;* canonici vero poenitentiarii ac parochi, quamvis ab Ordinario loci non habeant iurisdictionem in foro sacramentali eorum officio a iure adnexam, habent tamen regulariter ab Ordinario officium ipsum, quod iurisdictio, a iure delata, necessario consequitur. Ceterum collatio iurisdictionis ab iure, nempe a R. Pontifice, facta, semper (et consequenter) facta censetur ab Ordinariis locorum.

4. *Revocato quolibet* etc. — In decreto 5 aug. 1913, supra allato, S. Congr. de Religiosis hac utebatur clausula: *Constitutionibus, ordinationibus apostolicis, privilegiis qualibet efficaciori forma concessis, aliisque contrariis quibuscumque, etiam speciali atque individua mentione dignis, minime obstantibus*. In canone autem, quem modo explicamus, clausula contracta est ad verba: *Revocato quolibet contrario privilegio*. Et revera, Codice i. c. promulgato, cetera prorsus erant superflua: nam constitutiones religionum, Codicis praescriptis contrariae, per can. 489 abrogatae sunt; ordinationes apostolicae abrogatae sunt per can. 6 n. 1; alia vero iura, quae nonnisi ex consuetudine centenaria vel immemorabili descendere poterant, et ipsa sublata sunt simul cum huiusmodi consuetudinibus, ad quas supprimendas nulla omnino difficultas occurrebat, per can. 5. Supererat prolixa clausula de privilegiis, quae tota continetur in breviori clausula canonis: revocato *quolibet* contrario privilegio.

5. *Et confessarius potest* etc. — Confessarius a loci ordinario approbatus, quem religiosi adierint, amplissimas habet a iure facultates: nempe absolvendi a quocumque peccato vel censura in religione forte reservatis. Excipiuntur censurae

ab homine reservatae: canon enim non loquitur nisi de censuris reservatis in religione, scilicet in religiosis constitutionibus; ceosuraea utem *ab homine reservatae*, dici non possunt *reservatae in religione*. Unde, hoc etiam in casu, censurae *ab homine*, ex gravi aliqua causa peculiari, reservatae absolutio, ne extenuentur nervi religiosae disciplinae, ad eum exclusive spectat qui eam inflixit aut sententiam tulit, vel ad eius Superiorem competentem aut successorem aut delegatum (can. 2245 § 2), minime vero ad confessorem extraordinarium, *hominis* delegatione carentem.

CAN. 520.

§ 1. *Singulis religiosarum domibus unus dumtaxat detur confessarius ordinarius, qui sacramentales confessiones universae communitatis excipiat, nisi propter magnum ipsarum numerum vel aliam iustam causam sit opus altero vel pluribus.*

§ 2. *Si qua religiosa, ad animi sui quietem, et ad maiorem in via Dei progressum, aliquem specialem confessarium vel moderatorem spiritualem postulet, eum facile Ordinarius concedat; qui tamen invigilet ne ex hac concessione abusus irrepant; quod si irrepserint, eos caute et prudenter eliminet, salva conscientiae libertate.*

1. Postquam egerat de confessariis religionum clericalium, agendum erat Legislatori de religiosarum confessariis. Quocirca, hanc provinciam ingrediendo, afferre hic placet verba cl. Vermeersch (*Epitome*, I, n. 493): *Quamvis canones*, ait vir egregius, *nondum monialibus et sororibus tribuant liberam istam optionem confessariorum quae, post Conc. Tridentinum, primum saecularibus, dein religiosis viris est tributa, benigniores tamen normas quas, non sine gravi consilio, Pius X (et quidem, ut accepimus, ex propria animi persuasione) induxit atque ipse usus cotidianae communionis postulare videtur, Codex non tantum confirmat, sed etiam aliquantisper ampliat.*

2. *Singulis religiosarum* etc. — Primum igitur praesto est religiosis mulieribus confessarius ordinarius. Confessarius huiusmodi dari debet singulis domibus religiosarum. An etiam domibus informibus? Etiam. Idque constat non solum ex eo, quod canon loquitur de *religiosarum domibus*, quae, ad normam can. 488 n. 5, vel formata vel informis esse potest; sed etiam ex responso a S. Congreg. de Relig. 10 ian. 1920 dato, imo ex responso ipsius Pont. Commissionis C. i. p., quae ab Episcopo Osnabrugensi rogata, etiam quoad confessarium extraordinarium, respondit: *Provisum in can. 520 et 521* (cfr. *Archiv. f. Kath. Kirchenr.*, 1921, p. 61). Nihil aliud!

3. *Unus dumtaxat* etc. — Lex sancta atque salutaris, praesertim ad uniformitatem disciplinae inter muliebris ingenii variationes servandam! Itaque unus est pro communitate universa confessarius constituendus. Haec regula, quae tamen

exceptionibus obnoxia est: nam duo vel etiam plures constitui possunt, si iusta causa subsit. Justam autem, praeter magnum religiosarum numerum, subesse causam censemus, cum ex. gr. domus religiosa sedes est novitiatus; causam vero necessariam, cum non una est lingua qua religiosae utuntur.

4. *Si qua religiosa* etc. — Et veniamus ad concessiones religiosis mulieribus a iure factas, ad conscientiae libertatem tuendam. Harum concessionum ratio atque natura ita, egregie pro more, describit Benedictus Pp. XIV (const. *Pastoralis curae,* 5 aug. 1748, § 1): *Pastoralis curae Nobis impositae munus, hanc, inter alias, sollicitudinem a Nobis exposcit, ut pusillorum animis, in afflictione et angustia constitutis, opportuna solatia ac remedia afferre non negligamus, quorum ope interiorem conscientiae tranquillitatem recuperare aut conservare valeant, sine qua impossibile est debitam omnipotenti Deo servitutem, alacri et prompta affectione exhibere. Huiusmodi angoribus et afflictionibus confici passim constat religiosas mulieres in claustris degentes, quibus certus et unicus sacramenti poenitentiae minister a monasterii Praelato ad tres, ut minimum, annos designari solet; cui si aliquando, prae pudore vel alia quapiam de causa, non omnes conscientiae suae recessus aperire audeant atque ideo confessionis integritati detrahere incipiant, in barathrum perditionis aeternae se ipsas misere coniiciunt. Quod sane haud raro evenire, satis nobis exploratum atque compertum est... Hinc est quod Nos, earum spiritualibus indigentiis... opportune prospicere volentes, non quidem intendimus consultissimam illam et veteris disciplinae auctoritate roboratam legem tollere aut abrogare, qua generaliter statutum esse dignoscitur, ut pro singulis monialium monasteriis unus dumtaxat confessarius deputetur, qui sacramentales confessiones universae earum communitatis excipiat, neque liceat unicuique moniali peculiarem confessarium pro libito sibi deligere; sed hoc dumtaxat Nobis propositum est constituere, ut, si quando generalis huiusmodi legis rigor, in peculiaribus casibus non sine animarum detrimento aut periculo servari posse videatur, in promptu sit opportunae dispensationis et indulgentiae remedia occurrentibus necessitatibus admovere.* Gravia Pontificis verba ideo per extensum attulimus, quod splendidam in hunc et subsequentes canones lucem diffundunt. Agitur itaque in altera hac paragrapho de confessario ordinario *speciali,* ut quibusdam eum nuncupare placet, alicui religiosae extra ordinem concedendum. Quocirca haec animadvertenda sunt: in primis tum tantum Ordinarium ad concedendum teneri, cum ei constiterit religiosam huiusmodi confessarium postulare vel *ad sui animi quietem* vel *ad maiorem in via Dei progressum;* deinde, concessione facta, Ordinarium teneri ad invigilandum, ne inde abusus irrepant; tertio, si forte abusus irrepserint, eidem Ordinario prudentissime esse agendum, salva conscientiae libertate, quae in dubio praevalere debet. Ceterum, versamur in mari scopulis pleno, ad quod feliciter traiiciendum, multa iugiter opus est Ordinario vigilantia, prudentia, caritate.

CAN. 521.

§ 1. *Unicuique religiosarum communitati detur confessarius extraordinarius qui quater saltem in anno ad domum religiosam accedat et cui omnes religiosae se sistere debent, saltem benedictionem recepturae.*

§ 2. *Ordinarii locorum, in quibus religiosarum communitates exsistunt, aliquot sacerdotes pro singulis domibus designent, ad quos pro sacramento poenitentiae in casibus particularibus recurrere eae facile possint, quin necessarium sit ipsum Ordinarium toties quoties adire.*

§ 3. *Si qua religiosa aliquem ex iis confessariis expetat, nulli Antistitae liceat nec per se nec per alios, neque directe neque indirecte, petitionis rationem inquirere, petitioni verbis aut factis refragari, aut quavis ratione ostendere se id aegre ferre.*

1. *Unicuique religiosarum* etc. — Praeter confessarium ordinarium, de quo supra, deputandus est, ex iure veteri ac novo, pro qualibet religiosarum communitate confessarius extraordinarius. Hic, ut muneri suo satisfaciat, saltem quater in anno (qua in re standum est iuri particulari et Ordinarii dispositionibus), statis temporibus, ad domum religiosam accedere debet. Vicissim religiosae omnes, eae etiam, si quae sint, quae confessario speciali, ad normam praecedentis canonis, utuntur, ad confessarium extraordinarium se sistere debent aut ad peragendam confessionem aut saltem ad benedictionem petendam ac recipiendam.

2. *Ordinarii locorum* etc. — Agitur in hac paragrapho de confessariis extraordinariis *adiunctis* vel *supplementaribus*, ut passim a canonistis vocantur, qui deputari debent pro singulis religiosarum domibus. Ratio ob quam deputandi sunt huiusmodi confessarii supplementares in hoc posita est, ut iis religiosae omnes uti possint in casibus particularibus, deficiente ex qualibet causa confessario ordinario vel extraordinario; aut etiam religiosae singulae, ex iusta causa, de qua in can. 520 § 2: et tum Antistitae de re inquirere aut quocumque modo contradicere non licet.

CAN. 522.

Si, non obstante praescripto can. 520, 521, aliqua religiosa, ad suae conscientiae tranquillitatem, confessarium adeat ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum, confessio in qualibet ecclesia vel oratorio etiam semi-publico peracta valida et licita est, revocato quolibet contrario privilegio; neque Antistita id prohibere potest aut de ea re inquirere, ne indirecte quidem; et religiosae nihil Antistitae referre tenentur.

1. Quo huius vexatissimi canonis (de confessario, ut vulgo dicitur, *occasionali*) sententia facilius appareat, in primis afferre placet responsa a Pont. Commissione C. i. p. 4 nov. 1920 et 28 dec. 1927 exhibita. Scilicet, iuxta primum responsum, *can. 522 ita est intelligendus, ut confessiones, quas ad suae conscientiae tranquillitatem religiosae peragunt apud confessarium ab Ordinario loci pro*

mulieribus approbatum, licitae et validae sint, dummodo fiant in ecclesia vel oratorio, etiam semi-publico, aut in loco ad audiendas confessiones mulierum legitime destinato. Juxta vero alterum responsum, *confessio religiosarum peracta extra loca, de quibus in can. 522 et in responso diei 4 nov. 1920, non solum illicita est, sed etiam invalida* et *verbum « adeat » canonis 522 est ita intelligendum, ut confessarius advocari queat per ipsam religiosam ad loca confessionibus mulierum vel religiosarum legitime destinata.* Deinde afferre praestat fontem, ex quo canon desumptus est, nempe decr. *Cum de sacramentalibus,* a S. Congr. de Religiosis 3 febr. 1913 latum. Ait igitur decretum, n. 14: *Si quando moniales aut sorores extra propriam domum, quavis de causa, versari contigerit, liceat iis in qualibet ecclesia vel oratorio, etiam semi-publico, confessionem peragere apud quamvis confessarium pro utroque sexu adprobatum. Antistita neque id prohibere neque de ea re inquirere potest, ne indireete quidem; religiosaeque nihil Antistitae suae referre tenentur.* Hisce praelibatis statim apparet discrimen inter utramque legem: scilicet, quod vi huius decreti permittebatur *extra propriam domum,* ex can. 522 praescripto ubique permittitur, dummodo impleantur conditiones in canone requisitae.

2. *Ad suae conscientiae tranquillitatem.* — Prima videlicet conditio, ut religiosa uti possit confessario *occasionali,* posita est in fine, quem religiosa in casu sibi proponit, idest conscientiae tranquillitatem. Quomodo haec verba intelligenda nobis videantur, antea diximus (cfr. comm. ad can. 519, n. 3). Quocirca minus nobis placet sententia cl. Chelodi (*Jus de personis,* ed. II, p. 430) et aliorum, qui tenent hanc primam conditionem non respicere validitatem actus: quod enim finis huiusmodi in foro externo semper praesumatur quodque rarissime in praxi deficiat, libenter damus; quod autem nunquam deficere possit quodque eius defectus non irritet confessionem religiosarum, aperte negamus. In primis namque permissio hoc in canone facta, per quam iurisdictio sacramentalis in religiosas toties quoties confessario a iure conceditur ac simul coarctatur Antistitae potestas, unicum habet fundamentum necessarium atque sufficiens, nempe consequendam conscientiae tranquillitatem. Hoc ablato fundamento, ratio canonis omnino evanescit. Deinde verba canonis *valida et licita est,* omnes praemissas conditiones afficit, non excluso fine (et quomodo excluderetur, cum ratio legis in eo consistat?) conscientiae pacandae. Tertio videtur finis huiusmodi ad valorem actus ideo etiam requiri, ne religiosa domorum disciplina inde periclitetur.

3. *Confessarium adeat.* — Usque ad diem 28 dec. 1927, rigidioribus interpretibus, nedum verbum *adeat* visum est haberi oportere tanquam conditionem ad confessionis validitatem necessariam, sed etiam veluti argumentum ineluctabile identitatis novi et veteris iuris, ex decr. *Cum de sacramentalibus,* supra a nobis allato, defluentis: hisce namque interpretibus, *adire confessarium* idem erat ac se conferre ad ecclesiam vel oratorium (in praxi a proprio oratorio vel ecclesia diversum) ibique ad confessarium pro tribunali sedentem accedere. Sed revera *adire confessarium* nihil aliud est, quam confessario uti, ad confessionem pera-

gendam. Unde, quemadmodum Pont. Commissioni placuisse antea vidimus, nihil prohibet quin *confessarius advocari queat per ipsam religiosam:* facultas enim *advocandi,* si aliter iure *adiri* non possit, necessario inclusa est in facultate *adeundi.* Nullius igitur est momenti verbum *adeat* ad explicationem et applicationem can. 522.

4. *Ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum.* — Altera conditio. Confessarius, ut capax sit iurisdictionis sacramentalis quam in casu canon 522 confert in religiosam eum adeuntem, debet iam fuisse ab Ordinario loci ad mulierum confessiones approbatus: scilicet non sufficit approbatio ad confessiones virorum, nec requiritur approbatio ad confessiones religiosarum, cum proprie hic consistat iurisdictio exceptionalis a canone collata. Haec autem pro mulieribus approbatio, nonnisi ab Ordinario loci obtineri potest, tum quoque cum confessarius est religiosus exemptus (can. 874).

5. *Confessio in qualibet ecclesia* etc. — Haec tertia conditio: ut confessio peragatur in qualibet ecclesia vel oratorio, seu publico seu semipublico (ac proinde excluso oratorio privato), vel, ut authentice interpretata est die 4 nov. 1920 et 28 dec. 1927 Pont. Commissio, *in loco ad audiendas confessiones mulierum vel religiosarum legitime destinato.* Quae postrema verba aliam e medio tollunt rationem dubitandi: nam expresse recipiunt nostram sententiam, qua semper censuimus loca confessionibus religiosarum (id est cuiuscumque generis) legitime destinata, ecclesiae hoc in casu esse aequiparanda, ac proinde nullum amplius dubium subesse posse, quin permissio can. 522 monialibus quoque suffragetur.

6. *Valida et licita est* etc. — Tribus hisce conditionibus impletis, religiosarum confessio licita et valida est: nempe licita, quia expresse a iure permissa; valida, quia tum semper confessarius, iurisdictione sacramentali in eas religiosas per se destitutus, iurisdictionem a iure recipit. Vicissim, una tantum ex praemissis conditionibus deficiente, confessio et illicita est et invalida,

7. *Revocato quolibet contrario privilegio.* — Jure communi (excepto casu, de quo in can. 884) Christifidelium confessio, apud confessarium pro utroque sexu approbatum peracta, semper licita et valida est. E contra, religionum hac in re disciplina peculiari iure regebatur ac regitur (can. 876). Unde S. Congr. de religiosis, in clausula decr. 5 aug. 1913, loquitur de *constitutionibus, ordinationibus apostolicis, privilegiis qualibet efficaciori forma concessis, aliisque* etc.: quae omnia supra explicavimus (cfr. comm. ad can. 519 n. 4). Hactenus de confessario occasionali religiosarum. Et modo videamus de confessario religiosarum graviter aegrotantium.

CAN. 523.

Religiosae omnes, cum graviter aegrotant, licet mortis periculum absit, quemlibet sacerdotem ad mulierum confessiones excipiendas approbatum, etsi non destinatum religiosis, arcessere possunt eique, perdurante gravi infirmitate, quoties voluerint, confiteri, nec Antistita potest eas sive directe sive indirecte prohibere.

Canonis praescriptum omnes prorsus religiosas comprehendit, ideoque e moniales; item comprehendit tum casum gravis infirmitatis (moraliter aestimandae) tum periculum mortis: non enim possunt religiosae (cfr. comm. ad can. 522 n. 7), nisi in casu necessitatis (nempe si confessarii pro mulieribus approbati omnino desint), uti concessione in can. 882 contenta. Itaque, quousque infirmitas uti gravis haberi potest, hoc canone facultas fit religiosis sororibus ac monialibus advocandi, quoties voluerint, quemlibet sacerdotem ad mulierum confessiones excipiendas approbatum, etsi non destinatum religiosis. Religiosis mulieribus destinati sunt confessarii ordinarii (cfr. can. 520 § 1), speciales (cfr. can. 520 § 2), extraordinarii (cfr. can. 521 § 1) atque supplentes (cfr. can. 521 § 2), de quibus in praecedentibus canonibus: hos advocare religiosa graviter aegrotans minime tenetur. Sed, ex adverso, neque advocare potest, nisi necessitas urgeat, sacerdotem qui pro confessionibus mulierum approbatus non fuerit.

Can. 524.

§ 1. *In munus confessarii religiosarum et ordinarii et extraordinarii deputentur sacerdotes, sive e clero saeculari, sive religiosi de Superiorum licentia, morum integritate ac prudentia praestantes; sint insuper annos nati quadraginta, nisi iusta causa, iudicio Ordinarii, aliud exigat, nullam potestatem in easdem religiosas in foro externo habentes.*

§ 2. *Confessarius ordinarius non potest renuntiari extraordinarius nec, praeter casus in can. 526 recensitos, rursus deputari ordinarius in eadem communitate, nisi post annum ab expleto munere; extraordinarius vero immediate ut ordinarius renuntiari potest.*

§ 3. *Confessarii religiosarum tum ordinarii tum extraordinarii interno vel externo communitatis regimini nullo modo sese immisceant.*

1. *In munus confessarii* etc. — Hucusque de variis confessariorum generibus; modo de qualitatibus ac munere confessariorum religiosarum. Quocirca animadvertendum est, unam tantummodo ex hisce qualitatibus permissam esse prudenti iudicio ac potestati Ordinarii, nempe aetas (haud raro namque reperiuntur in rerum natura et iuvenes prudentia cani, et senes pueriliter agentes): ceterae qualitates, seu ex iure divino seu ecclesiastico, ex Ordinariorum potestate subtractae sunt. Deinde animadvertendum, solummodo in confessariis religiosarum ordinariis et extraordinariis (non in ceteris) huiusmodi qualitates a iure communi expresse requiri.

2. *Nullam potestatem in easdem* etc. — A munere confessarii religiosarum prohibetur, qui externi fori potestatem in easdem religiosas exercet. Jus nostrum, quod, praeterquam ad forum externum, spectat quoque, tanquam ad provinciam sibi propriam, ad internum forum, summa diligentia cavet, ne alterutrius negotia cum negotiis alterius permisceantur. Et hac de causa, sicut vetat, ne canonicus poenitentiarius aliud in dioecesi officium suscipiat, cui adnexa sit iurisdictio in

foro externo (can. 399 § 3), et ne officium Vicarii Generalis canonico poenitentiario aut parocho aliive curam animarum habenti committatur (can. 367 § 3); ita etiam vetat, ut alia omittamus, ne munus confessarii ordinarii vel extraordinarii religiosarum conferatur presbytero, quoad easdem religiosas potestatem habenti in foro externo. Et inde neque Superior regularis, neque Episcopi Vicarius pro religiosis aut religiosarum scholis Praefectus, quoad religiosas sibi quisque subiectas, confessarius ordinarius vel extraordinarius renuntiari potest. E contra non video quare parochus, qua talis, sit excludendus, cum, ceterum, universi gregis sibi commissi sit confessarius ordinarius.

3. *Confessarius ordinarius non potest* etc. — Paragraphi praescriptum vim habet irritantem (cfr. can. 11): hanc enim secumfert, in rebus ad potestatem iurisdictionis pertinentibus, locutio *non potest,* cum aperte significet adeptam esse potestatem agendi. Quare, si loci Ordinarius confessarium ordinarium, absque annali interstitio, renuntiaverit extraordinarium, nullam iurisdictionem confert, nihil agit; si ordinarium confessarium ad alterum vel ad tertium triennium immediate confirmaverit, idque de facto non urgeat presbyterorum idoneorum penuria aut legitimum religiosarum suffragium ad normam can. 526, nihil agit. Possunt tamen et hisce in casibus confessiones esse validae, cum facillime suffragare possit error communis; idque eo magis, quod tum semper, praeterea, extat titulus *coloratus* (cfr. can. 209).

4. *Confessarii religiosarum* etc. — Verum quidem est palaestram, in qua agere debent confessarii de quibus supra, esse conscientiam religiosarum; finem vero necessarium, sufficientem atque unicum, maiorem earum in via Dei progressum. At inde quis, imprudenter, occasionem capere facile possit, communitatis regimini sese immiscendi; et tamen fines statuere impossibile est, cum omnia possint conscientiae ambitu comprehendi. Quid ergo? Confessarius confessarium agat; a particularibus negotiis, communitatis regimen respicientibus, sese abstineat, nisi eius consilium fuerit expresse exquisitum; tum vero prudentissime respondeat, nec postea sua sponte ad propositum revertatur.

CAN. 525.

Si religiosarum domus Sedi Apostolicae immediate subiecta sit vel Ordinario loci, hic eligit sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extraordinarios; si Superiori regulari, hic confessarios Ordinario praesentat, cuius est eosdem pro audiendis illarum monialium confessionibus approbare et Superioris negligentiam, si opus sit, supplere.

1. Canon agit de nominatione confessarii religiosarum. Nominatio huiusmodi tria complectitur: designationem personae, eiusdem approbationem et collationem iurisdictionis sacramentalis. Jurisdictionem, ad confessiones quarumcumque religiosarum et novitiarum excipiendas, semper et exclusive confert Ordinarius loci, ubi religiosarum domus sita est (can. 876 § 2). Quod quidem, ubi de mo-

nialibus Superiori regulari subiectis agitur, prima fronte videtur in iure *antinomia:* inde enim iurisdictio sacramentalis descendere oporteret, ubi residet universa in poenitentem iurisdictio, idest a Superiore regulari. At cum loci Ordinario competat, ratione suae potestatis territorialis, ius et officium invigilandi, ne quid intra fines dioecesis contingat, quod in discrimen inducat ecclesiasticam disciplinam; cumque hac de causa inter alia possit, summo quidem iure ad normam can. 527 uti postea videbimus, quoscumque confessarios quarumcumque religiosarum ab officio amovere, imo id possit inconsulto Superiore regulari: inde, consequenter, potestati Ordinariorum localium iure committenda erat, hoc in casu, iurisdictionis sacramentalis collatio. Confessarii vero approbatio nihil aliud est, quam declaratio idoneitatis ad confessiones quarundam personarum excipiendas. Hanc quoque, ob causas supra allatas, semper, cum agitur de religiosis mulieribus, Ordinarius loci concedit. Tandem restat designatio personae confessarii, quae proculdubio est in praxi maximi momenti. Haec, pro rerum adiunctis vel ad Ordinarium loci spectat vel ad Superiorem regularem.

2. *Si religiosarum domus* etc. — Supra vidimus (cfr. comm. ad can. 500 et 506, n. 2) posse religiosarum domum subiectam esse vel Ap. Sedi vel Ordinario loci vel Superiori regulari. Agitur in canone de subiectione *facti,* quidquid sit de subiectione *iuris,* quam forte postulet natura religionis. Praeterea canon agit tantummodo de confessario ordinario et extraordinario, nam confessarii speciales ac supplentes, ad normam can. 520 § 2 et 521 § 2, ab uno loci Ordinario designantur. Ut igitur paucis omnia perstringamus, Superioribus regularibus non relinquitur, nisi ius praesentandi Ordinario loci personas confessarii ordinarii et extraordinarii religiosarum, illi de facto subiectarum: quas personas Ordinarius, si revera idoneae fuerint, approbare tenetur eisque iurisdictionem sacramentalem conferre. Cetera omnia, non excluso iure et officio supplendi hac in re negligentiam Superioris, ad potestatem spectant Ordinarii loci.

Can. 526.

Religiosarum confessarius ordinarius suum munus ne exerceat ultra triennium; Ordinarius tamen eum ad secundum, imo etiam ad tertium triennium confirmare potest, si vel ob sacerdotum ad hoc officium idoneorum penuriam aliter providere nequeat, vel maior religiosarum pars, earum quoque quae in aliis negotiis ius non habent ferendi suffragium, in eiusdem confessarii confirmationem, per secreta suffragia, convenerit; dissentientibus tamen, si velint, aliter providendum est.

1. *Religiosarum confessarius* etc. — Canon agit de duratione et prorogatione muneris confessarii ordinarii religiosarum. Extraordinarius vero confessarius lege triennii non tenetur et, cum Codex i. c. hac de re sileat, eius muneris duratio commissa videtur prudenti iudicio Ordinariorum localium ac Superiorum regularium. Itaque uterque Ordinarius regulariter tenetur, post triennium, alium confessarium ordinarium sufficere aut praesentare, ad normam can. 525.

2. *Ordinarius tamen cum* etc. — Duobus autem in casibus facultas iure fit Ordinariis confessarii ordinarii munus prorogandi ad alterum, imo etiam ad tertium triennium: si nempe, ob penuriam presbyterorum ad hoc officium idoneorum, novum confessarium sufficere non possint: quod planum est, nam ad impossibilia nemo tenetur; ac deinde si, quamvis nulla fuerit confessariorum penuria, communitas ipsa legitime petierit prorogationem muneris.

3. *Vel maior religiosarum.* etc. — Ut autem huius prorogationis petitio censeatur legitime facta, requiritur: — 1) quod fiat per secreta suffragia, idque ad omnimodam religiosarum libertatem tutandam; — 2) quod fiat a maioritate religiosarum, nempe absolutam, ut exquirere videtur negotii natura; — 3) quod omnes prorsus religiosae (quia omnium interest eius muneris prorogatio) suffragium ferant, eae quoque quae in aliis negotiis ius suffragii non habent; — 4) quod dissentientibus, si velint, aliter provideatur, idest per confessarium specialem, ad normam can. 520 § 2.

CAN. 527.

Loci Ordinarius, ad normam can. 880, potest, gravem ob causam, religiosarum confessarium tam ordinarium quam extraordinarium amovere, etiamsi monasterium regularibus subdatur et ipse sacerdos a confessionibus sit regularis, nec tenetur causam amotionis cuiquam significare, excepta Ap. Sede, si ab ea requiratur; de amotione autem debet Superiorem regularem monere, si moniales regularibus subdantur.

1. *Loci Ordinarius* etc. — Agitur in canone amotio confessarii ordinarii et extraordinarii religiosarum. Estque canon ferreus, quo hac in re tanta in Ordinariis localibus congeritur potestas, ut haec fere absoluta videatur. Neque nova est huiusmodi dispositio: ait enim Gregorius Pp. XV, const. *Inscrutabili,* 5 febr. 1622: *Confessores vero, sive regulares sive saeculares quomodocumque exempti tam ordinarii quam extraordinarii, ad confessiones monialium, etiam regularibus subiectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo, dioecesano... approbationem obtineant... Liceatque Episcopo ex rationabili causa Superiores regulares admonere, ut eiusmodi confessores... amoveant; iisque Superioribus id facere detrectantibus aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem praedictos confessores... amovendi, quoties et quando opus esse iudicaverit.* Nec satis: nam S. Congr. Episc. et Reg., de re rogata, respondit, uti refert Maupied (*Jur. can. compend.,* p. III, lib. VIII, § 6, n. 7), *non teneri* (nempe Episcopos) *eiusmodi causam* (scil. amotionis confessarii) *significare Superioribus regularibus; sed hoc relinqui arbitrio et prudentiae Episcoporum, quorum conscientiam S. Congregatio serio oneravit, ne facultate sibi hac in parte attributa quoquomodo abutantur, eius rei in districto Dei iudicio rationem reddituri.* Ex quibus etiam patet, unde desumptus sit canonis textus.

2. *Gravem ob causam* etc. — Itaque videamus quinam sint hac in re li-

mites potestatis Ordinariorum localium: quibus cognitis, facile apparebit potestatis amplitudo. Itaque in primis eorumdem Ordinariorum potestas limitatur ex eo, quod loci Ordinarius, ad normam can. 880 § 1, confessarios religiosarum amovere aut suspendere non potest sine causa gravi. Sed causae huiusmodi et existentia et gravitas, cum nihil ius commune expresse statuat, perpendenda remittitur prudenti iudicio Ordinariorum. Deinde episcopalis potestas limitatur ex eo, quod, ad normam can. 880 § 3, loci Ordinario non *licet,* inconsulta Ap. Sede, si de domo religiosa formata agatur, omnibus simul eiusdem confessariis iurisdictionem adimere. Domus confessarii proprie sunt tantummodo ordinarius et extraordinarius, nam hi soli proprie appellari possunt confessarii *domus religiosae,* dum ceteri non sunt nisi confessarii *singularum religiosarum.* Quapropter non *licet* (Legislator haud scripsit *non potest:* unde salva semper esse videtur validitas amotionis, nempe iurisdictionis sacramentalis ademptio, ita ut confessarii illicite amoti non amplius valide absolvere possint) loci Ordinario confessarium et ordinarium et extraordinarium simul amovere a domibus formatis. Sed hinc consequitur, licere Ordinario eosdem confessarios simul amovere a domibus informibus, quas etiam domus iisdem confessariis instructas esse oportere, cum cl. Oesterle (*Archiv für kath. Kirchenr.,* 1923, p. 143), censemus; idque vi can. 520 § 1, ubi verbum *domus,* ad normam can. 488 n. 5, utrumque domorum genus comprehendere videtur.

3. *De amotione autem debet* etc. — Quod autem loci Ordinarius debeat Superiorem regularem (cuius est novum praesentare confessarium) de amotione monere, si moniales regularibus subdantur, nihil detrahit eiusdem Ordinarii amplissimae potestati. Eodemque modo eidem potestati nihil detrahit recursus, seu Superioris regularis seu monasterii, qui in devolutivo semper patet ad Principem supremum, quique in canone implicite innuitur per verba: *excepta Apostolica Sede, si ab ea* (nempe de re per recursum certiore facta) *requiratur.*

Can 528.

Etiam in laicalibus virorum religionibus deputetur, ad normam can. 874 § 1, 875 § 2, confessarius ordinarius et extraordinarius; et si religiosus aliquem specialem confessarium expostutet, illum Superior concedat, nullo modo petitionis rationem inquirens neque id aegre se ferre demonstrans.

Legislator, postquam egit de confessariis religionum laicalium mulierum, agit hoc in canone de confessariis religionum laicalium virorum. Quidnam hoc nomine veniat, antea diximus (cfr. comm. ad can. 488, n. 4). Religio autem laicalis aut exempta est aut non exempta: utrumque genus praeditum esse debet confessariis ordinariis, extraordinariis et, si casus ferat, specialibus.

Scilicet, si agatur de religione laicali virorum exempta, Superior regularis ius habet confessarios loci Ordinario praesentandi, ad normam can. 875 § 2; Ordinarius vero, nempe loci in quo domus religiosa sita est, ius et officium

habet approbandi et iurisdictionem sacramentalem conferendi. Ex adverso, si agatur de religione non exempta, approbationem Ordinarius et iurisdictionem libere confert, ad normam can. 874 § 1; quam tamen iurisdictionem confessarii religiosi, sine Superioris sui religiosi licentia saltem praesumpta, exercere non possunt.

Praeterea, ad normam huius can. 528, si qui religiosis laicalis sodalis specialem confessarium expostulaverit, Superior eiusdem religionis concedere tenetur. Et tum confessarius specialis nulla peculiari approbatione vel iurisdictione indiget, sed sufficit ut fuerit ad confessiones virorum in dioecesi approbatus.

Tandem, ad normam can. 874, § 1, potest idem sodalis, si casus ferat, libere uti permissione in can. 519 facta.

CAN. 529.

Si agatur de religionibus laicalibus non exemptis, Ordinarii loci est sacerdotem a sacris designare et a concionibus probare; si de exemptis, Superior regularis eosdem sacerdotes designat eiusque negligentiam supplet Ordinarius.

1. Canon agit de cappellanis religionum laicalium. Itaque videamus de eorum nominatione, munere, remotione. Quia vero, ut monet Tullius, semper a rei definitione incipiendum est, religionum laicalium cappellanos eos presbyteros dicimus, qui apud easdem religiones sacrum ministerium, confessione excepta, legitime exercent. Sacrum autem ministerium dividitur potissimum in ministerium altaris et ministerium divini verbi: inde in canone distinctio inter *sacerdotem a sacris* et *sacerdotem a concionibus;* quae tamen ministeria in uno plerumque cappellano cumulantur, sicuti, nullo iure prohibente, cumulari quoque possunt munus confessarii et cappellani.

2. *Si agatur de religionibus* etc. – Si religio cappellanis instruenda non sit exempta, tum cappellanos nominat Ordinarius loci, ubi domus religiosa reperitur. E contra, si exempta sit religio, tum cappellanos nominat Superior regularis, habita tamen ratione iurium, Ordinario loci a can. 1337 et 1338 attributa quoad divini verbi praedicationem: nemo namque, ad normam eorum canonum, potest intra fines dioecesis concionari (exceptis concionibus exempti ad exemptos eorumque familiares), quin prius aliquo modo approbatus fuerit a loci Ordinario. Estque praeterea eidem Ordinario ius atque obligatio, Superioris regularis hac in cappellanorum nominatione negligentiam supplendi.

3. *A sacris... et a concionibus* etc. — Cappellanorum munus sacramenta, sacramentalia, sacras functiones, divini verbi praedicationem ac tandem funera complectitur. Ex sacramentis, praeter Missae celebrationem, cappellani sanctissimum Eucharistiae sacramentum et quandoque extremam unctionem administrant. Quocirca observandum est, delationem sanctissimae Eucharistiae per modum viatici, ad confessarium ordinarium, si agatur de monialibus; ad parochum, si agatur de quacumque alia religione laicali, spectare (can. 514, § 2). Quare id cappel-

lanis competere non potest, nisi vel, ad normam can. 514, § 2 et 3, ex expressa aut praesumpta delegatione, confessarii aut parochi vices gerant, vel domus religiosa fuerit ad normam can. 464, § 2, a parochi cura subducta. Item possunt cappellani ea sacramentalia easque sacras functiones peragere, quae aliis non fuerint reservata. De sacris concionibus, supra (n. 2) diximus. Tandem, quoad funera haec tenenda videntur: — 1) Ad cappellanum vel ad alium, ex delegatione Superioris religiosi, pertinent funera professorum, novitiorum ac famulorum, cuiuscumque religionis laicalis virilis, qui in religiosa domo decesserint vel ad eam sint deferendi (can. 1221): — 2) Ad cappellanum pertinent funera professorum, novitiorum ac famulorum, cuiuscumque monasterii parocho non obnoxii, qui in domo religiosa decesserint (can. 1230, § 5). Ceterarum religionum muliebrium funera ad parochum spectant. Ab eo autem possunt cappellani ex officio removeri, a quo fuerint nominati vel ab eius Superiore.

Can. 530.

§ 1. *Omnes religiosi Superiores districte vetantur personas sibi subditas quoquomodo inducere ad conscientiae manifestationem sibi peragendam.*

§ 2. *Non tamen prohibentur subditi quominus libere ac ultro aperire animum suum Superioribus valeant; imo expedit ut ipsi filiali cum fiducia Superiores adeant, eis, si sint sacerdotes, dubia quoque et anxietates suae conscientiae exponentes.*

1. Apud monachos, qui vitam seu anachoreticam seu coenobiticam antiquitus professi sunt, nihil communius nihilque utilius atque iucundius, quam conscientiae manifestatio coram venerabilibus moderatoribus ac patribus frequenter peracta. Haecque sancta et salutaris consuetudo saepe fuit, usque ad aetatem nostram, firmata atque sancita religionum constitutionibus. At, *quemadmodum omnium rerum humanarum*, ait S. Congr. Episc. et Regul. (decr. *Quemadmodum*, 17 dec. 1890), *quantumvis honestae sanctaeque in se sint, ita et legum sapienter conditarum ea conditio est, ut ab hominibus ad impropria et aliena ex abusu traduci ac pertrahi valeant: ac propterea quandoque fit, ut intentum a legislatoribus finem haud amplius assequantur, imo et aliquando, ut contrarium sortiantur effectum.* Et S. Congregatio prosequitur: *Idque dolendum vel maxime est obtigisse quoad leges plurium Congregationum... sive mulierum... sive virorum, professione ac regimine penitus laicorum: quandoquidem aliquoties in illorum constitutionibus conscientiae manifestatio permissa fuerat, ut facilius alumni arduam perfectionis viam ab expertis Superioribus addiscerent; e contra a nonnullis ex his intima conscientiae scrutatio, quae unice sacramento poenitentiae reservata est, inducta fuit... et... extensa in id... ut* (subditis) *ad sacram synaxim accedere vel pro lubitu permiserint, vel omnino interdum prohibuerint. Idque... in animarum discrimen, in conscientiarum anxistatem ac... in externae pacis turbationem.* Sequitur pars dispositiva decreti, quae in canone substantialiter refertur.

2. *Omnes religiosi* etc. — Lex in canone contenta omnino generalis est et omnes respicit Superiores religiosos utriusque sexus et cuiuscumque gradus, qui quocumque modo personas habent *sibi subditas*. Scilicet huiusmodi Superiores districte vetantur personas sibi subditas, quoquo modo inducere ad conscientiae manifestationem sibi peragendam. Conscientiae manifestatio res est quae non fit nisi voluntarie. Oportet ergo voluntas *inducatur*, idest quocumque modo, carcere, exilio, verberibus, ablatione libertatis, minis, suasionibus, oblectamentis, blanditiis flectatur. Sed haec omnia vetantur: nempe vetatur quidquid, in casu, voluntatem subditi inducere potest ad conscientiae manifestationem. Hoc est *sibi* peragendum: non enim vetitum est honeste suadere, ut haec manifestatio alii fiat, si id utile videatur.

3. *Non tamen prohibentur* etc. — Itaque Superiores inducere non possunt ullo modo aut quacumque de causa: obligatio est absoluta. At non vetantur, imo suadentur, a iure subditi ut manifestationem, qua de agitur, peragant. Tamen, si duplex adsit conditio: quod libere et quod ultro agant. Libere, idest non coacti; ultro seu sponte, idest non inducti. Quod si Superior inducere conetur, ut sibi animum aperiant, et subditi prohibentur: nam, ad normam canonis, tum tantum non prohibentur, cum agitur de animo libere et ultro aperiendo.

CAPUT III.

DE BONIS TEMPORALIBUS EORUMQUE ADMINISTRATIONE.

CAN. 531.

Non modo religio, sed etiam provincia et domus sunt capaces acquirendi et possidendi bona temporalia cum reditibus stabilibus seu fundatis, nisi earum capacitas in regulis et constitutionibus excludatur aut coarctetur.

1. Bona temporalia religiones, ex variis fontibus sibi derivantia, usque ab Ecclesiae primordiis acquisiverunt, administraverunt, alienaverunt. (Cfr. Thomassin, *Vetus et nova Eccl. discipl.* t. III). Quo iure? Agitur sane de bonis ecclesiasticis, cum ad personam moralem ecclesiasticam legitime erectam pertinere intelligantur (can. 1497 § 1). Bona autem ecclesiastica cuiuscumque generis, primo et principaliter pertinent ad Deum; deinde, vi primatus, ad supremum Ecclesiae Pastorem, id est ad R. Pontificem; tertio ad ecclesiasticam inferiorem personam, in cuius possessione sunt. At alia atque alia ratione. Cum enim bona ecclesiastica ita finibus Ecclesiae propriis (cfr. can. 1495) seu, tandem aliquando, Deo sint devota, ut in nullius potestate sit ea bona ad alium absolute finem deflectendi, dicendum est, eorum bonorum dominium esse apud Deum; ius vero et obligationem administrandi in primis apud R. Pontificem, subordinate autem apud personam ecclesiasticam, quae est in eorum possessione.

2. *Non modo religio* etc. — Habes hic tria personarum moralium genera: religiones, provincias, domos religiosas, seu quidquid hisce nominibus de facto respondet; quae igitur omnes nativo iure capaces sunt acquirendi, administrandi et alienandi bona temporalia ecclesiastica, nisi quid R. Pontifex per ius positivum exceperit. Advertas, Legislatorem hic loqui de capacitate possidendi, non de capacitate dominii, quod apud Deum esse diximus. Hanc autem possessionem, quae per se non est nisi merum factum, omnia, cum adest, possessoris iura consequuntur.

3. *Nisi earum capacitas* etc. — Capacitas possidendi religionis, provinciae, domus in regulis et in constitutionibus quandoque coarctatur, veluti in Societate Jesu (Vermeersch, *Epitome,* I, n. 507), quandoque vero penitus excluditur, veluti in Ordine Minorum Capulatorum. Quocirca S. Congreg. Episc. et Reg., rogata *an Capuccini possint iudicialiter petere legatum, eis pro oleo, fabrica aliarumque necessitatum causa relictum:* respondit: *Negative. Et insuper censuit* (prosequitur Bizzarri, *Collectanea* S. C. Ep. et Reg., p. 279) *danda esse decreta alia edita, nempe Fratres Capuccinos S. Francisci non esse capaces possidendi bona stabilia, nec propterea posse recipere legata, redditus, coeterasque oblationes herpetuas.*

4. *Cum reditibus stabilibus* etc. — Si quid itaque in quibusdam religionibus excipitur, non sunt bona *manualia,* sed bona stabilia. Omnes igitur religiones capaces sunt possessionis habendae et exercendae quoad bona manualia, quaedam vero incapaces sunt possessionis huiusmodi quoad bona stabilia; tandem nulla religio capax est, ut supra, veri nominis dominii ac proprietatis.

CAN. 532.

§ 1. *Bona tum religionis, tum provinciae domusque, administrentur ad normam constitutionum.*

§ 2. *Expensas et actus iuridicos ordinariae administrationis valide, praeter Superiores, faciunt, intra finem sui muneris, officiales quoque, qui in constitutionibus ad hoc designantur.*

1. *Bona tum religionis* etc. — Bonorum religionum administratio ad normam constitutionum, in quantum constitutiones interpretantur et complent ius commune, fieri debet. Obligationes, quibus ad normam can. 1523 omnes ecclesiastici administratores tenentur, religionum quoque administratores respiciunt. Qui proinde debent: — 1. Vigilare ne bona sibi concredita quoquo modo detrimentum capiant; — 2. Dispositiones servare iuris, tum canonici tum civilis, fundatoris, donatoris et cuiuscumque legitimae auctoritatis; — 3. Reditus accurate exigere, loco tuto servare et legitime impendere; — 4. Accepti et impensi libros habere bene ordinatos; — 5. Documenta et instrumenta diligentissime custodire. Et hinc patet in quo proprie consistat bonorum administratio, prout acquisitioni opponitur.

2. *Expensas et actus* etc. — Actus ordinariae administrationis cl. Vromant (*De bonis Eccl. tempor.*, n. 173) hos recenset: acceptationem solutionum a debitoribus aut agrorum domorumve conductoribus; perceptiones annuas ex titulis crediti; emptiones et venditiones rerum, quae ad usum quotidianum personae moralis requiruntur; oeconomicam ad breve tempus occupationem pecuniarum, quae ad summam capitalem non pertinent; acceptationem donorum manualium minoris momenti; denique locationem bonorum, quorum valor non excedat summam mille francorum aureorum, quaeque perdurare non debeat ultra novennium. Ex adverso, veluti actus qui excedant fines ordinariae administrationis habendi sunt subsequentes: hereditatem adire; legatum, donationem legitime factam, pias fundationes acceptare vel iisdem renuntiare; bona immobilia emere; magnam pecuniae vim mutuo accipere; aedes sacras, coemeteria aut aedificia ecclesiastica condere vel transformare aut extraordinarias reparationes facere; scholas paroeciales aut instituta iuventuti recreandae addicta excitare; capitationes imponere, collectas inducere; in iudicio agere aut respondere; pecuniam, quae ad summam capitalem pertinet, non precarie collocare vel collocationem immutare; titulos convertere, qui ad summam capitalem pertinent; bona immobilia, vendere, permutare, hypothecae subiicere, oppignorare, servitute onerare; locationes peragere bonorum, quorum valor excedat summam mille francorum aureorum, quaeque perdurare debeat ultra novennium; denique sacras aedes, aedificia ecclesiastica evertere aut paroecialia instituta supprimere. Expensas, igitur, omnesque actus iuridicos, qui ad ordinariam administrationem pertinent, in primis valide perficere potest Superior domus, provinciae aut religionis, iuxta gradum potestatis; Superioris namque, etiam localis, officium ita intelligitur, ut omnia quae unam saltem domum religiosam respiciunt, legitime comprehendat. Sed praeterea actus huiusmodi valide perficere possunt officiales, quocumque nomine appellentur, quos constitutiones ad hoc munus designant. Estque id merito introductum, ne Superiores, qui spiritualem domus oeconomiam in primis curare tenentur, gravarentur onere temporalis administrationis. Est tamen inter potestatem hac in re Superiorum et officialium discrimen: dum enim officialis, ut valide agat et communitatem obliget, non potest excedere fines sui muneris, e contra Superior, etiam localis, fines inferioribus officialibus praestitutos plerumque excedere potest, dummodo non excedat fines officii sui: est namque illi universum domus regimen concreditum.

CAN. 533.

§ 1. *Pro pecuniae quoque collocatione servetur praescriptum can. 532, § 1; sed praevium consensum Ordinarii loci obtinere tenentur:*

1. *Antistita monialium et religionis iuris dioecesani pro cuiusvis pecuniae collocatione; imo, si monialium monasterium sit Superiori regulari subiectum, ipsius quoque consensus est necessarius;*

2. *Antistita in Congregatione religiosa iuris pontificii, si pecunia dotem professorum constituat, ad normam can. 549;*

3. *Superior vel Antistita domus Congregationis religiosae, si qui fundi domui tributi legative sint ad Dei cultum beneficentiamve eo ipso loco impendendam;*

4. *Religiosus quilibet, etsi Ordinis regularis alumnus, si pecunia data sit paroeciae vel missioni, aut religiosis intuitu paroeciae vel missionis.*

§ 2. *Haec item servanda sunt pro qualibet collocationis mutatione.*

1. *Pro pecuniae quoque* etc. — Sicuti in praecedente canone agebatur de iis, quibus a iure bonorum domus religiosae administratio ordinaria committitur, ita hoc in canone et subsequentibus agitur de praecipuis actibus administrativis, qui a praefatis administratoribus sine aliorum consensu perfici non possunt. Et in primis de pecuniae collocatione atque, quod in idem redit, de collocationis mutatione. Hic actus valide perfici potest ab ordinariis administratoribus, de quibus in canone praecedenti, sed in quibusdam rerum ac personarum adiunctis, perfici non potest sine Ordinariorum consensu.

2. *Antistita monialium* etc. — Scilicet sunt religiones, in quibus nulla collocatio pecuniae libere fieri potest: primum religiones iuris dioecesani, in quibus, propter amplissimam in eas Ordinarii loci auctoritatem, eius praevius consensus semper requiritur; deinde monasteria monialium cuiuscumque generis (earum etiam, quarum vota de facto simplicia sunt - cfr. can. 488 n. 7) sive Superiori regulari sive loci Ordinario subsint: quod si subsint Superiori regulari, duplex consensus toties quoties requiritur. Atque ita consulitur rei oeconomicae peculiari imperitiae, qua moniales plerumque afficiuntur.

3. *Antistita in Congregatione* etc. — Sunt autem religiones, in quibus collocatio pecuniae semper libera est, hoc vel illo tantummodo casu excepto. Idque in primis dicendum est de mulierum Congregationibus religiosis iuris pontificii, in quibus tum tantum consensus Ordinarii loci est exquirendus, cum agitur de collocanda, ad normam can. 549, pecunia, quae professarum dotem constituat. Et hac ratione, in hisce Congregationibus, quae ceterum satis peritae esse solent rei oeconomicae, incolumitati dotum consulitur.

4. *Superior vel Antistita* etc. — Praeterea loci Ordinarii consensu indiget domus religiosa Congregationis iuris pontificii, seu virorum seu mulierum, quoties pecunia collocanda ideo legata vel tributa est, ut ibidem in divinum cultum aut beneficentiae opera impenderetur. Tum namque pecunia non proprie religionis interest, sed loci et ideo loci Ordinarii.

5. Tandem loci Ordinarii consensu indiget quaevis domus religiosa iuris pontificii, seu virilis seu muliebris, quoties pecunia ab ea collocanda, legata, donata vel tributa est paroeciae aut missioni cum eadem domo religiosa coniunctae, vel, si religiosis data, paroeciae vel missionis intuitu data est: etenim tum paroecia, qua talis, tum missio, a loci Ordinario (Episcopo residentiali, vel Vicario aut Praefecto apostolico) directe dependet.

CAN. 534.

§ 1. *Firmo praescripto can. 1531, si agatur de alienandis rebus pretiosis aliisve bonis quorum valor superet summam triginta millium francorum seu libellarum, vel de contrahendis debitis et obligationibus ultra indicatam summam, contractus vi caret, nisi beneplacitum apostolicum accesserit; secus requiritur et sufficit licentia, in scriptis data, Superioris ad normam constitutionum cum consensu sui Capituli seu Consilii per secreta suffragia manifestato; sed si agitur de monialibus aut sororibus iuris dioecesani, accedat necesse est consensus, in scriptis praestitus, Ordinarii loci, necnon Superioris regularis, si monialium monasterium eidem subiectum sit.*

§ 2. *In precibus pro obtinendo consensu ad contrahenda debita vel obligationes, exprimi debent alia debita vel obligationes, quibus ipsa persona moralis, religio vel provincia vel domus, ad eum diem gravatur; secus, obtenta venia invalida est.*

1. *Firmo praescripto* etc. — In canone continentur normae quibus reguntur alienationes et, quod iisdem aequiparatur, aes alienum religiosorum. Et primum Legislator confirmat can. 1531, vi cuius: — 1. *Res minore, quam quod in aestimatione indicatum est pretium, alienari non debent;* — 2. *alienatio fieri debet per publicam licitationem aut nota reddi, nisi aliud circumstantiae suadeant: et res ei concedi qui, omnibus perpensis, plus obtulerit;* — 3. *pecunia ex alienatione percepta, caute, tuto et utiliter in commodum Ecclesiae collocanda est.* Itaque firmis hisce normis, quibus describitur modus in alienationibus omnium bonorum ecclesiasticorum sequendus, canon statuit quorum consensus, ad actus validitatem, in alienationibus requiratur, et quidnam requiratur ut consensus huiusmodi valide petatur.

2. *Si agatur de alienandis* etc. — Res pretiosae eae, ad normam can. 1497 § 2, dicuntur, *quibus notabilis valor* (scil. 1000 circiter francorum seu libellarum) *sit, artis vel historiae vel materiae causa.* Res huiusmodi iis in iure aequiparantur bonis, quorum valor superat summam triginta millium francorum seu libellarum. Quocirca Chelodi (*Jus de pers.*, 261): *Omnino assentimur Vermeersch (Epit., 510), pretium referendum esse ad monetam auream. Nam:* — a) *haec sola est vera moneta: chartacea est merum symbolum aut syngrapha Reipublicae, cuius potius quam bonorum aestimationem exprimit;* — b) *haec sola est fere immutabilis et omnibus populis aequalis, ideoque convenienter attenditur in lege per se universali et perpetua;* — c) *hanc prae oculis habuisse censendus est legislator, cum paritatem posuit* (« seu ») *inter francos et libellas: haec paritas enim refertur ad aurum* (Convenzione monetaria latina) — d) *franci sunt etiam helvetici: iamvero hi aurum aequant;* — e) *aliter absurda sequerentur, ex. gr. considerato valore nominali monetae helveticae aut americanae et austriacae aut germanicae;* — f) *denique hucusque computatio fiebat ad scuta aurea.*

Quae argumenta, saltem si agitur de effugienda sanctione poenali (can. 2347), nobis, salvo meliore iudicio, sufficientia videntur. Hactenus desideratissimus antecessor. Per extensum eius argumenta retulimus, quia valde placent. Et tamen assentiri non audemus: nam summa triginta millium libellarum aurearum nedum, si cum praxi ante Codicem vigente comparaverimus, nimis magna, sed etiam, hucusque, a Curiae Romanae iurisprudentia aliena videtur. Premit quoque dubium, num Legislator verbum *aureorum,* quod ad equivocationes praeveniendas interiici oportebat, sciens prudens omiserit. Tutiorem sententiam amplectimur.

3. *Vel de contrahendis debitis* etc. — Aes alienum contrahere et sua bona alienare non differunt nisi nomine, seu, pressius, ibi species, hic genus. Quare aeris alieni, aut equipollentis obligationis, contractio ultra vim triginta millia francorum seu libellarum, in iure alienationi aequalis summae aequiparatur. Et utrobique ad validitatem contractus praerequiritur consensus Ap. Sedis.

4. *Secus requiritur* etc. — Secus: idest si summa alienanda, si aes alienum aut obligatio contrahenda non excedant vim triginta millia francorum seu libellarum, tum, ad validitatem contractus, requiritur et sufficit licentia Superioris, quem religionis constitutiones pro tali summa uti competentem designant. Sed, ut Superioris ita designati licentia valeat, oportet Superior eam concedat cum consensu sui Capituli seu Consilii, et quidem per secreta suffragia manifestato; praeterea oportet, ut licentia in scriptis concedatur.

5. *Sed si agatur de monialibus* etc. — Moniales iuris dioecesani illae hic dicuntur, quae quamvis ex instituto Superioribus regularibus subesse deberent, ex voluntate tamen Ap. Sedis, modo iure et facto loci Ordinario subiectae sunt. Itaque, cum agitur de religiosis mulieribus quae subsunt Ordinario loci, huius quoque licentia ad validitatem actus requiritur; si de monialibus quae Superiori regulari subsunt, requiritur quoque licentia Superioris regularis.

CAN. 535.

§ 1. *In quolibet monialium monasterio etiam exempto:*

1. Administrationis ratio, gratis exigenda, reddatur semel in anno, aut etiam saepius si id in constitutionibus praescribatur, ab Antistita Ordinario loci, itemque Superiori regulari, si monasterium sit eidem subiectum:

2. Si ratio administrationis Ordinario non probetur, ipse potest opportuna remedia adhibere, etiam removendo, si res postulet, oeconomam aliosque administratores; quod si monasterium sit Superiori regulari subiectum, eum Ordinarius, uti prospiciat, moneat; quod si ille neglexerit, ipse per se consulat.

§ 2. *In aliis mulierum religionibus, ratio administrationis bonorum quae dotes constituunt, Ordinario loci reddatur occasione visitationis et etiam saepius, si Ordinarius, id necessarium duxerit.*

§ 3. *Loci Ordinario ius insuper esto cognoscendi:*

1. De rationibus oeconomicis domus religiosae iuris dioecesani;

2. De administratione fundorum legatorumque de quibus in can. 533, § 1, n. 3, 4.

1. Nullus est in Ecclesia bonorum ecclesiasticorum administrator, qui, uno R. Pontifice excepto, non teneatur ex iure communi alicui rationem reddere administrationis suae (cfr. can. 1525, § 1). Cumque haec regula in iure naturali fundetur, substantialiter semper viguisse censenda est. Quoad vero administratores religiosos, hi Superioribus religiosis rationem reddere tenentur, ad normam constitutionum; Superiores autem, per supremum Moderatorem, Ap. Sedi. At non desunt casus, in quibus haec ratio loci quoque Ordinario est ex iure communi reddenda.

2. *In quolibet monialium* etc. — Et in primis (habes canonem canoni 533 parallelum) reddenda est ab Antistita cuiuslibet monasterii monialium, sive moniales tales sint ex iure et facto, sive tantum ex iure (cfr. can. 488 n. 7), sive exemptae sint, sive non exemptae: scilicet, si monasterium sit exemptum, tenetur Antistita tum Superiori regulari tum loci Ordinario, aequo iure, rationem reddere; si vero exemptum non sit, ratio reddenda est soli Ordinario loci, nisi forte, ex constitutionum praescripto, Abbati quoque monasticae Congregationi praefecto reddere teneatur. Quod ita interpretandum sit huius commatis praescriptum, inde maxime patet, quod Pont. Commissio C. i. p. roganti cuidam *utrum, vi canonis 535 § 1 n. 1, si monasterium monialium subiectum sit Superiori regulari, administrationis ratio reddenda sit Superiori regulari et etiam Ordinario loci;* die 24 nov. 1920 respondit: *Affirmative.* Quo responso omne dubium, ceterum satis futile, de significatione verbi *itemque,* omnino sublatum est. Est autem ex iure communi ratio reddenda quotannis; at, si ius particulare saepius reddendam decernat, ex praescripto ipsius iuris communis, iuri particulari standum est. Et tum loci Ordinarius tum Superior regularis nihil exigere possunt pro recognitionis labore.

3. *Si ratio administrationis* etc. — Contingere potest ut ratio administrandi Ordinario non probetur, seu quia impensae factae apparent quas fieri non oportebat, seu quia apparent neglectae impensae quae non erant omittendae, seu quia pecuniae plus aut minus quam iustum esset, in singulis impensis collatum est. Tum vero loci Ordinario facultas expresse fit a iure communi, opportuna remedia adhibendi, non exclusa remotione oeconomae aliorumque administratorum: ita tamen, ut, si exemptum sit monasterium, rei consulere teneatur Superior regularis a loci Ordinario monitus; quod si Superior regularis, post monitionem huiusmodi, consulere neglexerit, aut si monasterium exemptum non sit, ipse loci Ordinarius per se consulere potest ac debet. Qui quidem modus procedendi tum quoque, imo *a fortiori,* adhibendus videtur, cum forte aliquod monasterium rationem reddere pertinaciter detrectet.

4. *In aliis mulierum religionibus* etc. — Dum in monasteriis monialium, nempe in religionibus votorum ex instituto sollemnium, ratio universae administrationis est loci Ordinario reddenda, ex adverso (cfr. comm. ad can. 533 n. 3) in aliis religionibus muliebribus, nempe votorum simplicium, ratio tantummodo reddenda est eorum bonorum quae religiosarum dotem constituunt, eodem plane

modo quo, ad normam can. 533 § 1 n. 2, eiusdem loci Ordinarii consensui subiicitur collocatio pecuniae ad religiosarum dotem pertinentis. Neque id mirum: est namque dos, ex praescripto can. 551 § 1, religiosae quavis de causa discedenti, integre restituenda, ideoque summo studio sarta tectaque servanda. Quoad tempus vero huiusmodi rationis reddendae, ius commune duo constituit: in primis, ut domus religiosa hac obligatione teneatur saltem occasione visitationis a loci Ordinario, ad normam can. 512 § 2 n. 3, quinto quoque anno perficiendae; deinde, ut, si id loci Ordinarius necessarium duxerit, nempe, pro prudenti eius arbitrio, etiam saepius eadem teneatur obligatione, iuxta tempus ab eodem Ordinario statutum.

5. *De rationibus oeconomicis* etc. — Loci Ordinarii, qui in religionem iuris dioecesani, ad normam Leonis Pp. XIII constit. *Conditae a Christo,* 8 dec. 1900, et dispositionum Codicis i. c., plenam, quantum collegii natura patitur, iurisdictionem exercent (can. 492 § 2), et signanter ius habent (etiam Episcopus dioecesis *a qua*) consensum praebendi quoties agitur de novis erigendis domibus (can. 495 § 1), vel de constitutionibus immutandis (ibid. § 2), vel de domo supprimenda, nisi de unica domo agatur (can. 498), vel de dote forte praescripta ex toto vel ex parte condonanda (can. 547 § 4), vel de religioso professo dimittendo (can. 647, § 1), vel de egressu e religione concedendo (can. 638): ius quoque habet cognoscendi de rationibus oeconomicis, nempe universis, quoties opportunum iudicaverit.

6. *De administratione fundorum* etc. — In can. 533 § 1 n. 3 et 4 recensentur fundi domui Congregationis religiosae tributi legative ad Dei cultum ac beneficentiam ipso loco impendendam, necnon pecunia paroeciae vel missioni cuiuscumque religionis data, aut data religiosis quibuslibet intuitu paroeciae vel missionis. Vox *fundi,* ut supra vidimus (cfr. comm. ad can. 533, n. 4), pro pecunia (vulgo *fondi, fonds*) vel quacumque alia re frugifera est accipienda; idque ea etiam de causa, quod in commate, quod modo explicamus, vox *fundorum* pecuniam quoque complectitur, de qua in can. 533 § 1 n. 4. De horum igitur fundorum administratione ius est loci Ordinario cognoscendi; non tamen extra fines a nn. 3 et 4 § 1, can. 533 praestitutos: scilicet, si agatur de fundis legatisve paroeciae vel missioni aut earum intuitu donatis, apud quamlibet religionem, etiam exemptam; si vero agatur de donatione aut legato ad Dei cultum beneficentiamque ipso loco impendendam, ius habet cognoscendi tantummodo apud Congregationes religiosas, non autem apud Ordines, in quibus ius de administratione cognoscendi pertinet ad Superiores maiores (cfr. can. 1550).

Can. 536.

§ 1. *Si persona moralis (sive religio, sive provincia, sive domus) debita et obligationes contraxerit etiam cum Superiorum licentia, ipsa tenetur de eisdem respondere.*

§ 2. *Si contraxerit regularis cum licentia Superiorum, respondere debet persona moralis, cuius Superior licentiam dedit; si religiosus votorum simplicium, ipse respondere debet, nisi de Superioris licentia negotium religionis gesserit.*

§ 3. *Si contraxerit religiosus sine ulla Superiorum licentia, ipsemet respondere debet, non autem religio vel provincia vel domus.*

§ 4. *Firmum tamen semper esto, contra eum, in cuius rem aliquid ex inito contractu versum est, semper posse actionem institui.*

§ 5. *Caveant Superiores religiosi ne debita contrahenda permittant, nisi certo constet ex consuetis reditibus posse debiti foenus solvi et intra tempus non nimis longum per legitimam « amortizazionem » reddi summam capitalem.*

1. *Si persona moralis* etc. — Sicuti canon praecedens erat de ratione administrationis reddenda, ita hic canon agit de debitis et obligationibus contractis aut contrahendis. Id quod alii debetur *debitum* dicitur, estque debitum veluti obiectum *obligationis*. Quia vero obligationes, ut Gaius ait (fr. 7 D. XLIV, 7), *aut ex contractu nascuntur aut ex maleficio aut proprio quodam iure ex variis causarum figuris* (veluti ex. c. ex damno infecto), inde videtur hoc in canone Legislator haec omnia comprehendisse. Quocirca etiam animadvertendum est, debita huiusmodi atque obligationes definiendas esse ad normam iuris civilis in territorio vigentis, nempe intra limites a can. 1529 statutos. Videamus igitur de debitis et obligationibus personarum religiosarum, tum moralium tum physicarum. Et in primis de debitis et obligationibus contractis a personis moralibus, quae religionis nomine complectuntur, idest a religione ipsa vel a provincia vel a domo religiosa. Quae omnes personae morales contrahere aeque possunt cum Superiorum licentia : nempe religio cum licentia Ap. Sedis (cfr. can. 534 § 1); provincia cum Ap. Sedis aut Moderatoris vel Capituli generalis licentia; domus cum licentia S. Sedis aut loci Ordinarii aut Superioris vel Capituli provincialis. Tum autem personae huiusmodi censentur contrahere, cum quis earum nomine contrahit ex legitimo mandato. Itaque, quoties hae personae contraxerint debita ac obligationes cum licentia Superiorum, Superiorum interventus nihil omnino operatur in commodum debitoris, praeter ipsam licentiam ut actum iuridicum legitime perficere possint. Quare ex. c. si licentia concessa fuerit ad aedificium extruendum, contra quod, dum extruitur, vel per nunciationem novi operis (cfr. can. 1676-1678) agatur vel per petitionem cautionis damni infecti, respondere debet persona moralis, quae illo in loco extruendi licentiam petiit ac obtinuit, non autem persona moralis cuius Superior ibi extruendi licentiam dedit. Item si licentia concessa fuerit ad contrahendum mutuum et mutuatarius solvendo aut nunquam fuerit aut esse desierit, per se nullo iure adigi posset ad respondendum persona moralis, veluti provincia aut religio, cuius Superior licentiam praestitit. Stricto autem iure non teneri, minime significat non posse, opportunitatis et quandoque naturalis aequitatis causa.

2. *Si contraxerit regularis* etc. — Si persona physica, nempe religionis sodalis, non autem persona moralis, debitum et obligationem contraxerit, tum videndum est, utrum qui contraxit id fecerit sine ulla licentia Superiorum, an potius ex Superiorum licentia; nam, nulla interposita licentia, ne tacita quidem, sodalis ipse contrahens debet personaliter de debitis et obligationibus respondere: nullo enim modo imputari potest personae morali, quod ipsa nesciente peragitur. Quid autem de damno aliis illato? Qui damnum percepit agere potest contra noxium sodalem; quod si is nullimode solvere possit, suae imputet imprudentiae. Ex adverso, si sodalis debitum vel obligationem contraxerit ex licentia, saltem tacita, Superioris, tunc rursum videndum est utrum agatur de solidali obstricto solemni voto paupertatis, an potius de religioso votorum simplicium; nam in priore casu, cum quilibet regularis incapax sit personaliter contrahendi (can. 579), licentia Superioris ad contrahendum debitum vel obligationem, secumferre censetur mandatum gerendi negotium vice ac nomine religionis. E contra, in altero casu, si religiosus votorum simplicium probare non possit gessise sese negotium religionis, de debitis et obligationibus a se contractis ipse respondere debet; nam et, regulariter, capax est contrahendi (cum, ad normam can. 580 § 1, conservet proprietatem bonorum suorum) et sibi, non religioni, debita et obligationes contraxisse praesumitur.

3. *In cuius rem... versum est* etc. — Habes hic actionem de in rem verso. *Fundamentum ac ratio introductae actionis de in rem verso est,* ait cl. Voet (*Comment. ad Pandect.,* lib. XV, tit. 3, n. 1), *quia contra naturalem aequitatem visum fuit, dominum patremve cum alterius iactura reddi locupletiorem: unde et regulariter totics de in rem verso actio esse potest, quoties procurator vel qui negotia gessit, negotiarum gestorum habet actionem, quotiesque aliquid consumsit servus aut filiusfamilias, quo aut meliorem rem dominus paterve haberet, aut non deteriorem..... Datur autem illis qui in rem patris vel domini crediderunt filiofamilias aut servo, contra patrem vel dominum... ad id ut praestetur quatenus in rem versum est.* Haec actio de in rem verso, a praetore Urbano in ius Romanorum introducta aequitatis causa; quam actionem, cum Edicti verba non amplius supersint, hoc modo fingit cl. Noodt (*Comment. in libr. XXVII Digest.,* lib. XV, tit. 3): *Si cum eo, qui in alterius potestate est, negotium gestum esse dicetur, de eo quod in rem eius versum erit, iudicium dabo.* Cum scilicet ex iure Romanorum patri aut domino acquireretur quidquid filiusfamilias aut servus legitime acquirebat, cumque exinde nulla praesto esset actio ei qui ex. c. filiofamilias aut servo mutuaverat, ut pecuniam mutuo datam repetere posset, iniquum visum est patrem aut dominum locupletiores fieri ex aliena iactura: cui rei ut remedium afferretur, actio de in rem verso introducta est. Hanc itaque actionem, ob speciem similem, Legislator noster iuri canonico bilateraliter ampliatam aptavit. Fieri namque potest, ut, ex debitis et obligationibus a religioso qui plus minusve in religionis potestate est, illegitime contractis, aliquid in rem religionis vel creditoris versum sit, videlicet ut religio aut creditor locupletior

fiat cum alterutrius iactura. Idcirco, quoties persona moralis religiosa, ditior illegitime facta, ad respondendum non tenetur et hoc iure suo utitur cum iactura creditoris; vel quoties creditor ita cum religioso egit, ut, dum ipse ditior fit, contractus cedat in iacturam illegitimam religionis: toties eatenus parti laesae actio de in rem verso competit, quatenus altera pars facta est locupletior.

4. *Caveant Superiores* etc. — Cum, ut supra vidimus, possint Superiores religioso licentiam concedere ad debita contrahenda et per concessionem huiusmodi religionem obligare, ideo hic Legislator conditiones statuit ut ea licentia legitime dari possit. Duae sunt conditiones huiusmodi: — 1. Ut certo constet, ex consuetis personae moralis redditibus posse debiti foenus solvi ad normam contractus. — 2. Ut item certo constet, posse intra tempus non nimis longum summam capitalem reddi per legitimam debiti *amortizazionem*. Spatium decem annorum non nimis longum videtur pro persona morali.

CAN. 537.

Largitiones ex bonis domus, provinciae, religionis non permittuntur, nisi ratione eleemosynae vel alia iusta de causa, de venia Superioris et ad normam constitutionum.

Agitur de largitionibus ex bonis domus religiosae, non autem ex bonis religiosorum. Quare, dum in lege comprehenduntur bona, quae religiosus votorum sollemnium acquisivit (can. 582), non ita comprehenduntur bona, quae ad religiosum quacumque de causa legitime pertineant vel quae ideo ei legitime obvenerint, ut in quosdam praefinitos usus impendantur.

Ex bonis igitur domus, provinciae, religionis non licet religiosis largitiones facere, nisi tres conditiones impleantur a iure requisitae. Quarum prima in iusta causa consistit. Estque haec, quae multiplex esse potest, veluti remunerationis, pietatis aut christianae caritatis (cfr. can. 1535), conditio fundamentalis: unde ea deficiente prohibetur Superior licentiam dare. Sed tum quoque perperam Superior licentiam, quae secunda est conditio legitimae largitionis, praebet, cum agitur de genere largitionum, quod constitutiones religionis non admittunt. Et haec tertia conditio.

Quid igitur, si religiosus absque Superioris licentia bona religionis largiatur? Invalide donat: dat enim quod suum non est. Quid, si Superior licentiam quidem praebeat, sed sine iusta causa aut contra praescriptum constitutionum? Iniusta est licentia Superioris, cui ita agere a iure non *permittitur,* ac proinde iniusta donatio: haec autem Superiori, non subdito, imputanda est. Quod si donatio iniusta extiterit aut invalida, patet, eum cui donatum est, teneri ad restitutionem.

TITULUS XI

DE ADMISSIONE IN RELIGIONEM

CAN. 538.

In religionem admitti potest quilibet catholicus qui nullo legitimo detineatur impedimento rectaque intentione moveatur, et ad religionis onera ferenda sit idoneus.

1. *Monachum,* ait Conc. Toletanum IV (a. 633) c. 48, *aut paterna devotio aut propria professio facit* (c. 3, C. XX, q. 1). Tum autem paterna devotio monachum facere dicebatur, cum pater, vel is qui in puerum patriam potestatem exercebat, eum offerebat monasterio, ut ad vitam monasticam institueretur. Quocirca Gratianus (c. 7, C. XX, q. 1), postquam, de re disserens, varias attulit auctoritates, ait: *Ex his auctoritatibus colligitur, quod paterna professio pueros tenet obligatos, nec licebit eis a proposito discedere, quod paterna devotione in puerilibus annis susceperint. At, non solum filios iam natos,* ait devoti (*Instit.*, tom. I, lib. I, tit. 9, § 13), *vovebant parentes, sed eos etiam, qui nondum nati in matris utero latebant, cuius rei multa collegit exempla Baluzius in Not. ad Salvian.* Sed Coelestinus Pp. III (a. 1191-1198) decrevit, ut puer monasterio oblatus, cum *ad annos discretionis pervenerit et habitum retinere noluerit monachalem, si ad hoc induci nequiverit, non sit ullatenus compellendus, quia tunc liberum sibi erit eum dimittere, et bona paterna, quae ipsi ex successione proveniunt, postulare* (c. 14, X. *de regular.* etc. III, 31). Insuper Ordines Mendicantes, paullo postea introducti, hanc praxim non admiserunt, et sensim sine sensu Ordo quoque S. Benedicti eam penitus dereliquit. Non restat igitur, nisi quod *monachus propria professione* fiat, hoc est sciens prudens religionem ingrediatur.

2. *In religione admitti* etc. — Ut quis in religionem admittatur, nonnullae qualitates a iure requiruntur, nempe in foro externo, relictis Superiorum prudentiae qualitatibus, quae, potius quam iuridicum, morale momentum habent. Quia vero admittere ad postulatum, de quo infra, non est admittere ad religionem, ideo per se et summo iure qualitates huiusmodi requiruntur tantummodo ad novitiatum ingrediendum.

3. *Quilibet catholicus.* — Catholici nomine hic venit, nedum qui in catholica religione natus est, baptizatus atque institutus, verum etiam, ut infra videbimus, is quoque qui, in secta acatholica natus, baptizatus et forte quoque institutus, postea catholicam religionem amplexus est. Estque haec qualitas ad valorem admissionis necessaria, ut facile patet, argumento *a fortiori,* ex can. 542 n. 1, comm. 1 dispositione.

4. *Qui nullo legitimo* etc. *Rectaque intentione* etc. — Impedimenta, de

quibus hic agitur, taxative enumerantur in can. 542 quem infra explicabimus. Recta vero intentio ea est, quae exterius, ex verbis et factis ingressum postulantis praecedentibus, prudenter colligi potest. Tum vero recta censetur intentio, cum expeditiorem Dei cultum ac sui et hominum salutem unice respicit, quibuslibet humani commodi considerationibus praetermissis. Cum externis autem indiciis, internus animi affectus convenire praesumitur: quod quidem iudicium relinquitur prudentiae Superiorum.

5. *Ad religionis onera* etc. — Quamvis cunctarum religionum idem sit finis praecipuus, nempe Dei gloria et evangelicae perfectionis studium, non tamen iidem semper sunt fines accessorii, ad quos quilibet sodalis mente, animo, moribus et corporis valetudine idoneus esse debet. Qui igitur prudenti Superiorum iudicio ad religionis onera, ex finibus eidem praestitutis defluentia, insanabiliter impar videbitur, arcendus est.

CAPUT I

DE POSTULATU

CAN. 539.

§ 1. *In religione a votis perpetuis mulieres omnes et, si agatur de religione virorum, conversi, antequam ad novitiatum admittantur, postulatum ad sex saltem integros menses peragant; in religionibus vero a votis temporariis, ad necessitatem et tempus postulatus quod attinet, standum constitutionibus.*

§ 2. *Superior maior praescriptum postulatus tempus potest prorogare, non tamen ultra aliud semestre.*

1. *Provideant quoque,* ait Clemens Pp. VIII in constit. *Cum ad regularem,* 19 mart. 1603, § 6, *ut omnes etiam conversi recipiendi, priusquam ad habitum regularem admittantur, ab iis quibus munus hoc incumbit de regula quam professuri sunt, tribus votis essentialibus statuque regulari et aliis cuiusque Ordinis peculiaribus institutis et constitutionibus diligenter instruantur.* Inde repetendae videntur origines instituti iuridici postulatus, nostra aetate a pluribus religionibus tam clericalibus quam laicalibus receptum. Cum autem admodum varia essset hac in re praxis religionum, S. Congr. Ep. et Reg., in *Normae secundum quas S. Congregatio in novis religiosis Congregationibus approbandis procedere solet* a. 1901 editis, haec pro Congregationibus muliebribus statuerat (§ 65): *Tempus postulatus non infra sex menses, nec ultra annum perduret. Moderatrix generalis ex iusta causa hoc tempus aliquanto prorogare poterit in casibus particularibus; sed prorogatio tres menses non excedat.* Deinde per decr. *Sacrosancta,* 1 ian. 1911, ad conversos religionum virilium perpetua vota profitentium; per decr. vero *Quo propositum,* 15 aug. 1912 editum, eadem S. Congregatio institutum postulatus ad religiones muliebres votorum sollemnium extendit.

Tandem Codex noster idem institutum, haud parum elimavit ac tanquam legem generalem pro conversis et religiosis mulieribus sanxit.

2. *In religionibus* etc. — Lex de postulatu novitiatui praemittendo, ex iure communi nonnisi religiones a votis perpetuis complectitur; in hisce autem religionibus nonnisi sodales laicos seu viros seu mulieres. Quare, in primis hac lege non tenentur qui tanquam clerici a quacumque religione recipiuntur; deinde laici non-conversi religionum virilium a votis perpetuis, itemque, saltem ex iure communi, laici religionum a votis temporariis. Idque ea praesertim de causa, quod, et qui recipiuntur tanquam ad ordinem clericalem destinati, sicuti etiam sodales non-conversi religionum laicarum, ad vitam religiosam magis per se idonei praesumuntur; et qui vota temporaria nuncupant, cum nonnisi ad breve tempus obligentur, postulatu minus indigent. Et nihil refert utrum religio iuris pontificii sit an dioecesani, utrum vota sollemnia sint an perpetua: nam legis fundamentum consistit in pondere perpetuae obligationis, habita ratione debilitatis sexus aut anteactae vitae status, quibus extantibus rerum adiunctis *propositum vitae religiosae... melius exploretur et dignitati status religiosi uberius consulatur* (S. Congr. de Relig., 15 aug. 1912). Haec igitur ratio, quare ius commune respicit omnes et solas mulieres et conversos religionum a votis perpetuis.

3. *In religionibus vero* etc. — Religio a votis temporariis aut constitutionibus utitur ab Ap. Sede iam approbatis aut minus: si primum, constitutionibus standum est; si alterum, in conficiendis constitutionibus, postulatus necessitas et tempus sancienda sunt aut non sancienda, prout postulare videbitur peculiaris natura religionis. Postea vero Ap. Sedis erit, in perpendendis constitutionum normis, hoc ius particulare probare aut reiicere aut immutare.

4. *Superior maior* etc. — Nulla esse potest religio, ne iuris quidem dioecesani, quae Superioribus maioribus omnino careat: nam semper saltem Moderator generalis adesse debet. Itaque Superiori maiori facultas fit a iure communi, tempus postulatus prorogandi, non tamen *ultra aliud semestre*. Quae ultima verba respicere videntur eas tantummodo religiones, quibus a iure communi postulatus *sex saltem mensium* impositum vidimus, non autem, ut patet, religiones eas, in quibus, *ad necessitatem et tempus postulatus quod attinet, standum constitutionibus*. Quid autem si postulatus legitime requisitus ex toto vel ex parte praetermittatur? Sane, nisi legitima dispensatio intervenerit aut, ob rerum adiuncta, lex obligare desierit, praeceptum grave praetermittitur, poena proportionata puniendus; at subsequens novitiatus valet, cum postulatus nec novitiatus nec professionis substantialis conditio sit (cfr. can. 11), saltem ex iure communi.

Can. 540.

§ 1. *Postulatus peragi debet vel in domo novitiatus vel in alia religionis domo in qua disciplina secundum constitutiones accurate servetur, sub speciali cura probati religiosi.*

§ 2. *Postulantes vestem induant modestam ac diversam a veste novitiorum.*

§ 3. *In monasteriis monialium adspirantes, dum postulatum peragunt, lege clausurae tenentur.*

Lege clausurae tenentur: nempe si clausurae lex et ex instituto et facto viguerit; non ideo cum agitur de monialibus et de locis, de quibus in can. 488, n. 7. Cetera nulla indigent explicatione.

CAN. 541.

Postulantes, antequam novitiatum incipiant, exercitiis spiritualibus vacent per octo saltem integros dies; et, iuxta prudens confessarii iudicium, praemittant generalem anteactae vitae confessionem.

Tum huius tum praecedentis canonis dispositiones, quoties postulatus seu iure communi seu iure particulari praecipitur, aeque servandae sunt: pertinent enim ad substantiam postulatus eumque necessario consequuntur.

CAPUT II

DE NOVITIATU

ART. I

DE REQUISITIS UT QUIS IN NOVITIATUM ADMITTATUR

CAN. 542.

Firmo praescripto can. 539-541, aliisque in propriis cuiusque religionis constitutionibus:

1. *Invalide ad novitiatum admittuntur: Qui sectae acatholicae adhaeserunt; qui aetatem ad novitiatum requisitam non habent; qui religionem ingrediuntur vi, metu gravi aut dolo inducti, vel quos Superior eodem modo inductus recipit; coniux, durante matrimonio; qui obstringuntur vel obstricti fuerunt vinculo professionis religiosae; hi quibus imminet poena ob grave delictum commissum de quo accusati sunt vel accusari possunt; Episcopus sive residentialis sive titularis, licet a Romano Pontifice sit tantum designatus; clerici qui ex instituto Sanctae Sedis iureiurando tenentur operam suam navare in bonum suae dioecesis vel missionum, pro eo tempore quo iurisiurandi obligatio perdurat.*

2. *Illicite sed valide admittuntur: Clerici in sacris constituti, inconsulto loci Ordinario aut eodem contradicente ex eo quod eorum discessus in grave animarum detrimentum cedat, quod aliter vitari minime possit; aere alieno gravati qui solvendo pares non sint; reddendae rationi obnoxii aut aliis saecularibus negotiis implicati, ex quibus lites et molestiae religio timere possit; filii qui*

parentibus, idest patri vel matri, avo vel aviae, in gravi necessitate constitutis, opitulari debent, et parentes quorum opera sit ad liberos alendos vel educandos necessaria; ad sacerdotium in religione destinati, a quo tamen removeantur irregularitate aliove canonico impedimento; Orientales in latinis religionibus sine venia scripto data Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali.

1. Praxim novitiatus iam a religionum exordiis introductam reperimus. Regula S. Pachomii, coenobitarum patriarchae († a. 346), haec habet (*Historia Lausiaca*, 32 apud Migne, *P. G.*, 34): *Porro eum qui ingreditur, per triennium ad interiora loca monasterii non admittant; sed cum opera fecerit difficiliora, sic intrat post triennium.* Regula autem S. Benedicti (a. 480-543), cap. 58, *De disciplina suscipiendorum fratrum,* ait: *Noviter veniens quis ad conversationem, non ei facilis tribuatur ingressus... Postea autem sit in cella novitiorum, ubi meditent, manducent et dormiant. Et senior eis talis deputetur qui aptus sit ad lucrandas animas, qui super eos omnino curiose intendat... Praedicentur omnia dura et aspera per quae itur ad Deum. Si promiserit de stabilitate sua perseverantiam, post duorum mensium circulum legatur ei haec Regula per ordinem et dicatur ei: Ecce lex sub qua militare vis; si potes observare, ingredere; si vero non potes, liber discede. Si adhuc steterit, tunc ducatur in supradictam cellam novitiorum, et iterum probetur in omni patientia. Et post sex mensium circuitum legatur ei Regula... Et si adhuc stat, post quattuor menses iterum relegatur ei... Et si, habita secum deliberatione, promiserit se omnia custodire... tunc suscipiatur in congregatione.* Habes igitur hic novitiatum unius anni. Regula denique S. Francisci Assisiensis (a. 1182-1226), cap. II, *De iis qui volunt vitam istam accipere et qualiter recipi debeant,* haec decernit: *Postea concedant eis pannos probationis, videlicet duas tunicas sine caputio, et cingulum, et braccas, et caparonem usque ad cingulum... Finito vero anno probationis, recipiantur ad obedientiam promittentes vitam istam semper et Regulam observare.* Quod si usque ab initio praxim novitiatus substantialiter in religionibus vigentem reperimus, magna diu, tum quoad eius durationem tum quoad modum peragendi tum quoad iuridicos effectus, extitit libertas. *Beati Benedicti Regula,* ait Thomassin (*Vetus et nova Eccl. discipl.*, I, lib. III, Cap. 49, n. 8), *immo et pleraeque antiquiorum Regularum, Concilia utriusque Ecclesiae, Justiniani denique leges id consenserant ut in veste laica percurreretur stadium novitiatus et tum demum indueretur religionis habitus, cum professio emitteretur.* Quoad durationem autem: *Quamquam,* ait (ibid.), *leges Justiniani triennale tyrocinium praescriberent, quamquam unius saltem anni desideraret Regula S. Benedicti et Concilia non pauca, erant et aliae tamen Regulae, utpote sanctorum Caesarii, Ferreoli, Fructuosi et aliae non paucae... in quibus prudentiae et arbitrio Abbatum totum permittitur, ut tempus tyrocinii contrahat protrahatque, perinde ut eius qui convertitur saluti expeditius fore videbitur.* Quoad effectus vero iuridicos novitiatus, superest lucidissima decisio Innocentii Pp. III (c. 20, X, *De regular.* etc. III, 34): *Consulti sumus frequenter a multis, utrum is qui*

monasterium ingressus est, habitum sumendo novitii, si ante professionem emissam intra tempus probationis exire voluerit, licite possit absque apostasiae nota... ad saeculum remeare. Licet autem super hoc senserint diversi diverva, nos tamen credimus distinguendum, utrum is qui convertitur proposuerit absolute vitam mutare, ut sub habitu regulari omnipotenti Deo de cetero famuletur : an conditionaliter experiri observantiam regularem, ut ita demum, si infra annum sibi placuerit, profiteatur Ordinis disciplinam ; aut si forte non placuerit moribus emendatus ad statum revertatur pristinum. In primo casu debet, ut regulariter vivat, ad laxiorem saltem Regulam pertransire. In secundo potest ad saeculum... remeare. Ut ergo quae sit eius intentio plenius cognoscatur, propositum suum in principio protestetur. At paullo postea Innocentius Pp. IV a. 1244 (c. 2 *De regular.*, etc., III, 14 in VI) decrevit, Praedicatores et Minores valide quemquam admittere non posse ad professionem religiosam, nisi anno novitiatus transacto, sub poena suspensionis ab aliis deinceps admittendis. Quam decretalem Bonifacius Pp. VIII (a. 1294-1303) ad omnes Ordines Mendicantes extendit (ibid. c. 3); Concilium vero Tridentinum (a. 1545-1563) in legem universalem convertit hoc decreto (Sess. XXV, c. 15 *de regular. et monial.*): *In quacumque religione, tam virorum quam mulierum, professio non fiat ante decimum sextum annum expletum ; nec qui minore tempore quam per annum, post susceptum habitum, in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius Regulae, vel religionis vel Ordinis observationem aut ad alios quoscumque effectus.* Tandem Codex i. c. universam instituti iuridici novitiatus materiam, doctrinae canonicae et Romanae iurisprudentiae habita ratione, diligentissime ex integro ordinavit.

2. *Firmo praescripto can. 539-541* etc. — Quae sequuntur de impedimentis uti quis valide et licite ad novitiatum admittatur, nequaquam derogant iis, quae in can. 539-541 decernuntur de postulatu praemittendo: scilicet, quamvis dispositiones Codicis circa obligationem praemittendi postulatum, non sint leges irritantes, nihilominus in casibus recensitis semper haec obligatio implenda est. Superior autem, qui impeditum sciens prudens ad novitiatum admiserit, puniendus est ad normam can. 2411. Videamus igitur de impedimentis, prolixum can. 542 per partes explicando.

3. *Invalide ad novitiatum admittuntur : Qui sectae acatholicae adhaeserunt.* — Invalide ad novitiatum admitti, perinde est ac non admitti. Et quoniam actus nullus est ab initio, ablato forte postea vitio substantiali (si id patiatur eiusdem vitii natura) non convalescit. Praeterea, ad normam can. 16 § 1, nulla ignorantia, ne invincibilis quidem, seu adspirantis seu forte Superioris religiosi, efficere potest ut actus non sit irritus. Vicissim, si ex mero iure ecclesiastico impedimentum consistat, potest ab Ecclesia, a qua introductum est, dispensari; itemque potest actus ab Ecclesia, quae vim irritandi impedimento adiecit, in radice sanari. Denique haec iuris communi impedimenta non auferunt impedi-

menta non contraria, iure particulari forte constituta. Tum autem haec tum illa, utpote quae liberum iurium exercitium coarctant, stricte sunt interpretanda (can. 19). Primum itaque impedimentum iuris communis inhabiles ad novitiatum eos facit, qui sectae acatholicae adhaeserunt. Acatholici sunt, qui ob haeresim vel schisma a fide deficiunt: unde nomine sectae acatholice venit quaevis secta schismatica aut haeretica. Neque igitur paganismus, neque Judaismus, neque Islamismus, sectae acatholicae nomine comprehenditur. Imo nec a fide catholica apostatae, nisi sectae haereticae vel schismaticae nomen dederint, praescripto huius canonis tenentur. Sed neque comprehenditur secta pure et simpliciter damnata, de qua in can. 693 § 1. Hoc ergo impedimento ii tantum (ob peculiare periculum) afficiuntur, quos sectae haereticae vel schismaticae adhaesisse probari potest. *Adhaeserunt:* nempe aliquando in vita anteacta; non enim quaestio esse potest de admissione ad novitiatum acatholici qua talis. At potest quis sectae acatholicae adhaesisse bifariam: aut qua in secta natus et postea ad catholicam fidem conversus; aut qua natus in fide catholica, postea vero acatholicae sectae adscriptus ac tandem ad veterem fidem reversus. Quid igitur? Facile responsum: is enim tantummodo proprie adhaesisse dicitur, qui, in Ecclesia catholica natus atque institutus, sectae adhaesit, et quidem quemadmodum hominem adhaerere praesumitur, nempe sciens prudens, ultro ac sponte. Inde responsum a Pont. Commissione 16 oct. 1919 datum (A. A. S., 1919, p. 477), nempe *verba « qui sectae acatholicae adhaeserunt » can. 542, non de iis esse intelligenda, qui gratia Dei moti ex haeresi vel schismate in quibus nati sunt ad Ecclesiam pervenerint, sed de iis qui a fide defecerunt et sectae acatholicae adhaeserunt.* Estque impedimentum, prout a nobis explicatum est, iuris mere ecclesiastici, in iure tamen naturali fundatum.

4. *Qui aetatem ad novitiatum requisitam non habent.* — Aetas, ad novitiatum requisita, est quindecim annorum expletorum (can. 555, § 1, n. 1), qui supputari debent ad normam can. 34, § 3, n. 3. Agitur proinde de minore, qui in exercitio suorum iurium obnoxius est potestati parentum vel tutorum, iis exceptis in quibus ius (expresse vel tacite) minores a patria potestate exemptos habet (can 89). Estque hic inter casus exemptionis minorum a patria potestate computandus, cum nullibi ius commune requirat ad ingressum in religionem consensum parentum vel tutorum. Quid autem sentiendum de iure particulari? Sane non potest ius particulare vetare quod a iure communi permittitur. Ideoque si quae forte constitutiones religiosae, ab Ap. Sede probatae, consensum parentum vel tutorum requirant, servandae sunt tanquam privilegium ab Ap. Sede irrogatum. Quid si, ad normam constitutionum legitime approbatarum, novitiatus ultra annum sit protrahendus? Videtur posse ante aetatem in hoc commate statutam incipere, dummodo et novitius ad professionem non admittatur antequam sexdecim annos compleverit, et iudicium de ius idoneitate feratur in annum integrum probationis, qui professioni immediate praecedit. Et hoc quoque impedimentum iuris est mere ecclesiastici.

5. *Qui religionem ingrediuntur vi, metu gravi aut dolo inducti, vel quos Superior eodem modo inductus recipit.* — Huius commatis praescriptum est, ut patet, iuris naturalis. Si nempe ad quamlibet obligationem suscipiendam oportet hominem libere agere (cfr. comm. ad can. 103), id tum praesertim verum est, cum obligatio totam contraentis vitam, vel saltem eius personam, afficit: hoc est, cum agitur de matrimonio contrahendo, de ordine sacro suscipiendo vel de emittenda professione religiosa (can. 572 § 1 n. 4). Quia vero admissio in novitiatum cum religiosa professione arcte connectitur, huius quoque actus iuridici libertatem Codex noster rigide tuetur. Quare et vis, et metus gravis, et dolus abesse debent, tum ab eo qui in religionem ingreditur, tum etiam a Superiore admittente. Quare etiam a Superiore? Profecto quia agitur de contractu bilaterali, hinc inde oneroso: unde maxime interest utriusque contrahentis libertas in agendo. Sive igitur candidatus a Superiore vel ab alio, sive Superior a candidato vel ab alio per vim, gravem metum aut dolum inductus fuerit ad religionem ingrediendam aut ad candidatum recipiendum, invalide candidatus ad novitiatum admittitur; qui vero eum ad ingrediendam religionem ita induxerint, ad normam can. 2352 excommunicatione nemini reservata ipso facto plectuntur. Quoad naturam autem vis, metus aut doli, haec eadem est in casu atque in aliis actibus iuridicis: prout nempe definitur in can. 103. Agitur proinde de vi extrinseca cui resisti non possit (ibid. § 1). At de metu ac dolo can. 103 § 2 ait: *Actus positi ex metu gravi et uniuste incusso vel ex dolo, valent, nisi aliud iure caveatur.* Quocirca haec sunt animadvertenda: — 1) De admissione et novitiatum ex metu gravi vel ex dolo *aliud revera iure caveri,* nempe ut actus non valeat. — 2) Metum gravem esse oportere: seu absolute, idest qui cadere possit in constantem virum (fr. 6 D. IV, 2), seu relative, idest qui, infirmiore contrahentis ingenio considerato, per se sufficiat ad consensum extorquendum. — 3) Praeterea, ut quis religionem ingrediatur, nunquam metum iuste incuti in foro externo posse: unicus namque casus, quo extante quis religionem ingredi *teneretur,* tum tantum extaret, cum praecessisset votum ingrediendi religionem; sed casus ad forum sacramentale pertinet, et nullius interest, nisi voventis. — 4) Dolum intelligi *formaliter. Si momentum quaestionis ipsi factae,* ait Vermeersch (*Epitome,* I, n. 529) *per se non appareat, mendax candidati responsum ad dolum constituendum non sufficit, nisi de isto momento monitus fuerit.* Quae verba cl. antecessoris rite debent intelligi: quod enim candidatus vim irritandi, imo ipsam legem irritantem, ignoret, nihil confert ad validitatem seu invaliditatem actus (can. 16 § 1); quod autem mentiatur, non quidem ex voluntate fallendi, sed quia *quaestionis momentum* tam leve *appareat* ut responsio omnino indifferens ei videatur, tum dolus abesse censendus est: est namque dolus, iuxta Labeonem (fr. 1 D. IV, 3) *omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita* (cfr. comm. ad can. 103 n. 4).

6. *Coniux durante matrimonio.* — Consistente matrimonio, consummato

vel non consummato, uterque coniux, seu consentiente seu renuente altera parte, invalide ad novitiatum admittitur. Estque impedimentum, alterutra parte consentiente, iuris mere ecclesiastici; et ideo praecise statutum videtur, ut singuli casus ad Ap. Sedem deferantur: est namque infirma natura sua conditio coniugis in religionem ingressi perdurante matrimonio, tum praesertim cum ius civile in materia matrimoniali iuri canonico contradicit. Sed adesse videtur exceptio a Codice ipso sancita, cum nempe, ad normam can. 1129, vitae coniugalis communio soluta est; tum enim, ad normam can. 1130, *coniux innocens, sive iudicis sententia sive propria auctoritate legitime discesserit, nulla unquam obligatione tenetur coniugem adulterum rursus admittendi ad vitae consortium; potest autem eundem admittere... nisi ex ipsius consensu ille statum matrimonio contrarium susceperit.* Postremis hisce verbis, exceptio, inquam, prima fronte introducta videtur; sed, si rem diligentius consideraveris, absque dubio concedes, voluisse hic Legislatorem definire tantummodo, quandonam *coniux innocens* amplius non possit *coniugem adulterum rursus admittere ad vitae consortium,* idest cum ille statum matrimonio contrarium legitime susceperit, veluti ex. c. statum religiosum, impetrata prius dispensatione apostolica ab impedimento perdurantis matrimonii, de quo in can. 542: nam et soluta communione *matrimonium perdurat.* Ex adverso, sponsalia nullum impedimentum constituunt.

7. *Qui obstringuntur vel obstricti fuerunt vinculo professionis religiosae.* — Agitur in hoc commate canonis 542 de vinculo professionis religiosae: quare impedimentum non tenet eos, qui, ad normam can. 673, pertinent vel pertinuerunt ad societates in communi viventes sine votis, quamvis promissionem perseverantiae emiserint, etiam iureiurando firmatam. Ex adverso toties obstat impedimentum, quoties extat vel extitit vinculum religiosae professionis, seu perpetuae seu temporariae, seu simplicis seu sollemnis, seu in religione iuris pontificii seu iuris dioecesani. Extet vel extiterit: illic habes impedimentum iuris naturalis, super quo tamen Ap. Sedes indirecte dispensare potest (can. 638 et 640 § 1 n. 2); hic impedimentum iuris mere ecclesiastici. In praxi impedimentum eos tenet, qui, a religione dimissi aut e religione egressi in aliam vel iterum in illam ingredi volunt; nam diversa est conditio eorum, qui de religione ad quam actu pertinet ad aliam transire cupiunt: etenim de transitu huiusmodi expresse agunt can. 632-636.

8. *Hi quibus imminet poena ob grave delictum commissum, de quo accusati sunt vel accusari possunt.* — Hoc iuris ecclesiastici impedimentum introductum praesertim est ad bonam famam religionum tuendam: quamvis enim non dedeceat, religionem (praesertim si ad expiationem commissorum institutam, imo hic proprie consistat gloria religionum) sontem virum recipere atque emendare, non immerito tamen minus decere visum est, ut is recipiatur, qui delictum commiserit publico iudicio prosequendum. Quare usque ab aetate Sixti Pp. V (a. 1585-1590) hoc impedimentum introductum est quoad graviora delicta. Ex iure autem Codicis nostri, sufficit delictum grave (quod nempe, ad normam le-

gum ecclesiasticarum vel civilium, gravi poena sit persequendum), quod revera fuerit patratum: unde, si de facto patratum non fuerit, ingressus in religionem forte concessus, non est invalidus; imo videtur Superior religiosus, summo iure, in religionem admittere posse praesumptum delinquentem, si irrefragabiliter ei constet nullo delicti suspicionem fundamento fulciri. Utcumque, impedimentum non subest, si delictum, quo de agitur, revera *commissum* non fuerit. Et videamus quidnam proprie significet poenam *imminere,* cum hac in re explicationes nobis apud quosdam auctores occurrant, quae minus placent. *Imminere,* ait Forcellinus noster (*Lexicon tot. latin.*) est *supra manere, impendere (gall. être suspendu au-dessus).* Unde Livius (XXIX, 35): *Imminens prope ipsis moenibus tumulus.* Haec, iuxta lexicographiae latinae patrem, *propria* et fundamentalis significatio. Inde autem verbum translatum est ad significationem metaphoricam *de rebus... quae aliis proximae sunt.* Cum autem, ex praescripto can. 18, leges ecclesiasticae *intelligendae sint secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam,* cumque praeterea hic ratio ipsa legis evidentissime suffragetur, poenam imminere dicemus, non solum *cum poenae periculum proxime adest* (ut quidam scripsere), sed etiam quoties pure et simpliciter grave delictum, gravi poena puniendum, iis in rerum adiunctis commissum est, ex quibus delinquens accusari possit: scilicet tenebit impedimentum, quoties non agitur de crimine prorsus occulto (cfr. can. 2197 n. 4).

9. *Episcopus sive residentialis sive titularis, licet a Romano Pontifice sit tantum designatus* — Per designationem ad episcopatum R. Pontifex clerico veluti manum apponit: quare, designatione facta (nempe quacumque modo, quo R. Pontificis voluntas manifestari valet) nemo in Ecclesia potest, sine consensu eiusdem R. Pontificis, quamcumque immutationem inducere in statum personalem designati. Hinc necessario descendit, clericum semel a R. Pontifice (et ceterae designationes, sive Capituli, sive patroni, sive civilis potestatis nihil hac in re operantur) Episcopum designatum valide non posse recipi in religionem, sive designatus fuerit ad sedem titularem, sive ad sedem residentialem. Postquam vero Episcopus ita designatus sedis residentialis canonicam possessionem cepit, subest et alia ratio, qua impedimentum iuris mere ecclesiastici convertitur in impedimentum iuris naturalis: nempe vinculum spiritualis connubii, inter Episcopum eiusque Ecclesiam intercedens.

10. *Clerici qui ex instituto Sanctae Sedis iureiurando tenentur operam suam navare in bonum suae dioecesis vel missionum, pro eo tempore quo iurisiurandi obligatio perdurat* — De clericis praefatis haec habet Vermeersch (*Epitome,* I, n. 534): *In Urbe, ex pontificia ordinatione, alumni plurium collegiorum ecclesiasticorum, mox post receptionem in collegium, iuratam promissionem facere debent qua, post peracta studia et susceptum sacerdotium, per aliquot annos, v. g. per tres, missioni suae vel dioecesi suae inservient: nec religionem, nisi ex S. Sedis facultate interea ingredientur.* Ratio itaque impedimenti requirenda est in contraria praecisa obligatione, iurata promissione contracta, non ingre-

diendi religionem, nisi ex Ap. Sedis facultate. Est igitur impedimentum iuris naturalis, cuius tamen dispensatio, vi ipsius susceptae obligationis, ad Ap. Sedem defertur. Cum vero in commate agatur tantummodo de iureiurando praestito *ex instituto Sanctae Sedis,* patet impedimento non teneri qui, ad normam can. 981 § 1, *titulo servitii dioecesis* aut, *in locis S. Congregationi de Prop. Fide subiectis, titulo missionis* ordinati sunt, quamvis *ordinatus, iureiurando interposito, se devoveat perpetuo dioecesis aut missionis servitio, sub Ordinarii loci pro tempore auctoritate.* Hic sane habemus praecisae obligationis susceptionem; at haec ex iure communi, non autem *ex Ap. Sedis instituto,* suscipitur et ideo in lege non comprehenditur. Imo, cum ipsum ius commune qui huiusmodi iuratam obligationem admittit, simul tacite admittat, absque ulla dispensatione apostolica, ingressum quorumcumque clericorum in religionem, videtur iuratae obligationi, de qua in can. 981 § 1, inesse semper conditio tacita: *nisi agatur de religione ingredienda.*

11. *Illicite, sed valide admittuntur: Clerici in sacris constituti, inconsulto loci Ordinario aut eodem contradicente ex eo quod eorum discessus in grave animarum detrimentum cedat, quod aliter vitari minime possit.* — Et veniamus ad impedimenta, quae quidem obligationem imponunt in religionem, impedimento perdurante, non admittendi, at admissionem, quae nihilominus forte locum habuerit, irritam non faciunt. Et primum de clericis quorum discessus dioecesi graviter noceat. Agitur de clericis *in sacris,* qui nempe sacrum ministerium vel iam exercent vel proxime sunt exercituri. Plures Codicis nostri interpretes, qua de causa nescio, obligationes in hac altera canonis 542 parte contentas in adspirantes plus minusve refundere videntur, veluti si Legislator non scripsisset in capite eiusdem partis: *illicite, sed valide « admittuntur ».* Nam nullum dubium quin *admissio* ad Superiores religiosos spectet; quin soli Superiores religiosi, ratione officii, ad haec impedimenta adamussim cognoscenda teneantur; quin soli Superiores religiosi de admissione illegitima respondere debeant, can. 2411 ita disponente: *Superiores religiosi qui canditatum non idoneum contra praescriptum can. 542... ad novitiatum receperint... pro gravitate culpae puniantur, non exclusa officii privatione.* Itaque Superior religiosus, ad candidatum in religionem admittendum competens, obligatione, et quidem gravi cum grave sit negotium, tenetur, non admittendi in religionem clericum in sacris constitutum, si sibi ex scripto testimonio (quod semper praeferendus est, ut possit de admissione responderi) vel ex certa notitia non constiterit, et loci Ordinarium de re fuisse consultum, et non contradixisse ex eo quod clerici a dioecesi discessus in grave animarum detrimentum cedat, quod aliter vitari non possit. Consultatio ergo Ordinarii loci semper est necessaria; quod si consultus Episcopus non contradixerit, clericus licite in religionem recipi potest; si autem contradixerit, tum ratio ab Episcopo allata est perpendenda et, si alia fuerit ab ea quae in hoc commate affertur, admissio adhuc licita est; si ex adverso haec praecise ratio afferatur, tum Superiori religioso candidatum admittere non licet.

Quocirca cl. Vermeersch (o. c. n. 536) innuit gravissima verba Benedicti Pp. XIV in litt. *Ex quo dilectus,* 14 ian. 1747, quae verba ex integro referre placet: *Si vero agatur de parochis,* ait Pontifex (§ 19), *aliisve animarum curam gerentibus, nemo quidem negabit, ipsorum munus magni in Ecclesia momenti esse; sed quum simul negari nequeat « praelationis munus, seu statum (ut inquit Suasez, De religione, tom. III, lib. I, cap. 21, ubi de animarum cura loquitur) minus securum esse, religionis vero esse statum maioris securitatis in ordine ad spiritualem salutem »; unusquisque parochus, religiosae vitae cupidus, hac una exceptione in iudicio se tuebitur adversus Episcopum, qui ipsum ad animarum curam revocare contendat. Sanctus Gregorius Magnus, quum olim scriberet adversus legem ab Imperatore Mauritio editam, qua interdictum erat militibus monasticam vitam amplecti, hanc, inter alias, rationem afferebat: « Multi sunt, qui possunt religiosam vitam etiam cum saeculari habitu ducere, et plerique sunt, qui, nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possunt »..... Nunc ergo quilibet... parochus, qui officium aut ministerium suum cum religiosa vita commutaverit, se non inter « multos », sed inter « plerosque » a S. Gregorio indicatos, connumerandum esse affirmabit.* Et hac de causa, loci Ordinario contradicente, semper candidato patet recursus ad Ap. Sedem.

12. *Aere alieno gravati qui solvendo pares non sunt.* — Qui solvendo sunt pares, nec videntur, quoad religionem, aere alieno gravati: ideo namque hoc ius introductum est, ne religio gravaretur. Sed haec omnia forum externum respiciunt. Quare censemus hoc impedimentum non afficere eos, qui, ex praescriptione actionis, quocumque sunt debito legitime liberati; neque eos, quorum debita probari nequeunt et consequenter actio nequit contra debitorem institui: quamvis enim hisce in casibus extare possit aut extet onus conscientiae, in foro externo nihil debetur, nulla est aeris alieni gravatio. Commatis igitur praescriptum eos tenet, qui in foro externo aere alieno gravati sunt et solvendo pares non sunt: hos Superior religiosus, qui sciens prudens ad religionem admiserit, valide quidem admisit, cum scienti et volenti iniuria non fiat, at illicite admisit, cum admiserit contra voluntatem legis et, per se, in praeiudicium religionis. Codicis hac in re, praescriptum substantialiter congruit cum praxi, quae antiquitus vigebat. Adversus hanc praxim Sixtus Pp. V, per constit. *Cum de omnibus* (26 nov. 1587, § 4 et 5), arguta qua semper utabatur ratione loquendi ait: *Ceterum, quoniam saepe... multi decoctores, post dilapidatam rem familiarem et contractam ingentem vim aeris alieni... non pia intentione, sed ad evitandam legum et iudiciorum severitatem, quia tuto in saeculo vivere non possunt, tunc demum quaerunt a religione auxilium, quando aliunde illud non sperant;... ut his... subterfugii... spes omnis tollatur,... aeri alieno... obligatos ad religionem perpetuo inhabiles declaramus... ac iubemus eos, qui sic de facto rercepti erunt, habitu spoliari et a religione expelli; et... si expulsi non fuerint. pariter declaramus, habitus susceptionem et professionem penitus nullam esse et*

censeri. Cui tamen Sixti Pp. V severitati derogavit postea Clemens Pp. VIII per constit. *In suprema* (2 iun. 1602, § 1-3) hisce verbis: *Cum igitur fel. rec. Sixtus Papa V Praedecessor noster... quadam sua quae incipit « Cum de omnibus »... nonnulla circa modum, formam et qualitates admittendi religiosos... decreverit;... tamen, quia longo usu et experientia compertum est, ex nimia... multitudine casuum, in quibus professio... a dicto Sixto Praedecessore nulla declaratur, multos, hac occasione arrepta, fraudolenter petiisse et in dies petere ut professio nulla declararetur:... Nos ea scandala et incommoda... removere... cupientes... constitutiones praedictas Sixti Praedecessoris, quoad eam partem... per quam professio nulla declaratur, ad terminos iuris... perinde ac si praedictae constitutiones... editae non fuissent... tenore praesentium reducimus.* Et cum invaliditate professionis, hic logice sublata quoque est invaliditas admissionis in religionem. Postea vero diu viguit mitior opinio, iuxta quam tum tantum solvenda erant ante ingressum in religionem debita, cum debitor *nimio incommodo non excusabatur:* quam opinionem Legislator noster implicite explosit.

13. *Reddendae rationi obnoxii aut aliis saecularibus negotiis implicati, ex quibus lites et molestias religio timere possit.* — Reddendae rationi obnoxii sunt ex lege civili tutores, curatores, mandatarii, negotiorum gestores, executores testamentarii aliique, si qui fuerint, administratores. Illi autem saecularibus negotiis implicati censentur, qui, praeter casum aeris alieni aut administrationis reddendae, ad aliquid dandum, faciendum vel praestandum seu lege civili seu etiam iure mere naturali tenentur, vel qui etiam, absque ulla vera obligatione, litibus forte implicati fuerint: tum enim lites vel saltem molestiae semper timendae sunt. Hi omnes, usque dum res ad pacificam compositionem devenerit, ad licite ingrediendam religionem impedimento afficiuntur, nisi, ut lex excipere videtur, ea suffragentur rerum adiuncta, ex quibus nullam litem aut molestiam secutura merito coniici possit: quod quidem aestimationi boni viri, nempe Superiorum, relinquitur. Ratio autem huius praescripti requirenda e t in sollicitudine Ecclesiae ne religio detrimentum capiat, neve turbetur molestiis tranquillitas novitiatus. Eaedem fere vicissitudines huic atque praecedenti impedimento ante Codicem i. c. fuerunt.

14. *Filii qui parentibus, idest patri vel matri, avo vel aviae, in gravi necessitate constitutis, opitulari debent, et parentes quorum opera sit ad libero alendos vel educandos necessaria.* — Non defuerunt iurisperiti, qui hoc can. 542 comma disputationibus, distinctionibus et subdistinctionibus plus minusve discerperunt. Nihil nobis hoc commate clarius. Agitur de iure positivo, quod, uti patet, extra ambitum legis intactum relinquit ius naturale, de quo sane multa disputari possunt: sed haec ad Codicem non pertinent. Praeterea versamur in odiosis, quae strictam interpretationem postulant. Impedimento igitur, de quo in commate, ii omnes et soli tenebuntur qui in lege expresse recensentur. Itaque hoc impedimento teneri possunt tum filii tum parentes: scilicet in primis filii qui parentibus in gravi necessitate constitutis opitulari debent. Quocirca tres oriuntur quaestiones. Prima

quaestio: quinam hic veniant nomine parentum; et huic quaestioni Legislator ipse authentice respondet, nempe venire patrem, matrem, avum et aviam: alium nullum. Altera quaestio: quandonam huiusmodi parentes censendi sint in gravi necessitate constituti; et responsio posita est in aestimatione boni viri, conditionis socialis parentum aliarumque localium et personalium circumstantiarum habita ratione: alia enim atque alia est necessitas parentum bene valentium et infirmae valetudinis; alia atque alia parentum nobilium et ignobilium, vel parentum qui in opulentia aut in egestate vixerunt: unum statui potest, nempe tum gravem censeri necessitatem, cum grave est parentum incommodum. Tertia quaestio: quandonam filii opitulari *debeant;* cui quaestioni respondendum videtur, tum opitulari per se ipsos debere, cum aliunde opitulatio certa, opportuna, sufficiens non suppetit ad gravem eorum necessitatem permanenter auferendam. Deinde impedimento, de quo in commate, teneri possunt parentes. Quocirca quaestiones duae fieri possunt. Prima quaestio: quinam hic veniant nomine parentum; cui quaestioni respondendum videtur, eo nomine venire, uti supra, patrem, matrem, avum, aviam: non enim concipi potest nepos impeditus in favorem avi et, vicissim, avus non impeditus in favorem nepotis; neque ulla est ratio idem verbum in eodem commate bifariam accipiendi. Aliter censendum de patrino, quamvis et ipse (can. 1335) teneatur ad educationem filii spiritualis, aliis deficientibus, curandam. Altera quaestio: quandonam parentum opera ad filios alendos vel educandos necessaria censeatur. Et respondendum videtur hoc quoque a rerum adiuctis potissimum pendere: alia namque est conditio filii, alia filiae; aliud si agatur de alimentis, aliud si de educatione; aliud si liber sit infans, aliud si puber aut maior; aliud si de familia opulenta aut nobili agatur, aliud si de familia egena aut populari. Et hic igitur iudicium in estimatione boni viri positum est. Itaque in casibus a lege expresse recensitis extat impedimentum, liceitatem admissionis in religionem eatenus impediens, quatenus aut sublatum non fuerit aut ab Ap. Sede dispensatum. In aliis casibus similibus, sed quae in lege expresse non recensentur, extare quidem potest impedimentum iuris mere naturalis, de quo tamen in foro externo ratio reddenda non est neque dispensatio necessaria, quodque proinde rescindibilem in foro externo non facit admissionem religiosorum. Idem substantialiter ius ante Codicem vigebat.

15. *Ad sacerdotium in religione destinati, a quo tamen removeantur irregularitate aliove canonico impedimento.* — Etiam quoad hoc canonis comma multa perperam scripta sunt, quibus per tricas scholasticae argumentationis virtus legis fere destruitur. Ita ex. c. cl. Pejska (*Jus canonicum religiosorum,* pag. 82 n. 5) ait: *Quae in can. 987 enumerantur impedimenta, temporaria sunt, ita ut simul cum sua causa cessent. Propterea nihil impedit, quominus in novitiatum admittatur v. g. neophita vel infamia facti innodatus, dummodo praevideatur impedimentum ante subdiaconatus susceptionem sublatum iri. Pariter iuvenes, qui servitio militari ordinario nondum satisfecerunt, religioni adscribi possunt, ita tamen ut eorum vota temporaria extinguantur ea die qua servitium*

militare ingrediuntur. Quod ultimum assertum auctor probare conatur per decr. *Inter reliquas* (1 ian. 1911), quod decretum, ex declaratione S. Congr. de Religiosis 15 iul. 1919, vim obligandi post editum Codicem i. c. retinuit. Et ita actum est de lege ecclesiastica. Sed haec omnia perperam esse dicta, demonstrare confidimus. In primis igitur Legislator ecclesiasticus ait: *Illicite ad novitiatum admittuntur... ad sacerdotium in religione destinati, a quo tamen removeantur irregularitate aliove canonico impedimento*. Quaenam mens Legislatoris in hac lege ferenda? Haec absque dubio: ut integra causa eorum, qui sine apostolica dispensatione ad sacros ordines promoveri non possunt, *privato iudicio usque ab initio subtraheretur* et Ap. Sedi reservaretur. Extante igitur irregularitate vel alio, quoad sacros ordines, canonico impedimento, candidatus, tanquam ad sacerdotium destinatus, in religionem absque praevia dispensatione apostolica admitti non potest. Unus casus videtur excipiendus, eo quod ipsa Ap. Sedes illum excepisse videatur, nempe casus irregularitatis ex illegitimitate natalium. Ait enim can. 984: *Sunt irregulares ex defectu, illegitimi,... nisi fuerint legitimati vel vota sollemnia professi*. At, si sollemnis professio religiosa est remedium *legitimum* ad auferendam irregularitatem qua de agitur, implicite Legislator consentire videtur, ut illegitimus ad professionem religiosam ac proinde ad religionem admittatur; consensus autem legalis Legislatoris, peculiaris dispensationis necessitatem videtur auferre. *Videtur,* inquam: sed tanquam certum affirmare non auderem; nam semper vera sunt quae initio diximus, sicuti etiam verum est, verba can. 984 supra allata intelligi etiam posse de eo, qui ad religionem admissus est ex dispensatione apostolica, non quidem *irregularitatis,* sed tantummodo *eius irregularitatis effectus,* per quem quis illicite ad religionem admittitur: etenim, quare in casu Ap. Sedes ab *ipsa irregularitate* dispensaret eum, quem neque ad sacros ordines promotum iri, neque in ipsa religione permansurum certum est? Subtilia haec? Sed forsitam non absona. Ceterum cl. Pejska asserta, sive quoad naturam temporariam impedimentorum, de quibus can. 987, sive quoad licitam admissionem neophytarum etc. in religionem, prout iacent, extra ius canonicum omnino vagantur. Decretum vero *Inter reliqua,* item ab eodem auctore allatum, eiusque, magnae quidem auctoritatis sed non *authentica,* confirmatio, respiciunt casum legitimae admissionis, nempe post apostolicam ab impedimento dispensationem impetratam. Quae dispensatio, quare, si ob rerum adiuncta minus expediat, ab Ap. Sede negari non possit, non videmus. Et hac praesertim de causa videtur hoc negotium, per comma quod exposuimus, Ap. Sedi expresse reservari.

16. *Orientales in latinis religionibus sine venia scripto data Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali.* — Ratio huius ultimi commatis posita esse videtur in sollicitudine Ap. Sedis sarta tecta servandi iura, privilegia, incrementa Ecclesiae Orientalis. Evidenter enim ad latinam religionem Orientalis admitti non potest, quin latinum tandem aliquando ritum susceperit; et vicissim Latinum ad religionem orientalem. Jam vero, ad normam can. 98, § 3, *nemini licet sine venia Apo-*

stolicae Sedis ad alium ritum transire: qua lege tum Orientales tum Latini tenentur. Nonne igitur inutiliter ultimum hoc comma can. 542, adiectum est? Sane id esset verum, si ingressus in religionem necessario secumferret transitionem simultaneam ad alium ritum. Sed non ita res se habet: nam cur ritus permutatio ante professionem religiosam, dum, nempe, minime certum est novitium in religione permansurum? Itaque si Orientalis in latinam religionem recipitur, quamvis haec receptio secumferat temporarium quoddam accessum ad ritum alienum, non tamen necessario secumfert illius adoptionem, ut statim videbimus. Id autem praecise Legislator Ap. Sedi reservare voluisse videtur, nempe facultatem per se ipsa iudicandi de opportunitate, ut Orientalis sese disponat ad proprium ritum derelinquendum, atque ita veluti inchoetur ritus permutatio. Ideo semper hac in re venia Ap. Sedis petenda est, unico excepto casu, de quo Commissio Pontif., Cod. i. c. interpretando praeposita, in responso 10 nov. 1925 dato: nempe in latinis religionibus admitti posse, sine venia de qua can. 542, n. 2, ad novitiatum Orientales qui, proprio retento ritu, praeparantur ad constituendas domus et provincias religiosas ritus orientalis. Quoad vero receptio Orientalis, aut forte Latini, in religionem orientalem, servandum est ius Ecclesiae Orientalis, quod ad Codicem nostrum non pertinet.

17. Deinde praetermittendum non est, admissionem, seu invalidam seu illicitam, candidati in religionem contra praescripta canonis, quem huc usque exposuimus, esse delictum abusus potestatis seu officii ecclesiastici, quod qui patraverint Superiores religiosi, pro gravitate culpae puniendi sunt, non exclusa officii privatione (can. 2411).

18. Quid autem agendum, si quis *de facto* illegitime fuerit in religionem admissus? Constat imprimis, candidati invalide admissi tum novitiatum, tum professionem, esse irrita et nulla; illicite vero admissi et ipsa illicita esse. Quid igitur? Videtur duplex adesse remedium, prout impedimentum adhuc subsistit vel minus. Si impedimentum adhuc subsistit, res ad Ap. Sedem deferenda est, pro sanatione vel ratihabitione de praeterito, ac dispensatione de futuro, et standum eius mandatis; si, contra, impedimentum obstare desiit, tunc, si agitur de impedimento invalidante, alterutrum est agendum: vel negotium ad Ap. Sedem deferre pro sanatione de praeterito, vel admissionem, novitiatum et forte professionem legitime iterare. Quod ultimum remedium tum tantum, uti patet, proderit, cum haud multum temporis decurrerit ab admissione in religionem. Si tandem agitur de impedimento prohibente, tum rerum conditio, facto ipso cessationis impedimenti, ita in integrum restituitur, ut nulla iam ratihabitio videatur necessaria, nisi forte admissio illegitime peracta fuerit ex dolo candidati et dolus errori causam dederit: tum namque agitur de errore circa substantiam actus; unde, ad normam can. 104, actus admissionis irritus fit et sanatione indiget. Delatio autem negotii ad Ap. Sedem in casibus supra recensitis, requiritur, nedum ad

sanationem obtinendam, sed etiam ex eo, quod praeceptum can. 542 semper tenet, et neglectum praeceptum legis non est ratio cur lex iterum transgrediatur.

Can. 543.

Jus admittendi ad novitiatum et subsequentem professionem religiosam tam temporariam quam perpetuam pertinet ad Superiores maiores cum suffragio Consilii seu Capituli, secundum peculiares cuiusque religionis constitutiones.

Praxes varias, quoad ius ad novitiatum et professionem religiosam admittendi ante Codicis i. c. promulgationem vigentes, Codex noster per hunc canonem quodammodo in unum redigit.

Admissio pertinet ad Superiores maiores (cfr. can. 488, n. 8), aliis Superioribus exclusis. Fieri debet cum suffragio Consilii vel Capituli, exclusa admissione per solam voluntatem Superioris maioris. Hoc denique suffragium, seu decisivum seu consultivum, exquiri debet ad validitatem actus (can. 105, n. 1). Haec ex iure communi omnes religiones tenent, a religione exempta ad religiones iuris dioecesani.

Ad quem vero proprie Superiorum maiorum admissio spectet; an Capituli vel Consilii vel utriusque suffragium sit exquirendum; utrum denique suffragium huiusmodi vim decisivam seu consensualem, an potius mere consultivam habere debeat, iuri particulari definiendum relinquitur.

Can. 544.

§ 1. *In quavis religione omnes adspirantes, antequam admittantur, exhibere debent testimonium recepti baptismatis et confirmationis.*

§ 2. *Adspirantes viri debent praeterea testimoniales litteras exhibere Ordinarii originis ac cuiusque loci in quo, post expletum decimum quartum aetatis annum, morati sint ultra annum moraliter continuum, sublato quolibet contrario privilegio.*

§ 3. *Si agatur de admittendis illis qui in Seminario, collegio vel alius religionis postulatu aut novitiatu fuerunt, requiruntur praeterea litterae testimoniales, datae pro diversis casibus a rectore Seminarii vel collegii, audito Ordinario loci, aut a maiore religionis Superiore.*

§ 4. *Pro clericis admittendis, praeter testimonium ordinationis, sufficiunt litterae testimoniales Ordinariorum in quarum dioecesibus post ordinationem ultra annum moraliter continuum sint commorati, salvo praescripto § 3.*

§ 5. *Religioso professo, ad aliam religionem ex apostolico indulto transeunti, satis est testimonium Superioris maioris prioris religionis.*

§ 6. *Praeter haec testimonia a iure requisita, possunt Superiores, quibus*

ius est adspirantes in religionem cooptandi, alia quoque exigere, quae ipsis ad hunc finem necessaria aut opportuna videantur.

§ 7. *Mulieres denique ne recipiantur, nisi praemissis accuratis investigationibus circa earum indolem et mores, firmo praescripto § 3.*

1. Pragmaticum hunc canonem primum, breviter resumemus; deinde observationes quasdam adiiciemus. Age vero: candidatus ad religionem aut vir est aut mulier; si vir, aut est in aliqua religione vota professus aut non professus; si denique vota religiosa non est professus, aut clericus est aut laicus. Rursus, si mulier, aut vota professa est aut non professa. Haec autem sunt testimonia quae pro unoquoque horum casuum a iure requiruntur, antequam quis ad religionem admittatur: — 1. Pro viris, seu clericis seu laicis, qui, in aliqua religione vota (seu sollemnia, seu simplicia, seu perpetua, seu temporaria) professi, ad aliam religionem transire volunt, requiruntur tantummodo litterae testimoniales Superioris maioris, cui subsunt, religionis *a qua*. — 2. Pro viris, qui vota in nulla religione professi sunt, si clerici sint et nunquam fuerint in aliquo Seminario aut collegio, aut alius religionis novitiatu vel postulatu, requiruntur litterae testimoniales ordinationis (idest vel primae tonsurae vel ulterioris ordinationis ultimo susceptae) ac praeterea litterae testimoniales omnium Ordinariorum, in quorum dioecesibus post ordinationem, ultra annum moraliter continuum, commorati sint; si autem antea fuerint in aliquo Seminario aut collegio, vel alius religionis novitiatu aut postulatu, requiruntur praeterea litterae testimoniales rectoris Seminarii vel collegii, aut Superioris maioris religionis, cui novitiatus vel postulatus subest. — 3. Pro viris non professis, si laici sint et nunquam fuerint in aliquo Seminario aut collegio aut alius religionis novitiatu vel postulatu, requiruntur: *a*) testimonia suscepti baptismatis et confirmationis; *b*) litterae testimoniales Ordinarii originis; *c*) litterae testimoniales omnium Ordinariorum, in quorum dioecesibus, post expletum XIV aetatis annum, ultra annum moraliter continuum morati sint; si autem antea fuerint in aliquo Seminario aut collegio, vel alius religionis novitiatu aut postulatu, requiruntur praeterea litterae testimoniales rectoris Seminarii vel collegii, aut Superioris maioris religionis, cui novitiatus vel postulatus subest. — 4. Pro mulieribus quae, in aliqua religione vota (seu sollemnia seu simplicia, seu perpetua seu temporaria) professae, ad aliam religionem transire volunt, requiruntur tantummodo litterae testimoniales maioris Antistitae, cui subsunt, religionis *a qua*. — 5. Pro mulieribus, quae vota in nulla religione professae sunt, si nunquam fuerint in aliquo alius religionis novitiatu vel postulatu, a iure communi non requiritur nisi testimonium suscepti baptismatis et confirmationis; si autem antea fuerint in aliquo alius religionis novitiatu vel postulatu, requiruntur praeterea litterae testimoniales maioris eius religionis Antistitae, cui novitiatus vel postulatus subest. Et per canonem excurramus.

2. *Annum moraliter continuum.* — Debent candidati quidam exhibere testimoniales litteras Ordinarii originis (cfr. can. 90), necnon Ordinarii cuiusque

loci, in quo, post expletum XIV aetatis (cfr. can. 88, § 2) annum (nempe incoepta pubertate legali), morati sint ultra annum moraliter continuum. Physice continuum est tempus, quod nullam interruptionem patitur (can. 35); moraliter continuum dicitur tempus, quod, quamvis hic illic interruptum, eius tamen naturae interruptiones sunt, ut temporis cursus perseverare videatur. Quod ex. c. contingit, cum quis ad breve deserit locum domicilii aut residentiae, quin tamen residentiam aut domicilium deserat. Et inde patet quomodo accipiendus sit annus moraliter continuus. Privilegia vero, quae hic Legislator perimit per clausulam derogatoriam, sunt privilegia quae ante Codicem religionibus quibusdam suffragabantur.

3. *Audito Ordinario loci.* — Seminarii aut collegii rector, antequam litteras testimoniales dederit, circa personam ad Seminarium vel collegium pertinentem, audire debet Ordinarium loci, idest dioecesis aut quasi-dioecesis ubi collegium vel Seminarium situm est. Raro autem in Codice nostro accidit, ut inferior *audire debeat* Superiorem; utcumque hic quoque, ut fert sententia nobis certa de interpretatione can. 105, n. 1, Ordinarius audiri debet ad validitatem actus, nempe litterarum testimonialium. Nomine autem *collegii* venire videtur in hoc canone tantummodo illa domus, ubi adolescentes, iuxta morem qui viget in Urbe, ad sacerdotium praeparantur: ita enim, et non concede alias, facile intelligi potest et rectorem, qui huiusmodi collegiis praeest, dare oportere litteras testimoniales, et id fieri non posse quin loci Ordinarius audiatur. Ex adverso, alibi in Codice *collegii* nomine appellatur quaevis domus, ubi adolescentes alterutrius sexus in litteris, scientiis, religione instituuntur, veluti si ita vocarentur, quasi per antonomasiam, personae collegiales (cfr. can. 99 et seq.) ad nobilissimum educationis finem erectae.

4. *Praeter haec testimonia* etc. — Litterae testimoniales, de quibus in hoc canone, semper de iure requiruntur; et vicissim *de iure* ipsae solae sufficiunt. At extra provinciam iuris, aliae quoque notitiae circa personam, vivendi rationem, ingenium, valetudinem, indolem candidati necessariae aut opportunae esse possunt religioni, illum inter suos cooptaturae. Hinc, ut notitias huiusmodi exigere possit, expresse facultas fit Superiori religioso, cuius est candidatum in religionem admittere. Vi autem huius facultatis personae illae, quibus idem Superior fide dignas huiusmodi notitias petierit, respondere tenentur et quidem iuxta rei veritatem: publice enim in Ecclesia interest, ut nonnisi idonei candidati in ecclesiasticas religiones admittantur.

5. *Mulieres denique* etc. — Sollemnes Ordinariorum litterae testimoniales, quibus indigent viri, pro mulieribus non requiruntur, sed sufficiunt ea testimonia, quae supra enumeravimus. E contra, gravi obligatione tenentur Antistitae religionum muliebrium, publici Ecclesiae boni ratione habita, accuratas privatim investigationes peragere circa indolem et mores candidatarum, quae, absque huiusmodi accuratis investigationibus, ut canon explicite ait, in religionem recipi non debent.

CAN. 545.

§ 1. *Qui litteras testimoniales ex praescripto iuris dare debent, eas non ipsis adspirantibus, sed Superioribus religiosis dent gratuito intra trimestre spatium ab earum requisitione, sigillo clausas et, si agatur de illis qui in Seminario, collegio vel alius religionis postulatu aut novitiatu fuerint, a Superiore iuramento firmatas.*

§ 2. *Si ob graves rationes iudicaverint se eis respondere non posse, causas Apostolicae Sedi intra idem tempus exponant.*

§ 3. *Si reposuerint adspirantem satis non esse sibi cognitum, per aliam accuratam investigationem ac fide dignam relationem Superior religiosus suppleat; si vero nil reposuerint, Superior requirens de non recepta responsione Sanctam Sedem certiorem reddat.*

§ 4. *In suis litteris testimonialibus, postquam diligentem investigationem, etiam per secretas notitias, instituerint, referre debent, graviter eorum conscietia onerata super veritate expositorum, de adspirantis natalibus, moribus, ingenio, vita, fama, conditione, scientia; sitne inquisitus, aliqua censura, irregularitate aut alio canonico impedimento irretitus, num propria familia eius auxilio indigeat, et tandem, si agatur de illis qui in Seminario, collegio, aut alius religionis postulatu aut novitiatu fuerint, quanam de causa dimissi sint vel sponte discesserint.*

1. *Juramento firmatas.* — De huiusmodi iureiurando S. Congr. de Relig., 21 nov. 1919 haec edixit: *In casu quo Superior religiosus vel rector Collegii aut Seminarii renuerit iuramento firmare, ad normam can. 545 § 1, litteras testimoniales a Superiore alterius Instituti requisitas pro admittendo postulante ad normam can. 544 § 3, Ordinarius, si agatur de Institutis iuris dioecesani aut laicalibus, sive de Collegiis aut Seminariis; vel supremus Moderator in Institutis clericalibus aut in Ordinibus regularibus, contra tales Superiores renuentes procedant, eos cogendo etiam per poenas, usque ad privationem officii. Quod si nihilominus litterae iuratae haberi non possint, res deferatur ad S. Congregationem.*

2. *Si ob graves rationes* etc. — Quandoque adesse possunt graves rationes, quare is, a quo litterae testimoniales postulatae sunt, eas dare detrectet. Gravis ratio ex. c. esse potest existentia cognationis, vitae consuetudinis, diuturnae amicitiae, vel, e contra, litis aut gravis inimicitiae, etiam inculpabilis, inter eum a quo litterae postulatae sunt et candidatum ad religionem eiusve familiam, ita ut ex. c. Ordinarius in tali conditione reperiatur, ut facile videri possit testis suspectus (cfr. can. 1613 et 1757 § 2 n. 3). Quando autem graves rationes abstinendi sibi suffragari censeat, potest Superior non respondere et infra trimestre spatium a requisitione, huius rei causas patefacere S. Congregationi Religiosorum.

3. *Per aliam accuratam investigationem* etc. — Litterae testimoniales non requiruntur ad validitatem actus, nempe admissionis in religionem. Unde, si quacumque ex causa desint, suppleri semper possunt per privatas investigationes, quae, quoniam, praeter privatae religionis, publicae quoque orbis catholici utilitatis intersunt, accuratae esse debent.

4. *Sitne inquisitus.* — Can. 1939 ait: *Si delictum nec notorium sit nec omnino certum, sed innotuerit..... ex rumore et publica fama..... antequam quis citetur ad respondendum de delicto, inquisitio specialis est praemittendaut const et an et quo fundamento innitatur imputatio.* Ex alia autem parte Codex poenalis italicus, cui plus minusve consonant Codices aliarum Nationum, haec habet (art. 225): *Quisquis, postquam patratum fuerit delictum,... auxilium praebet* (nempe delinquenti)... *ad Auctoritatis inquisitiones eludendas vel ad eiusdem investigationes effugiendas... punitur per reclusionem aut detentionem...* etc. Ex utroque igitur capite nec expedit nec iuvat inquisitum ad religionem admittere. Et inde in litteris testimonialibus respondendum est: sitne candidatus inquisitus. Canonica vero impedimenta, de quibus canon agit, ea sunt, quae in can. 542 recensentur. Et ad prolixum, sed facilem, canonem intelligendum, haec sufficere videntur.

Can. 546.

Omnes qui praedictas informationes receperint, stricta obligatione tenentur secreti servandi circa notitias habitas et personas quae illas tradiderunt.

Amplissimus est ambitus huius canonis, quo comprehenduntur omnes notitiae, seu verbales seu scriptae, ad negotium admissionis pertinentes, de quibus actum est, sive expresse sive implicite, in praecedentibus canonibus 544 et 545; itemque comprehenduntur omnes qui, seu immediate seu mediate, easdem notitias receperint; denique secretum servandum est tum circa notitias tum circa personas quae illas tradiderunt.

Ita praeceptum iuris naturalis ad ius positivum transfertur; puniendique sunt praecepti transgressores, tanquam proprio ufficio abutentes (can. 2404), pro culpae gravitate, prudenti legitimi Superioris arbitrio.

Can. 547.

§ 1. *In monasteriis monialium postulans afferat dotem in constitutionibus statutam aut legitima consuetudine determinatam.*

§ 2. *Haec dos ante susceptionem habitus monasterio tradatur aut saltem eius traditio tuta reddatur forma iure civili valida.*

§ 3. *In religionibus votorum simplicium, quod ad religiosarum dotem pertinet, standum constitutionibus.*

§ 4. *Dos praescripta condonari ex toto vel ex parte nequit sine indulto Sanctae Sedis, si agatur de religione iuris pontificii; sine venia Ordinarii loci, si de religione iuris dioecesani.*

1. Admodum laboriosa fuit huius instituti iuridici in ius nostrum introductio, idque propter speciem simoniae, qua inussa diu visa est dotis constitutio ac traditio. Unde in can. 19 Concilii oecum. Nicaeni II (a. 787) haec verba reperimus: *Tanta execrabilis avaritiae labes Ecclesiarum praefectos invasit, ut nonnulli horum virorum ac mulierum... dominici mandati obliti fallantur, et eos qui... ad vitam monasticam accedunt pecuniis admittant... Si quis ergo...* etc. Et Concilium oecum. Lateranense IV (a. 1215), singularis sane momenti ea quoque de causa, quod Innocentio Pp. III praeside habitum est, can. 64 ait: *Quoniam simoniaca labes adeo plerasque moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in sorores, paupertatis praetextu volentes huiusmodi vitium palliare: ne de caetero fiat penitus prohibemus, statuentes, ut quaecumque de caetero talem pravitatem commiserit, tam recipiens quam recepta, sive sit subdita sive praelata, sine spe restitutionis de suo monasterio expellatur, in locum arctioris regulae, ad agendam perpetuam poenitentiam, detrudenda. De his autem quae ante hoc Synodale statutum taliter sunt receptae, ita duximus providendum, ut, remotae de monasteriis, quae perperam sunt ingressae, in aliis locis eiusdem Ordinis collocentur...* Sin *praetextu,* tamen *ratione* paupertatis pecuniam posse a moniali religionem ingrediente et accipi et exigi, tanquam veram ac certam sententiam affirmabat Raymundus de Peñafort (a. 1180-1275). *Si monasterium,* ait (*Summa,* lib. I, c. 1, § 22), *esset adeo tenue, vel puapertate depressum, quod reditus vel vix vel non sufficeret personis praesentibus, non solum intentionem posset habere, sed etiam credo quod posset dicere: « Non sufficiunt nobis. Libenter suscipimus te ad spiritalia; ad temporalia non possumus, nisi habeamus plures possessiones ». Et tunc ille offerat se et sua. Quod autem,* subdit, *dicitur in constitutione* (nempe Concilii oecum. Lateranensis supra allata) *eodem cap. Quoniam, vers. Paupertatis praetextu, de simonia, intelligitur cum hoc dieebant in fraudem* (scilicet paupertatem simulando ut pecuniam emungere possent). Ab hac sentiendi ratione haud parum abest decretum, quod Concilium Tridentinum (a. 1545-1563) hac de re tulit (Sess. XXV, *De regular. et monial.,* c. 16);... *Sed neque ante professionem, excepto victu et vestitu... novitiae, illius temporis quo in probatione est, quocumque praetextu a parentibus vel propinquis aut curatoribus eius, monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeant quod totam vel maiorem partem substantiae suae monasterium possideat, nec facile si discesserit id recuperare possit.* Cuius decreti et verba et causa motiva diligenter consideranda sunt: iam enim conceptus radicitus mutati inveniuntur. Et revera, quindecim elapsis annis a clauso Concilio Tridentino, institutum iuridicum dotis religiosarum ad disciplinam ecclesiasticam pertinet. Nam est diei 8 febr. 1577 responsum S. Congr. Episc. et Regular., per quod edicitur, posse ac debere loci Ordinarium procedere adversus Superiores religiosarum exemptarum, eo quod *dotem minorem, quam ab Ordinario taxatam, ac-*

ceptaverant. Tandem Codex noster hoc dotis religiosae institutum perfecit ac aetatis nostrae ingenio magis aptavit.

2. *In monasteriis monialium* etc. — Dotis igitur nomine, cum cl. Vermeersch (*Epitome,* I, n. 552) intelligimus summam capitalem alendae personae dotatae destinatam. Dos huiusmodi exigenda est in quolibet monialium monasterio, sive egenum illud sit sive dives. Vis summae capitalis, dotis titulo monasterio tradendae, ea esse debet, vel quae in cuiusque Ordinis constitutionibus definitur, vel quam fert legitima consuetudo. Cum vero ratio potissima dotis a religiosis mulieribus exigendae, posita sit in necessitatibus quae proveniunt ex vita contemplativa et consequente clausura papali, censemus per se non venire hic nomine monialium religiosae illae (can. 488, n. 7), quarum vota, quamvis ex instituto sollemnia, tamen, ex voluntate Ap. Sedis de facto simplicia sunt et ideo clausuram papalem minime requirunt.

3. *Haec dos ante* etc. — Agitur de dote, de qua in paragrapho praecedenti, nempe de dote monialium tantum: *haec dos*. Itaque dos ob ingressum adspirantis in monasterium, ante susceptionem habitus religiosi vel facto tradenda est, vel saltem sponsione, ad normam legum civilium in regione vigentium peracta, tuta reddenda est eius traditio. Si haec altera via praeferatur, legitimum instrumentum ita est conficiendum, ut sponsio amplius revocari non possit. Quod si persona iuridica monasterii a civilibus legibus non agnoscatur, loco monasterii agunt personae interpositae, quae, coram lege civili, eiusdem monasterii proprietatem obtinent.

4. *In religionibus votorum simplicium* etc. — De dote in religionibus huiusmodi, quae, utpote vitae activae deditae, ea minus indigent, nihil disponit Legislator, sed omnia iuri particulari definienda relinquit. Possunt igitur constitutiones aut nullam, aut parvam dotem exigere; si exegerint, tempus ac modum traditionis statuere; titulos doti forte aequipollentes determinare. Hoc autem in definiendo negotio, finis, natura et media, ad finem religionis consequendum statuta, diligenter consideranda sunt. Ceterum Ap. Sedes in perpendendis ac probandis constitutionibus, quae minus expedire videbuntur, sua auctoritate corriget, quae videantur deficere, supplebit.

5. *Dos praescripta* etc. — Paragraphi praescriptum omnes prorsus religiones muliebres comprehendit et discrimen admittit tantummodo inter religiones iuris pontificii et religiones iuris dioecesani. Dos itaque, seu a constitutionibus seu a legitima consuetudine praescripta, integre solvenda est, et non est in potestate religionis eam condonare neque ex toto neque ex parte: una Ap. Sedes pro religionibus iuris pontificii, et unus Ordinarius loci, ubi domus religiosa reperitur, pro religionibus iuris dioecesani, id agere potest.

CAN. 548.

Dos monasterio seu religioni irrevocabiliter acquiritur per obitum religiosae, licet haec nonnisi vota temporaria nuncupaverit.

Usque ad obitum religiosae, dos, de qua amplius infra, diligentissime custodiri debet. Seu igitur monasterio seu, ad normam constitutionum, religioni tradita fuerit, alterutri per obitum religiosae irrevocabiliter acquiritur, idest in religionis vel monasterii proprietatem (quatenus bonorum proprietas cum religionibus componi potest) pertransit, dummodo religiosa post factam votorum professionem, sive sollemnem sive simplicem, sive perpetuam sive temporariam, obierit: nam, si ante professionem moriatur, detractis fructibus maturis, summa capitalis, cum candidata nondum religioni aggregata sit, legitimis heredibus restituenda est.

CAN. 549.

Post primam religiosae professionem dos in tutis, licitis ac fructiferis nominibus collocetur ab Antistita cum suo Consilio, de consensu Ordinarii loci et Superioris regularis, si domus ab hoc dependeat; omnino autem prohibetur eam quoquo modo ante religiosae obitum impendi, ne ad aedificandam quidem domum aut ad aes alienum extinguendum.

1. *Post primam religiosae* etc. — Uti supra innuimus, dos, seu eleemosyna dotalis, ideo traditur monasterio vel Congregationi, ut erogetur in victum et vestes religiosae ad monasterium vel Congregationem pertinentem. Sed ante primam professionem, idest perdurante novitiatu, mulier neque proprie religiosa est, neque ad monasterium vel Congregationem pertinet: est, nempe, in condi tione iuridica personae laicalis (quamvis, ratione habitus religiosi, quo utitur, particeps a iure fiat privilegiorum status religiosi), quae secum ipsa considerat, utrum sit sibi vita religiosa in eodem monasterio vel in ea Congregatione amplectenda, an potius ad saeculum redeundum; dum, vicissim, Antistitae, quae huic negotio sunt addictae, et ipsae diligenter perpendunt, utrum ea mulier sit in religionem cooptandam, an potius ad saeculum remittendam. Itaque agitur de conditione reciprocae probationis, quae vel professione religiosa vel reditu ad saeculum (seu sponte seu coacte) finitur. Nihilominus religioni ius est in constitutionibus statuendi vel expressa conventione cavendi (can. 570, § 1), ut impensae, pro postulante ac novitia factae, ab eadem eiusve familia rite compensentur: semper enim verum est mulierem, postulatus et novitiatus tempore, apud religionem vixisse. Si igitur, ut quandoque fit, summa capitalis, dotem candidatae constituens, ante primam professionem tradita fuerit, nullam in eam summam religio usque ad emissam professionem potestatem habet, ne eam quidem summam propria auctoritate administrandi. A momento autem primae professionis, sua religio auctoritate dotes religiosarum administrat tanquam usufructuaria.

Brevi : ante primam professionem dotem adspirantis, si forte tradita fuerit, religio habet in depositum ; post primam professionem, in usufructum ; post obitum religiosae, in proprietatem quatenus proprietas religioni competere potest. Quocirca minus placent verba eximii Vermeersch (*Epitome,* I, n. 555) : *Jam ante obitum... dos erat religioni acquisita a prima professione : sin minus, quo iure Antistita de eius collocatione statueret?... Sed ius istud condicioni resolutoriae obnoxium est : quae condicio ipso discessu sororis vel monialis advenit.* Videtur enim tum tantum *dos* monasterio seu religioni *acquiri,* cum acquiritur in proprietatem : secus non *dos acquiritur,* sed *dotis usus,* vel *usufructus ;* Antistita vero de eius collocatione, religionis nomine, statuere posse, *iure usufructuarii,* nempe, ut Paulus ait (fr. 1 D. VII, 1), *utendi fruendi salva rerum substantia.* Quod si egregius antecessor quaesierit, cuinam, perdurante usufructu rei *alienae,* pertineat proprietas dotis, respondendum videtur, eo tempore proprietatem quiescere, sicut quiescit in hereditate iacente, subsistente interim dote vi sua, tanquam persona morali non collegiali. Qua fictione iuris melius forte res explicabitur, quam per *dominium radicale,* quod ante promulgationem Codicis moniali competere putabatur usque ad peractam sollemnem professionem, quodque novo iure usque ad obitum religiosae prorogari oporteret...

2. *In tutis, licitis ac fructiferis* etc. — Religioni, statim ac dotis usufructum adepta fuerit, onus incumbit summam capitalem, quae dotem constituit, in nominibus seu titulis tutis, licitis ac frugiferis collocandi. Inter varios modos, collocatio hypothecaria habenda forte erit tanquam tutior ac magis frugifera. Utcumque, totum negotium, cuius natura potius oeconomica est quam iuridica, concreditur a communi iure prudentiae eorum, qui de collocatione disponere debent. Hi sunt Antistita cum suo Consilio ad normam constitutionum, Ordinarius loci et, si domus religiosa ab Ordine exempto dependeat, Superior regularis, item ad normam constitutionum. At quaenam vis huius dispositionis ? Agitur proculdubio de lege irritanti. Scilicet, ex tenore legis, Antistita agere debet *cum suo Consilio,* idest ex suffragio saltem consultivo Consilii sui : quod quidem suffragium, quamvis mere consultivum, postulari debet ad validitatem actus (can. 105, n. 1). Praeterea vero semper requiritur, item ad actus validitatem (ibid.), consensus Ordinarii loci, ubi domus posita est. Eodemque iure censetur Superior regularis.

3. *Omnino autem prohibetur* etc. — Cum religio usque ad obitum religiosae non habeat nisi dotis usufructum, salva rei substantia, potest quidem fructus dotis in quemcumque usum, religioni utilem, impendere ; sed summam capitalem quocumque modo tangere iure communi prohibetur, quavis exceptione sublata. Unde si gravissima necessitas urgeat, exquirendus est consensus Ap. Sedis. Antistita, hanc legem transgressa, a loci Ordinario pro gravitate culpae, propter abusum potestatis, puniri debet, non exclusa officii privatione (can. 2412, n. 1), salva semper obligatione integram dotem restituendi, si incidant casus de quibus in can. 551.

CAN. 550.

§ 1. *Dotes caute et integre administrentur apud monasterium vel domum habitualis residentiae supremae Moderatricis aut Antistitae provincialis.*

§ 2. *Ordinarii locorum conservandis religiosarum dotibus sedulo invigilent; et praesertim in sacra visitatione de eisdem rationem exigant.*

Est animadvertendum, munus administrandi dotes religiosarum, si religionis evolutio id sinat, sublatum esse a potestate Antistitae localis, et supremae Moderatricis vel Antistitae provincialis curis ac vigilantiae esse concreditum. Quoad vigilantiam autem et sacram visitationem Ordinariorum cfr. comm. ad can. 533-537.

CAN. 551.

§ 1. *Dos religiosae professae sive votorum sollemnium sive votorum simplicium quavis de causa discedenti integra restituenda est sine fructibus iam maturis.*

§ 2. *Si vero religiosa professa ad aliam religionem ex apostolico indulto transeat, durante novitiatu, fructus, salvo praescripto can. 570 § 1; emissa vero professione dos ipsa huic religioni debentur; si ad aliud eiusdem Ordinis monasterium, huic debetur ipsa dos a die transitus.*

1. *Dos religiosae professae* etc. — Agitur in canone de dote religiosae professae discedentis vel ad aliam religionem aut ad aliud eiusdem religionis monasterium transeuntis, nempe de dote, cuius usufructum religio habet. Et primum de religiosa professa discedente, idest ad saeculum revertente. Quo in casu, quaecumque sit causa discessionis, seu vera seu ficta, seu spontanea seu coacta, seu licita seu illicita, integra summa capitalis, dotem constituens, discedenti restituenda est. Cumque lex non distinguat, inter a religione discedentes, recensenda quoque videtur religiosa a religione apostata (cfr. can. 644 § 1 et 2), idque ea etiam de causa, quod eadem militat ratio. Quoad fructus autem dotis, probe secernendi sunt fructus maturi a non maturis. Isti restitutam dotem necessario sequuntur; illi, quamvis nondum percepti, religioni debentur: quousque enim perdurat usufructus, eousque ius est usufructuario fructus rei percipiendi. Quid autem si interim summa capitalis, dotem constituens, aut aucta vel deminuta fuerit, aut perierit? Judicium in aestimatione boni viri positum videtur. Scilicet aut augmentum, deminutio, perditio a bona vel mala gestione derivavit, aut processit a causis a mala vel bona administratione extraneis: quod etiam quandoque accidere potest. In priore casu, dotis vicissitudines cedunt in emolumentum vel detrimentum religionis; in altero religio, sicut nihil acquirit, nihil omnino solvere debet ad casualem iacturam reparandam.

2. *Si vero religiosa professa* etc. — Fieri potest, ut religiosa professa ad aliam, ex apostolico indulto, religionem vel ad aliud eiusdem religionis monasterium pertranseat. Utroque casu dos transferenda est in monasterium seu re-

ligionem *ad quam;* at alio atque alio modo. Si namque non agitur nisi de mutando eiusdem religionis monasterio, cum eadem omnino perseveret conditio iuridica religiosae professae, cum ea dos ipsa eodem momento pertransit. Sed alia fit religiosi conditio, cum agitur de transitu ad aliam religionem: nam, ut ait can. 633, *novitiatum peragere debet; quo durante, manentibus votis, iura et obligationes particulares, quas in religione derelicta habuit, suspensa manent, et ipse obligatione tenetur Superioribus novae religionis et ipsi novitiorum Magistro parendi etiam ratione voti obedientiae. Si in religione ad quam transiit, professionem non edat, ad pristinam religionem redire debet, nisi interim votorum tempus expiraverit.* Aliis verbis religiosa professa a religione *a qua* non separatur, nisi per professionem in religione *ad quam;* unde dos, cum hic quoque religiosam sequatur, apud priorem religionem manet usque dum professio in altera peracta non fuerit. E contra dotis fructus, simul cum relativis oneribus, illico transeunt in religionem *ad quam.*

3. *Salvo praescripto can. 570 § 1.* — En praescriptum eius canonis: *Nisi pro alimentis et habitu religioso in constitutionibus vel expressa conventione aliquid in postulatu vel novitiatu ineundo solvendum caveatur, nihil pro impensis postulatus vel novitiatus exigi potest.* Huius igitur canonis praescriptum reservatum est a Legislatore contra praescriptum can. 531 § 2, vi cuius dotis fructus solvendi erant, durante novitiatu, religioni *ad quam.* Quare, si in constitutionibus huius religionis, vel saltem per expressam conventionem, cautum non fuerit ut aliquid pro novitiatus expensis solvatur, religio *a qua,* usque ad peractam in nova religione professionem, religioni *ad quam* nihil omnino debet.

Can. 552.

§ 1. *Religiosarum etiam exemptarum Antistita debet Ordinarium loci, duobus saltem mensibus ante, certiorem facere de proxima admissione ad novitiatum et ad professionem tum temporariam tum perpetuam sive sollemnem sive simplicem.*

§ 2. *Ordinarius loci vel, eo absente aut impedito, sacerdos ab eodem deputatus, adspirantis voluntatem, saltem triginta diebus ante novitiatum et ante professionem, ut supra, diligenter et gratuito exploret, non tamen clausuram ingrediens, num ea coacta seductave sit, an sciat quid agat; et, si de pia eius ac libera voluntate plane constiterit, tum adspirans poterit ad novitiatum vel novitia ad professionem admitti.*

Virginibus, quae Deo se devovent, libertatem agendi antiquitus non defuisse, satis constat ex Conc. Moguntini (a. 813), cui ipse Carolus M. Imperator interfuisse videtur, canone 23: *Nullus tondeatur, nisi in legitima aetate et spontanea voluntate* (c. 1, X. *De regular.,* III, 31); sicuti etiam ex decretali Clementis Pp. III (a. 1187-1191), in qua haec inter alia reperiuntur: *Non enim videtur illa monasticae professionis a se posse iugum excludere, quum eam non*

constet evidenter contradixisse, quum benedictionem accepit, quam utique non nisi in aetate discretionis recipiunt quae velantur (c. 12 X *De regular.*, III, 31).

Ad omnem autem ansam dubitationis auferendam, Conc. Tridentinum (Sess. XXV, c. 17, *De regular.*) haec sollemniter decrevit: *Libertati professionis virginum Deo dicandarum prospiciens sancta Synodus, statuit atque decernit ut, si puella quae habitum regularem suscipere voluerit, maior duodecim annis sit, non ante eum suscipiat nec postea ipsa vel alia promissionem emittat, quam exploraverit Episcopus, vel, eo absente vel impedito, eius vicarius aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter: an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat; et si voluntas eius pia ac libera cognita fuerit,... libere ei profiteri liceat. Cuius professionis tempus ne Episcopus ignoret, teneatur praefecta monasterio eum ante mensem certiorem facere; quod si praefecta certiorem Episcopum non fecerit, quandiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit.* Quod Conc. Tridentini decretum Leo Pp. XIII per const. *Conditae a Christo* (8 dec. 1900, § 1, n. 7) ad omnes religiones, tum pontificii tum dioecesani iuris, extendit.

Tandem Codex noster, habita quoque ratione professionis temporariae pro ipsis Ordinibus recens introductae, hanc praxim et sanxit et perfecit, decernens (can. 2412, § 2) Antistitam, quae, contra praescriptum can. 552, omiserit Ordinarium loci certiorem facere de proxima alicuius admissione ad novitiatum vel ad utramque professionem, pro gravitate culpae puniatur, non exclusa officii privatione. Sustineri autem non posse consuetudinem quamcumque exigendi pro exploratione taxam, S. Congr. de Religiosis edixit, 20 mart. 1922.

ART. II

DE NOVITIORUM INSTITUTIONE

CAN. 553.

Novitiatus incipit susceptione habitus, vel alio modo in constitutionibus praescripto.

Legislatorem de institutione novitiorum tractare volentem, incipere oportebat a definiendo momento, quo incipit novitiatus. Incipit vero novitiatus a momento quo Superior competens candidatum capacem, libere ex utraque parte, ad novitiatum admittit. Quoniam vero plerumque Superior religiosus, ad normam constitutionum, actum huiusmodi peragit per impositionem habitus proprii eius religionis, hinc novitiatus incipere dicitur per habitus susceptionem. Ideo igitur impositio habitus religiosi initium novitiatus secumfert, quia est tanquam manifestatio voluntatis Superioris, candidatum per hunc actum ad novitiatum admittendi. Quae proinde voluntatis manifestatio tum quoque tenet, cum (carente religione, seu pro conversis, seu etiam pro clericis, habitu proprio) alio modo fit ac per habitus impositiouem, ad normam constitutionum.

Can. 554.

§ 1. *Erigatur domus novitiatus ad normam constitutionum; si vero agatur de religione iuris pontificii, ad eam erigendam necessaria est licentia Sedis Apostolicae.*

§ 2. *Plures in eadem provincia novitiatus domus, si religio in provincias divisa sit, designari nequeunt, nisi gravi de causa et cum speciali apostolico indulto.*

§ 3. *Superiores in novitiatus ac studiorum domos ne collocent, nisi religiosos qui sint ad exemplum regularis observantiae studio.*

1. *Erigatur domus* etc. — Tum domus novitiatus canonice erecta censetur, cum per actum legitimum Superioris, vi constitutionum ad hoc agendum competentis, aliqua domus religiosa, seu iam exsistens seu ex novo exstructa, pro domo novitiatus designatur. Jamvero domus novitiatus aut a religione iuris dioecesani, aut a iuris pontificii religione erigenda est vel in alium locum transferenda: si primum, sufficit Superior competens eam erigat ad normam constitutionum; si alterum, ad validitatem actus (*ad eam erigendam,* ait Codex), requiritur licentia Ap. Sedis. Quare? Quia, cum plerumque domus novitiatus in domibus religiosis iam exsistentibus erigantur, duplex inde periculum incumbit: quod erigantur in domibus, in quibus parum viget regularis observantia (cfr. Clementis Pp. VIII, constit. *Regularis disciplinae,* 12 mart. 1596); et quod in iisdem domibus collocentur postea religiosi, qui observantiam regularem minus curent: cui postremo periculo occurrit Legislator per § 3 huius canonis, illi vero per hanc § 1, quam modo explicamus. Excipiuntur autem religiones iuris dioecesani, quia huiusmodi religiones, ad normam 492 § 2, sunt *Ordinariorum iurisdictioni... plane subiectae.* Sed est et alia ratio: scilicet, ne actus tanti momenti, qualis est erectio novitiatus in religionibus iuris pontificii, Ap. Sedis, quae iisdem religionibus manus apposuerat, vigilantiam effugiat.

2. *Plures in eadem* etc. — Agitur hic profecto de religionibus iuris pontificii, cum religio iuris dioecesani in provincias divisa, aegre intelligi possit. Si itaque iuris pontificii religio, quae divisa est in provincias, sua utique domo novitiatus instructas, erigere voluerit in quadam harum provinciarum alteram domum novitiatus, ex iisdem rationibus quas supra attulimus, speciali (scilicet a praecedenti distincto) opus habet apostolico indulto, quod sane nequaquam impetrabit, nisi id agendi causa intercedat. Variae esse possunt causae huiusmodi: provinciae magnitudo, candidatorum numerus, idiomatum diversitas; brevi: quidquid graviter obsistere potest recto novitiatus regimini. Si autem religio nondum divisa fuerit in provincias, deficiente fundamento, praescriptum canonis non tenet.

3. *Superiores in novitiatus* etc. — Paragraphus continet grave praeceptum, vi cuius Superiores vetantur ne in domo tum novitiatus tum studiorum, postquam fuerint legitime erectae, collocent religiosos qui, regularis observantiae studio, novitiis ac studentibus ad exemplum esse non possint.

CAN. 555.

§ 1. *Praeter alia quae in can. 542 ad novitiatus validitatem enumerantur, novitiatus, ut valeat, peragi debet:*

1. *Post completum decimum quintum saltem aetatis annum;*
2. *Per annum integrum et continuum;*
3. *In domo novitiatus.*

§ 2. *Si longius tempus in constitutionibus pro novitiatu praescribatur, illud ad validitatem professionis non requiritur, nisi in eisdem constitutionibus aliud expresse dicatur.*

1. *Praeter alia* etc. — In can. 542 enumeratae sunt conditiones, ad validam ac licitam admissionem ad novitiatum necessariae. Ex adverso hic agitur de conditionibus requisitis, ut novitiatus, ad quem quis fuerit legitime admissus, valeat, ut irritus non sit. Patet igitur omnes conditiones de quibus in hoc canone, esse irritantes.

2. *Post completum* etc. — Et primum irritus est novitiatus, qui ante expletum decimum quintum aetatis annum inceperit: scilicet ante hanc aetatem valide novitiatus incipere non potest, si forte quis fuerit, contra praescriptum can. 542 n. 1 comm. 3, illegittime admissus. Itaque paragraphi huius praescriptum, complet, explicat atque applicat praescriptum parallelum can. 542. Ex se autem liquet, candidatum, ante aetatem canonicam ad novitiatum illegitime admissum, tum tantum, expleta aetate a iure requisita, legitime ac tacite novitiatum canonicum incipere posse, cum, et in Superiore admittente et simul in sua ipsius voluntate, perseveret propositum ad novitiatum admittendi et novitiatum ingrediendi: quod quidem propositum saltem tacite manifestetur per tolerantiam Superioris et perseverantiam candidati.

3. *Per annum integrum* etc. — Anni unius tempus, ad novitiatum legitime pergendum, ex iure communi statuitur: unde merito annalis huiusmodi novitiatus, *canonicus* communiter dicitur. At annus, quo de agitur, debet in primis esse integer, seu supputari debet ad normam can. 34 § 3 n. 3. (Pont. Comm. ad Cod. auth. interpr., 12 nov. 1922): cum, scilicet, anni huius principium non coincidat cum initio diei, primus dies, nempe dies legitimae admissionis (ex c. dies 20 oct. 1930) non computatur et annus novitiatus finitur expleto ultimo die eiusdem numeri (ex c. elapsa media nocte, qua dies 20 oct. 1931 finitur). Quocirca quaerere quis possit, utrum haec supputatio fieri debeat iuxta tempus astronomicum, an potius iuxta tempus usuale, prout ubicumque describitur per calendarium Gregorianum: nam, si primum, circumvolutionis orbis ratione habita, regula supra definita non valeret in casu ex c. novitiatus in regionibus Americae incepti et finiendi in regionibus europaeis, vel utcumque in regione quae magis ad orientem solem accedat. Cui quaestioni, si quaestionis nomen meretur, quaeque de quavis supputatione temporis fieri posset, respondendum est Legislatorem no-

strum, in Tit. *De temporis supputatione* (can. 31-35), et praecise in can. 34, qui unus hisce supputationibus refertur, non loqui nisi de calendario, nempe Gregoriano, prouti quis ad manus, quocumque orbis loco habere potest. Est igitur tempus astronomicus ab hisce iuridicis supputationibus exclusus, quamvis per exceptionem admittatur (tempus *verum*) in quibusdam peculiaribus supputationibus, de quibus in can. 33 § 1. Eademque ratione censendus est annus bissextilis. — Sed praeterea annus novitiatus continuus esse debet. Continuum dicitur tempus, quod nullam interruptionem patitur (can. 35). An igitur invalidus est annus novitiatus, quavis de causa aut per quodvis temporis spatium, etiam minimum, interruptus? De huiusmodi interruptionibus expresse atque accurate agit can. 556, quem mox explicabimus.

4. *In domo novitiatus*. — Integer annus novitiatus in domo novitiatus praeteriri debet, ita nempe ut domus novitiatus sit, per integrum annum, unica domus in qua novitius commoretur. Nihil tamen impedit, uti postea videbimus (can. 556, § 4), quominus, iusta de causa, novitiatus in hac novitiatus domo inceptus, in alia perfici possit.

5. *Si longius tempus* etc. — Mens Legislatoris haec esse videtur: ad validitatem novitiatus et subsequentis professionis religiosae ex iure communi per se sufficit intervallum unius anni in domo novitiatus transactum. Sed haec iuris communis dispositio per ius particulare, si quod extiterit ex peculiari religionis natura veluti emergens, complenda est. Proinde, si ius particulare longius tempus pro novitiatu praescribat et ad professionem licite peragendam requirat, illicita est professio, nisi, post elapsum annum novitiatus canonici, in domo novitiatus reliquum quoque tempus, a constitutionibus praefinitum, transigatur; si autem longius idem tempus requirat ad professionis validitatem, tum professio peracta antequam id tempus fuerit elapsum, et illicita et invalida est. Scilicet agitur de clausula, per quam ius particulare expresse reservatur. Quoad alterum novitiatus annum, in nonnullis religionibus usitatum, quaedam excerpere praestat ex *Instructione* a S. Congr. de Religiosis die 3 nov. 1921 data: *Plures extant religiones,* ait S. Congregatio, *in quarum constitutionibus praescribitur alter novitiatus annus et facultas fit Superioribus adhibendi tyrones, eo perdurante in operibus Instituti exercendis... Et iure merito,* subdit, *novitiatus ultra annum praescribitur in aliquibus Institutis, ex eis praecipue quorum religiosi operibus exterioribus dant operam, quippe qui variis distracti curis, saeculi periculis magis obnoxii, solidiore atque firmiore spiritus fundamento egent. Quamobrem mandat haec Sacra Congregatio ut, etiam secundo novitiatus anno perdurante, ante omnia quaelibet munia disciplina spiritualis vitae apprime curetur.* Quare S. Congregatio normas quasdam statuit ad moderandam per alterum hunc annum novitiatus novitiorum operositatem, a constitutionibus forte permissam aut praescriptam.

CAN. 556.

§ 1. *Novitiatus interrumpitur, ita ut denuo incipiendus ac perficiendus sit, si novitius, a Superiore dimissus, e domo exierit, aut domum sine illius licentia non reversurus deseruerit, aut extra domum, etsi reversurus, ultra triginta dies sive continuos sive non continuos permanserit quacumque ex causa, etiam de Superiorum licentia.*

§ 2. *Si novitius ultra quindecim, sed non ultra triginta dies etiam non continuos, de Superiorum licentia vel vi coactus extra domus septa permanserit sub Superioris obedientia, ad validitatem novitiatus necesse et satis est dies hoc modo transactos supplere; si non ultra quindecim dies, supplementum potest a Superioribus praescribi, sed non est ad validitatem necessarium.*

§ 3. *Superiores licentiam manendi extra septa novitiatus, nisi iusta et gravi de causa, ne impertiant.*

§ 4. *Si novitius a Superioribus in aliam novitiatus domum eiusdem religionis transferatur novitiatus non interrumpitur.*

1. *Novitiatus interrumpitur* etc. — Canon agit de novitiatus interruptione atque suspensione. In primis igitur videndum est quidnam in iure veniat nomine *interruptionis,* idque ea praesertim de causa, quod discordes iurisperitorum opiniones de sententia huius canonis, et signanter paragraphi 4, ex non satis considerata interruptionis natura derivare videntur. Ait itaque Legislator: *Novitiatus interrumpitur, ita ut denuo incipiendus ac perficiendus sit* etc. Vox igitur *interruptio,* ex verbis explicativis eidem adiectis, significat hic peremptionem, suppressionem, resolutionem. Quam significationem esse veram, inde etiam constat, quod hoc verbum non occurrit nisi in § 1, in qua semper agitur de novitiatus resolutione. Quod si iterum apparet in § 4, id non evenit nisi ad *interruptionem negandam.* Consonat iurisprudentia S. Congr. Concilii, in *Melphicten.,* 2 maii 1648 et alibi, iuxta quam *non potest valide emitti professio expressa, interrupto probationis anno, quin novus integer perficiatur.* Non ideo absque fundamento videtur nobis *interruptionem,* hac in re, natura sua significare *peremptionem.* Jam vero interruptio derivare potest vel ex facto religionis seu Superioris religiosi, vel ex facto novitii, vel denique ex facto ipso absentiae cum facto temporis coniuncto. Et primum ex facto Superioris quasi-contractum admissionis in novitiatum unilateraliter resolventis et novitium dimittentis: et tunc novitiatus eo momento interrumpitur, quo resolutio huiusmodi statum capit in rerum natura, quo nempe novitius domum novitiatus derelinquit. Deinde ex facto novitii, qui, item per actum unilateralem suae voluntatis, eundem quasi-contractum resolvit, novitiatus domum relinquens cum animo non revertendi. Tertio denique novitiatus interrumpitur ex facto absentiae ultra 30 dies a domo novitiatus: nam absentia huiusmodi, in se et independenter a causa motiva, tam diuturna a iure censetur, ut cum quasi-contractu, de quo supra, consistere non possit; et ideo nihil refert hoc in casu voluntas novitii et Superioris religiosi, sed nudum factum considerandum est.

2. *Si novitius ultra* etc. — Si tempus, quo novitius (non dimissus neque recedens) a domo novitiatus abest, non excedat spatium triginta dierum, novitiatus non interrumpitur, sed tantummodo *suspenditur*. (Cfr. S. Congr. de Relig., in *Parisien.*, 3 maii 1914). Quae suspensio ab interruptione toto coelo distat: dum enim, post interruptionem, statim nullum censetur tempus (quodcumque fuerit, usque ad menses undecim) in novitiatu antea transactum ac praeterea nullum extat remedium, quo tempus absentiae redimi possit; ex adverso, post suspensionem non solum transactum in novitiatu antea tempus, legitimum ac ratum perseverat, sed etiam supplendo semper redimi potest tempus, per quod novitiatus, absentiae causa, suspensus est. Imo Legislator tum tantum requirit ut tempus absentiae ad validitatem suppleatur, cum absentia protracta est ultra dies quindecim; quod si quindecim dies non excedat, *parum pro nihilo reputans,* expresse edicit, temporis absentiae suppletionem non esse tunc ad validitatem novitiatus necessariam. At quidnam requiritur ut novitiatus censeatur ratione absentiae suspensus, non autem interruptus? In primis requiritur, ut non agatur de novitio dimisso aut recedente; deinde, ut novitius absit de Superiorum licentia vel, si vi physica aut morali coactus absit, ut absit sub Superioris obedientia; tertio denique requiritur (salvis exceptionibus a iure statutis ut mox videbimus), ut non absit ultra triginta dies.

3. *Superiores licentiam* etc. — Agitur de gravi praecepto, quo Superiores religiosi tenentur ad licentiam, de qua supra, non concedendam, nisi iusta et gravi de causa, Superiorum sane prudenti iudicio aestimanda. Causa licentiae sponte concessae erit plerumque infirma valetudo, pietas fovenda et quandoque gravis infirmitas parentum.

4. *Si novitius a Superioribus* etc. — In primis ex hac paragrapho evidentissime constat, novitiatum non interrumpi, si novitius a Superioribus in aliam novitiatus domum (utique eiusdem religionis, uti fert translatio *a superioribus* peracta) transferatur. *Novitiatus non interrumpitur,* ait Legislator, idest nunquam, hac de causa, interruptus censendus est, quamvis absentia (si, inquam, hoc in casu de vera absentia loqui potest) protracta fuerit ultra dies triginta, quod temporis intervallum, extra hunc casum, interruptionem novitiatus secumferret. Idque nobis certum est, nam secus, quanam de causa haec paragraphus inserta hic fuerit, plane nescimus. Accedit, hic non agi de *permanentia extra domum,* de qua in § 1, sed de *transitu* de domo ad domum, imo a domo in qua *novitiatus inceptus erat,* ad domum in qua *idem novitiatus* prosequendus et *absolvendus est.* Habemus igitur casum omnino diversum a casu, de quo in eadem § 1: etsi enim adest elementum temporis, adesse non videtur (vel saltem eadem significatione) elementum absentiae. Quod si hoc in casu non interrumpitur, non restat, nisi ut censeamus novitiatum suspendi; scilicet tum quoque, cum tempus, ad perficiendam translationem necessarium, dies triginta excedit: quod tamen, summa itinerum facilitate considerata, vix contingere poterit. Unde casus translationis praescripto § 2 huius canonis semper subiiciendus videtur:

idest, si in translatione insumpti fuerint plus quam dies quindecim, hoc temporis spatium, ad validitatem novitiatus supplendum est. Neque est praetereundum, tum tantum novitiatum non interrumpi, cum agitur de tempore extra novitiatum transacto ex causa *translationis* (*si novitius... transferatur,* ait Legislator): quare, si *alia* causa (ex. c. morbus in itinere contractus) superveniat, ob quam tempori, ad translationem necessario, plus quam triginta dies superaddere oporteat, tum recidimus in casum interruptionis, de quo in § 1 huius canonis.

CAN. 557.

Integer novitiatus peragatur in habitu quem constitutiones pro novitiis praescribunt, nisi specialis locorum circumstantiae aliud exigant.

Extant religiones, in quibus sodales professi alio habitu, ac novitii, utuntur; et aliae sunt, in quibus idem est habitus pro utroque ordine; denique quaedam religiones sunt, in quibus laici, seu novitii seu professi, nullo exteriori habitu utuntur. Si igitur religiosae constitutiones habitum pro novitiis praescripserint, hoc, regulariter, novitiis utendum est per integrum tempus in novitiatu transigendum.

Itaque tenentur Superiores religiosi ad curandum, ut hoc iuris communis praescriptum rite servetur: scilicet, nisi peculiares locorum circumstantiae forte exigant, ut religiosi habitu utantur cleri saecularis vel (quod etiam quandoque accidere potest) habitu laicorum. Et inde patet, derogatum esse per Codicem nostrum decreto Conc. Tridentini (Sess. XXV, *De regular.,* c. 15), vi cuius *qui minore tempore, quam per annum, post susceptum habitum, in probatione steterit,* ad professionem admitti prohibebatur.

Quaenam tum hac in re potestas Superiorum religiosorum? Ad normam can. 596, *religiosi omnes proprium suae religionis habitum* deferre debent *tum intra tum extra domum, nisi gravis causa excuset, iudicio Superioris maioris aut, urgente necessitate, etiam localis.* Cum igitur Superior maior et, urgente necessitate, Superior quoque localis possint, ex gravi causa, subditos quisque suos eximere ab obligatione habitum religionis deferendi, possunt quoque eximere novitios ab obligatione deferendi habitum, si qui sit, proprium novitiorum vel habitum novitiis ac professis communem. Quia vero can. 136, § 1 cavet ut *omnes clerici... habitum ecclesiasticum deferant,* neque ullam Ordinariis expressam facultatem facit ab hac obligatione clericos eximendi, unde ipsis non relinquitur nisi potestas de qua in can. 81, ideo videntur non posse Superiores religiosi eximere novitios, ad primam tonsuram iam promotos ac proinde inter clericos adscriptos, ab obligatione deferendi saltem habitum proprium cleri saecularis eius regionis, nisi in casibus in eodem can. 81 recensitis.

Neque est praetermittendum, religiosum qui ex apostolico indulto ad aliam religionem transit, teneri ad habitum novitiorum religionis *ad quam* suscipiendum et, perdurante novitiatu in nova religione, gestandum (S. Congr. de Relig., 14 maii 1923).

CAN. 558.

In religionibus in quibus duae sunt sodalium classes, novitiatus pro altera classe peractus, pro altera non valet.

Non solum religiones clericales, quae communiter duobus sodalium ordinibus, clericis nempe et laicis, constant, sed nonnullae quoque religiones laicales in canone comprehenduntur: utrobique enim novitiatus pro altero ordine peractus, sine Ap. Sedis dispensatione, pro altero non valet.

Sed inquirendum est, quanam de causa noluerit Legislator rem huiusmodi relinquere potestati Superiorum religiosorum, sed potius voluerit legem ferre, cui et ipsi Superiores parere tenentur. Et in primis agitur de lege non nova: ita enim ait Clemens Pp. VIII in constit. *Cum ad regularem,* 19 mart. 1603 (ex qua plerumque desumpta sunt, quae in Codice ad novitiatum referuntur) § 16: *Tempore vero probationis elapso, ii tantum, qui non solum religiosae perfectionis capaces, sed ad laborem corporalem apti, novo ac diligenti examine reperti fuerint,,... ad professionem admittantur. Sed qui ad conversorum habitum recepti fuerint, ad clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint.* Hae autem sunt rationes ob quas potissimum lata videtur hac de re lex generalis: — 1. Quia, tandem aliquando, agitur de utilitate publica: omnium enim interest, ne religiones in Ecclesia exsistentes in ipso suo naturali fundamento, quod est novitiatus, detrimentum capiant ex confusione ordinum, qui esse debent ac permanere praecise distincti. Sed quae ad publicam Ecclesiae utilitatem pertinent, privatorum arbitrio merito subtrahuntur. — 2. Quia Superiores religiosi, utpote privatae domorum vel provinciarum utilitatis praecipue solliciti, ad rem tanti pro universa Ecclesia momenti curandam, minus idonei videbantur. Hisce aliisque de causis, extantibus in religione pluribus sodalium ordinibus, facto ipso lex tenet.

CAN. 559.

§ 1. *Novitiorum institutioni praeficiendus est Magister, qui sit annos natus quinque saltem ac triginta, decem saltem ab annis a prima professione professus, prudentia, caritate, pietate, religionis observantia conspicuus et, si de clericali religione agatur, in sacerdotio constitutus.*

§ 2. *Si ob novitiornm numerum vel aliam iustam causam expedire visum fuerit, Magistro novitiorum adiungatur socius, eidem immediate subiectus in iis quae ad novitiatum regimen spectant, annos natus saltem triginta, quinque saltem ab annis a prima professione professus, cum ceteris dotibus necessariis et opportunis.*

§ 3. *Uterque ab omnibus officiis oneribusque vacare debet, quae novitiorum curam et regimen impedire valeant.*

1. *Novitiorum institutioni* etc. — Elementa iuridica ex canonis contextu

explicemus. In primis igitur ii, ad quos res spectat, magistrum novitiis praeficere tenentur, ad religiosam eorum institutionem. Deinde: qualitates in magistro novitiorum ab hac paragrapho requisitae, aeque perpendendae sunt, seu iudicio boni viri aestimandae. Tertio ex qualitatibus huiusmodi, qui prima et ultima careat, in magistrum deputari non potest, nisi ex Ap. Sedis dispensatione; super carentia vero substantiali ceterarum qualitatum, cum ex naturali iure requirantur, nulla humana potestas dispensare potest.

2. *Si ob novitiorum numerum* etc. — De necessitate vel opportunitate adiungendi magistro novitiorum socium, iudicium Superioribus omnino relinquitur. Eius vero qualitates, eodem modo ac in magistro aestimandae sunt. Peculiaris denique est conditio iuridica socii huius adiuncti; scilicet, in omnibus quae ad munus adiuncti socii pertinent, unius magistri potestati immediate subest, quamvis *mediate* subsit aliis etiam Superioribus, iis nempe qui et in novitiatum et in novitiorum magistrum potestatem exercent; in omnibus vero quae eius munus non respiciunt, socius adiunctus subest Superiori locali.

3. *Uterque ab omnibus* etc. — Quae iuris dispositio maximi momenti est ad rectam ac plenam novitiorum istitutionem. Paragraphi praescriptum cunctos Superiores religiosos tenet, qui proinde non possunt, absque dispensatione apostolica in casu necessitatis, committere magistro novitiorum eiusque socio officia vel onera, quae de facto, in iis rerum adiunctis, novitiorum curam et regimen substiantialiter impediant. Substantialiter autem huiusmodi regimen et curam impediunt officia et onera, quae vel diuturnas a domo novitiatus absentias, vel diuturnam aut gravem in rebus a novitiatu alienis occupationem secumferunt, cui incommodo remedium afferre non possit per socium, si de magistro agatur, vel per magistrum, si agatur de socio.

CAN. 560.

Magister novitiorum eiusque socius eligantur ad normam constitutionum, et si quod in his tempus ad durationem muneris praescriptum sit, eo durante ne removeantur sine iusta gravique causa; sed iidem rursus eligi possunt.

Nihil ius commune decernit circa electionem eorum, qui novitiatui praeficiuntur, sed negotium pure et simpliciter ad ius particulare remittit.

Fieri autem potest, ut, ad normam constitutionum religionis, novitiorum magister eiusque socius *ad beneplacitum* sint eligendi, et tum amovibiles sunt *ad nutum* eorum, qui eos elegerunt. Fieri etiam potest, ut duratio muneris in constitutionibus definiatur, et tum ad legitimam eorum remotionem requiritur causa, quae et iusta sit et gravis: secus removeri prohibentur.

In hoc vero ultimo casu, expleto tempore ad munus exercendum praefinito, semper iterum eligi possunt. Qua dispositione Legislator, se diuturnae magistri novitiorum, eiusque socii, in delato munere permanentiae, favere demonstrat: idque sane ad institutionis uniformitatem fovendam.

CAN. 561.

§ 1. *Uni Magistro ius est et officium consulendi novitiorum institutioni, ad ipsumque unum novitiatus regimen spectat, ita ut nemini liceat hisce se, quovis colore, immiscere, exceptis Superioribus quibus id a constitutionibus permittitur ac Visitatoribus; ad disciplinam vero universae domus quod attinet, Magister, perinde ac novitii, Superiori est obnoxius.*

§ 2. *Novitius potestati Magistri ac Superiorum religionis subest eisque obedire tenetur.*

1. *Uni Magistro* etc. —Definitur in canone potestas magistri novitiorum eiusque socii. Et in primis magistri. In magistro novitiorum, qua tali, omnis et sola residet potestas, ad regimen novitiatus et novitiorum institutionem necessaria et opportuna. Quare nullus religiosus potest huic institutioni ac regimini sese immiscere (ne domus quidem, si adsit, Superior), exceptis, uti patet Superioribus maioribus, quibus novitiatus ipse subiicitur, veluti Superior generalis ac provincialis aliisve forte in costitutionibus designatis, necnon Visitatoribus *a iure* vel *ab homine* legitime delegatis. At, si novitiatus erectus sit in domo religiosa, magister novitiorum eiusque socius, imo singuli novitii sunt etiam eiusdem domus sodales; quod attinet igitur ad disciplinam universae domus, quae uniformis esse debet ac permanere quaeque ex integro Superioris localis potestati subiicitur, tum novitiorum magister, tum eius socius, tum singuli novitiatus alumni, huic Superiori omnino subsunt. Magistri autem socius non alia potestate gaudet, ac magister ei contulerit; sed magister novitiorum aliquam socio potestatem, ne figura eius iuridica penitus evanescat, conferre debet.

2. *Novitius potestati* etc. — Itaque novitius parere tenetur tum magistro novitiorum, tum Superioribus religionis. Quaeri potest quaenam sit natura potestatis, quam in novitios habet magister novitiatus et Superior localis ceterique religionis Superiores, seu, pressius, quonam titulo hisce Superioribus novitii parere teneantur. Cui quaestioni respondendum censemus, aliam esse potestatem magistri novitiorum et Superioris localis et aliam Superiorum maiorum. Scilicet magistri, qua talis, ac Superioris localis potestas esse non potest nisi dominativa, qualis per se exsurgit ex quasi-contractu admissionis in novitiatum: neque enim maior potestas ad consequendum novitiatus finem requiritur, neque huiusmodi magistris ac Superioribus localibus (cfr. can. 198 § 1) a iure positivo defertur. Ex adverso, quoad Superiores maiores novitiorum, rite distinguendum est: vel enim agitur de religione non exempta, et tum iterum nulla potestas, nisi dominativa, esse potest; vel agitur de religione ab Ordinarii loci iurisdictione exempta, cuius sane exemptionem, ad normam can. 567 § 1 et 615, novitii quoque participant, et tum rursus est distinguendum: aut namque agitur de religione virili, et tum eius Superiores maiores exercent in novitios, sicuti in professos religionis, veram et plenam iurisdictionem ecclesiasti-

cam in utroque foro (can. 198 § 1); aut agitur de religione muliebri, et tum, quia mulieres ecclesiasticae iurisdictionis capaces non sunt, non restat nisi potestas dominativa. Quam potestatem in quasi-contractu admissionis ad novitiatum fundatam esse diximus: quamvis enim admissio ad novitiatum non sit nisi admissio ad probationem, nempe ad statum iuridicum, qui quovis momento temporis finire potest, tum ex facto Superioris dimittentis tum ex facto novitii recedentis, est nihilominus verus et proprius contractus conditionalis, qui, quousque resolutiva conditio pendet, contrahentes omnino tenet. At in quasi-contractu huiusmodi (quasi-contractum dicimus, cum non versetur circa bona patrimonialia) tacite semper, veluti substantiale elementum, includitur obligatio novitii Superioribus parendi ad normam constitutionum religionis.

Can. 562.

Gravi obligatione tenetur Magister novitiorum omnem adhibendi diligentiam ut sui alumni in religiosa disciplina, secundum constitutiones, sedulo exerceantur, ad normam can. 565.

Canon respicit operositatem magistri novitiorum, eique gravem obligationem imponit omnem diligentiam adhibendi in suorum alumnorum institutione, quae ad normam can. 565, proxime subsequentis, fieri debet.

Quoad modum vero gravem hanc obligationem implendi, haec habet Clemens Pp. VIII in constit. *Cum ad regularem,* 19 mart. 1603, § 9: *Sintque ambo* (nempe magister novitiorum et eius socius) *doctrina et... vitae etiam anteactae exemplo praestantes, orationis praeterea et mortificationis operibus addicti, prudentia charitateque referti, non sine affabilitate graves; zelum Dei cum mansuetudine praeseferentes; ab omni cordis ac animi perturbatione, ira praesertim et indignatione quae in se et erga alios charitatem impedire consueverunt,quam longissime alieni et tales demum, qui in omnibus seipsos bonorum operum exemplum praebeant, ut ii, qui eorum curae subsunt, illos non tam metuant quam revereantur, nec illis unquam detrahere quicquam possint.* Sane non ad ius haec pertinent, sed potius ad finem divini atque humani iuris universi, qui in christiana animorum perfectione positum est.

Can. 563.

Intra annum novitiatus Magister, ad normam constitutionum, de agendi ratione singulorum alumnorum relationem Capitulo vel Superiori maiori exhibeat.

Quod relatio huiusmodi a novitiorum magistro, intra annum novitiatus, Capitulo vel Superiori maiori sit exhibenda, iure communi praecipitur; quod antea vel postea fiat, quod fiat hoc vel illo modo, quod denique Capitulo an potius Superiori maiori exhibeatur, id relinquitur iuri particulari definiendum.

In hac obligatione (scil. relationem exhibendi de novitiorum agendi ratione), ait merito cl. Vermeersch (*Epitome*, I, 564 n. 4), *et in nimis familiari conversatione, quam vel ipse Magister vel eius Socius cum noviciis habere solent, innititur prohibitio, qua cum Magister tum eius Socius severe vetantur audire confessiones noviciorum, nisi, in gravi et urgenti causa, novicii id in casibus particularibus sponte petierint* (*c. 891*).

Can. 564

§ 1. *Novitiatus ab ea parte domus, in qua degunt professi, sit, quantum fieri potest, segregatus ita ut, sine speciali causa ac Superioris vel Magistri licentia, novitii nullam habeant communicationem cum professis, neque hi cum novitiis.*

§ 2. *Conversis autem novitiis locus separatus adsignetur.*

Vi huius canonis, si novitiatus erectus sit in domo religiosa, tenetur Superiores eum, quantum fieri potest, ab ea parte domus, in qua degunt professi segregare. Duo igitur sunt legis praecepta: primum segregandi; alterum segregandi quo arctius fieri potest: id enim significat vox *quantum*.

Utcumque, ita novitiatus segregatus esse debet, ut omnimode impedita evadat, quaevis inter novitios et professos communicatio. Quod quidem iuris praescriptum iam servandum praeceperat Clemens Pp. VIII in saepe allata constit. *Cum ad regularem*, 19 mars. 1603, § 8.

Tertium autem legis praeceptum respicit novitios conversos, qui et ipsi tum a professis, tum a novitiis non-conversis separandi sunt.

At canon ait: « sine speciali causa ac Superioris *vel* Magistri licentia ». Estne ergo censendum posse Superiorem localem, quoties opportunum existimaverit et absque ullo magistri novitiorum consensu, communicationem permittere? In primis videtur voce *Superioris* intelligi praesertim Superior maior, qui, vi officii, plenam in novitiatum potestatem habet. Si vero ea vox etiam Superiorem localem comprehendere quis velit, id sane eo tantummodo pacto fieri potest, quod agatur de disciplina universae domus (cfr. can. 561 § 1), ad quam fovendam et pia professorum gravitas et fervor adolescentium novitiorum, quorum alter alteri ad exemplum sit, quandoque conferre potest. Secus incidimus in praescriptum can. 561 § 1, vi cuius nemini licet sese immiscere in rebus ad novitiatus regimen pertinentibus.

Quid autem in casu conflictus? Salva auctoritate Superiorum maiorum, inferior obtemperare debet, idest magister novitiorum, qui, qua domus sodalis, a Superioris localis potestate dependet.

Can. 565.

§ 1. *Annus novitiatus debet sub disciplina Magistri hoc habere propositum, ut informetur alumni animus studio regulae et constitutionum, piis meditationibus assiduaque prece, iis perdiscendis quae ad vota et ad virtutes pertinent, exerci-*

tationibus opportunis ad vitiorum semina radicitus extirpanda, ad compescendos animi motus, ad virtutes acquirendas.

§ 2. *Conversi praeterea diligenter in christiana doctrina instituantur, speciali collatione ad eos habita semel saltem in hebdomada.*

§ 3. *Anno novitiatus ne destinentur novitii concionibus habendis aut audiendis confessionibus aut exterioribus religionis muniis, neve dedita opera studiis vacent litterarum, scientiarum aut artium; conversi autem in ipsa religiosa domo eatenus tantum fungi possunt officiis fratrum conversorum (non tamen uti primarii officiales), quatenus ab exercitiis novitiatus pro ipsis constitutis non praepediantur.*

In prima canonis paragrapho accuratissime describuntur fines, quos in novitiorum, tum conversorum tum non-conversorum, institutione novitiatus magister et, in quantum ad eum spectat, eius socius sibi proponere tenentur.

Quoad novitios vero non-conversos vetat insuper canon, absolute quidem ne sacrum ministerium (si ad s. presbyteratum iam promoti fuerint) aut exteriora religionis munia exerceant; relative vero, seu ex professo (*dedita opera*), ne studiis vacent, quamvis licitum sit studiis aliquatenus incumbere.

Denique quoad novitios conversos canon duo praecipit: primum, ut, praeter religiosam institutionem de qua supra, conversi semel saltem in hebdomada (utique per spatium temporis in constitutionibus statutum vel a Superiore competenti statuendum) in doctrina christiana separatim instituantur; alterum, ne conversi officiis ipsis manualihus sibi propriis, aut tanquam primarii officiales aut plus quam sinant pia novitiatus exercitia, incumbant.

Haec omnia, ut adamussim a Superiore locali et novitiorum magistro serventur, Superiores maiores curare debent.

Can. 566.

§ 1. *Circa sacerdotem a confessionibus in mulierum novitiatibus serventur praescripta can. 520-527.*

§ 2. *In religionibus virorum, salvo praescripto can. 519:*

1. *Pro novitiorum numero unus vel plures habeantur ordinarii confessarii, salvo praescripto can. 891;*

2. *Confessarii ordinarii, si agatur de religione clericali, in ipsa novitiatus domo commorentur; si de laicali, saltem frequenter ad domum novitiatus accedant, novitiorum confessiones audituri;*

3. *Praeter confessarios ordinarios, designentur aliqui confessarii, quos novitii in casibus particularibus adire libere possint, nec Magister aegre id se ferre demonstret;*

4. *Quater saltem in anno detur novitiis confessarius extraordinarius, ad quem omnes accedant saltem benedictionem recepturi.*

1. *Circa sacerdotem* etc. — Canon agit de confessariis novitiorum. Quoad novitiatus mulierum, integre hac in re servanda sunt praescripta can. 520-527, quos

antea explicavimus. Quibus praescriptis pro religionibus mulierum in genere, nihil omnino aut addendum aut detrahendum est cum agitur de earundem religionum novitiatibus.

2. *In religionibus virorum* etc. — Plura canon praecipit quoad religiones virorum. Scilicet in primis praecipit, ut adsit unus saltem confessarius ordinarius; deinde praecipit ut, si id expostulet numerus novitiorum, plures sint, iuxta eius numeri proportionem, confessarii ordinarii; tertio praecipit, can. 891 praescriptum reservando, ut tum novitiorum magister tum eius socius confessiones suorum alumnorum non audiant; quarto praecipit, ut, si agatur de religionibus clericalibus, quae confessarios sibi ex suis sodalibus eligere solent, confessarius vel confessarii ordinarii novitiorum in domo, in qua novitiatus erectus est, commorentur: idque ut confessarii ordinarii adeundi facultas novitiis nunquam desit; quinto praecipit ut, eadem de causa, confessarii ordinarii novitiatus laicalis, ad domum novitiatus frequenter accedant; sexto praecipit ut, praeter confessarios ordinarios, saltem quater quotannis detur novitiis confessarius extraordinarius; septimo praecipit, ut huic confessario novitii universi, nullo excepto, accedere teneantur, benedictionem saltem recepturi; octavo praecipit, ut, praeter confessarios ordinarios et extraordinarium, designentur, prouti ad normam can. 521 § 2 fieri solet pro religionibus mulierum, aliqui confessarii adiuncti, quos novitii in casibus particularibus libere omnino adire possint; nono tandem praecipit, ut, praeter hos omnes, liberum sit cuilibet novitio, ad suae conscientiae tranquillitatem, ad normam can. 519, adire quemlibet alium confessarium, qui a loci Ordinario pro confessionibus approbatus fuerit, quique ex ipso iure communi facultatem obtinet absolvendi etiam a reservatis in religione.

Can. 567.

§ 1. *Novitii privilegiis omnibus ac spiritualibus gratiis religioni concessis gaudent; et si morte praeveniantur, ad eadem suffragia ius habent, quae pro professis praescripta sunt.*

§ 2. *Ad ordines, durante novitiatu, ne promoveantur.*

1. *Novitii privilegiis* etc. — Novitiatus alumni, sive clerici vel ad clericalem ordinem destinati sive conversi, in favorabilibus religiosi censentur. Hinc fruuntur omnibus privilegiis et gratiis spiritualibus religioni concessis, exceptis, uti patet, iis, quae fortasse tanquam conditionem *sine qua non,* religiosam professionem requirant. Privilegiorum autem et gratiarum alia universis religionibus communia sunt, veluti, ad normam can. 614, privilegia clericorum de quibus in can. 119-123; veluti etiam, si agatur de regularibus, privilegium exemptionis a iurisdictione Ordinarii loci, praeterquam in casibus a iure exceptis, ad normam can. 615; alia sunt nonnullis religionibus propria.

2. *Si morte praeveniantur* etc. — Si novitius ante professionem obierit, ius habet ad suffragia, quae religio pro sodalibus professis praescribit. Quocirca,

Pont. Commissio ad Cod. authentice interpretandum, rogata *utrum, ad normam can. 567 § 1 et can. 578 n. 1, novitii et professi a votis temporariis, si morte praeveniantur, ad eadem ac professi a votis sollemnibus aut professi a votis simplicibus perpetuis, suffragia ius habeant, etiamsi aliter ferant constitutiones antea approbatae a S. Sede* — respondit: *Affirmative et ad mentem. Mens est: Ordines et Congregationes religiosae possunt congrua eademque suffragia pro omnibus novitiis, temporanee professis et professis a votis sollemnibus aut professis a votis simplicibus perpetuis, praescribere in suis constitutionibus emendandis et pro approbatione exhibendis ad S. C. Religiosorum, ad normam eiusdem S. Congregationis decreti diei 26 iunii 1918.* Ex qua Pont. Commissionis decisione ac mente evidentissime patet, esse voluntatem Legislatoris, ut in religionibus, cum agitur de suffragiis, nullum supersit inter varios ordines sodalium discrimen. *Possunt... praescribere,* ait Commissio: scilicet, alias, a S. Congregatione in constitutionibus emendandis praescribetur; quo usque autem id fiat, rigide servandum est praescriptum iuris communis (can. 567 § 1 et 578 n. 1) de identitate suffragiorum.

3. *Ad ordines, durante* etc. — Novitiatuum alumni ad ordines promoveri vetantur. Ratio huius legis evidenter eruitur ex decr. S. Congr. Episc. et Regul., 4 nov. 1892: *Auctis admodum,* ait S. Congregatio, *ex singulari Dei beneficio votorum simplicium Institutis, uti multa inde bona oriuntur, ita aliqua parit incommoda facilis alumnorum huiusmodi societatum egressus et consequens, ex iure constituto regressus in dioecesim originis* (quum scilicet dioecesis, quam novitius in saeculo habet, tantummodo per vota perpetua ipso iure, ad normam can. 585, amittatur). *Haec autem graviora efficit temporalium bonorum inopia qua nunc Ecclesia premitur, unde Episcopi saepe providere nequeunt, ut illi vitam honeste traducant. Haec, aliaque id genus, etiam de alumnis Ordinum votorum sollemnium, perpendentes nonnulli sacri locorum Antistites, pro ecclesiastici ordinis decore et fidelium aedificatione, ab Apostolica Sede enixis precibus postularunt, remedium aliquod adhiberi.* Quare S. Congregatio ex ap. auctoritate haec (n. 1) decernit: *Firmis remanentibus constit. S. Pii V, diei 14 oct. anni 1568, incipient. « Romanus Pontifex », et declaratione sa. me. Pii Pp. IX edita die 12 mensis iunii anni 1858, quibus Superioribus Ordinum regularium prohibetur, ne litteras dimissoriales concedant novitiis aut professis votorum simplicium triennalium, ad hoc ut titulo « paupertatis » ad sacros ordines promoveri valeant — eaedem dispositiones extenduntur etiam ad Instituta votorum simplicium, ita ut horum Institutorum Superiores non possint in posterum litteras dimissoriales concedere pro sacris ordinibus, vel quomodocumque ad sacros ordines alumnos promovere titulo « mensae communis », vel « missionis », nisi illis tantum alumnis, qui vota quidem simplicia sed perpetua iam emiserint et proprio Instituto stabiliter aggregati fuerint; vel qui saltem per triennium permanserint in votis simplicibus temporaneis, quoad ea Instituta quae ultra triennium perpetuam differunt rofessionem. Revocatisd* etc. Quod ius, ab Eccesia paullatim introductum, a Co-

dice nostro receptum est etiam quoad ea, quae respiciunt religiones votorum non-perpetuorum et societates sine votis in communi viventes. Siquidem can. 964, n. 3 ait: *Superiores professis votorum simplicium, de quibus in can. 574* (in quo Legislator loquitur de iis, qui professionem triennalem votis perpetuis praemittunt), *litteras dimissorias concedere possunt dumtaxat ad primam tonsuram et ordines minores.* Et n. 4: *Ordinatio ceterorum omnium alumnorum cuiusvis religionis regitur iure saecularium, revocato quolibet indulto Superioribus concesso dandi professis a votis temporariis litteras dimissorias ad ordines maiores.* Denique can. 982, § 3 explicat, huiusmodi religiosos saecularibus aequiparari etiam quoad titulum ordinationis, qui proinde titulus, ad normam can. 979, in praxi esse non potest (salva dispensatione Ap. Sedis) nisi titulus patrimonii aut pensionis. Unde adhibitum remedium, incommodum ab Episcopis deploratum omnino sustulit: nam vel religiosus ad ordines maiores non promovetur (minores autem ordines semper possunt ex iusta causa, ad normam can. 211 § 2, ab Ordinario originis irritari), vel facto ipso promotionis e dioecesi excardinatur (can. 585), vel tandem ex titulo ordinationis honeste sustentari potest. Sed ex hisce omnibus etiam patet, verba can. 567 § 2, quem explicamus, respicere non posse nisi primam tonsuram et ordines minores: et ideo promotionem ad hos ordines novitiis (qui nempe tales sunt seu ex iure communi seu ex iure particulari) esse interdictam.

Can. 568.

In novitiatus decursu, si suis beneficiis vel bonis quovis modo novitius renuntiaverit eademve obligaverit, renuntiatio vel obligatio non solum illicita, sed ipso iure irrita est.

Canon, cum duobus qui subsequuntur, agit de bonis temporalibus novitiorum. Cum itaque novitiatus nihil aliud sit quam experimentum, sive ex parte religionis sive ex parte novitii, omnia, novitiatu perdurante, integra et intacta manere debent, inter quae beneficia vel bona, quae novitius in saeculo forte possidebat: ne, scilicet, hisce bonis vel beneficiis abdicatis, minuatur postea eius libertas ad saeculum, si velit, redeundi.

Hoc Legislator periculum radicitus sustulit per legem, quae irritat iure ipso quamcumque hac in re declarationem voluntatis, tum unilateralem, tum bilateralem, quae locum habeat in novitiatus decursu. Quod quidem non excludit in novitio facultatem aliquid offerendi, titulo eleemosynae, non solum pauperibus aut piis locis, sed etiam religioni quam ingredi exoptat: dummodo tamen oblatio intra consuetos eleemosynae fines contineatur.

CAN. 569.

§ 1. *Ante professionem votorum simplicium sive temporariorum sive perpetuorum novitius debet, ad totum tempus quo simplicibus votis adstringetur, bonorum suorum administrationem cedere cui maluerit et, nisi constitutiones aliud ferant, de eorundem usu et usufructu libere disponere.*

§ 2. *Ea cessio ac dispositio, si praetermissa fuerit ob defectum bonorum et haec postea supervenerint, aut si facta fuerit et postea alia bona quovis titulo obvenerint, fiat aut iteretur secundum normas § 1 statutas, non obstante simplici professione emissa.*

§ 3. *Novitius in Congregatione religiosa ante professionem votorum temporariorum testamentum de bonis praesentibus vel forte obventuris libere condat.*

1. *Ante professionem* etc. — Candide fatemur non nimia hunc canonem perspicuitate fulgere: sed hac de causa non usque eo deveniendum nobis videtur, ut censeamus irreptum esse hic in Codice errorem, ut contendit cl. Larraona (cfr. *Comment. pro Relig.*, 1920, p. 335). Et revera prior haec canonis paragraphus omnes religiones respicit, exclusis tantummodo societatibus sine votis in communi viventibus, quae proprie religiones non sunt. Vota autem, quae in qualibet religione post novitiatum emittuntur, semper temporaria sunt: vel enim perpetua (simplicia vel sollemnia) vota praecedunt et tunc, ad normam can. 574 § 1, ad triennium fiunt; vel perpetua vota non praecedunt (nempe ex eo, quod agitur de religione a votis temporariis) et tunc eorum duratio, seu spatium temporis post quod professio constanter (si placuerit) iteranda est, in constitutionibus praefinitur. Utcumque vota temporaria, cuiuscumque generis sint, natura sua initium et finem habent. Finem, inquam, habent, sicuti, ad normam can. 575 § 1, finem habent obligationes et iura votis temporariis adnexa, ita ut qui huiusmodi vota professus fuerit, transacto tempore ad quod professionem emiserat, possit, ad normam can. 637 et absque ulla dispensatione aut cuiusvis iniuria *libere religionem deserere* (ibid.): unde etiam videtur per Codicem nostrum derogatum esse. declarationi a S. Congr. super Statu Regul. 12 iun. 1858 datae, ad I (qui numerus nullibi inter Codicis i. c. fontes allegatur), vi cuius vota simplicia, quae sollemni professioni praemittebantur, *perpetua sunt ex parte voventis*. Quare, proprie loquendo, professio perpetua, quae apud multas religiones temporariam subsequitur, est actus iuridicus plane distinctus a professione temporaria. Et hinc videtur derivasse textus huius paragraphi, quam modo explicamus: *Ante professionem votorum simplicium sive temporariorum sive perpetuorum novitius debet* etc. Scilicet quaeri potest, quare Legislator voce *novitius* uti maluerit, dum apud omnes constat, eum, qui post vota temporaria perpetua emittit, novitium revera non esse. Sed neque is, qui statim post novitiatum vota temporaria emissurus est, *professus* aut *religiosus* appellari poterat: nam de utroque paragraphus agit et

ad utramque professionem vox *novitius* in paragraphi contextu refertur. Si igitur vox *novitius* minus apta in contextu apparet, haud aptiores sunt aliae voces, quibus Legislator uti poterat. Sed, ut ulterius procedamus et ea quae antea delibavimus resumamus, ideo videtur Legislator *novitius* scripsisse, quia forte consideravit profitentem in momento temporis, quo prior professio finitur et altera succedit (cfr. can. 577 § 1), quo sane momento, quum de *religioso* vel *professo professionem emissuro* loqui non posset, de *novitio* necessario loqui debebat. Ex iis igitur quae huc usque disseruimus, videtur Legislator, nostra quidem sententia, multiplicem obligationem statuisse, eiusdem actus iuridici iterationi consentaneam, vi cuius toties vovens de propriis bonis temporalibus disponere debet (saltem per ratihabitionem dispositionis praecedentis), quoties professio votorum simplicium iteratur, nisi malit (quod in idem redit) de iisdem semel disponere *pro universo tempore quo in religione permanebit,* quae sane formula generalis omnes posteriores peculiares dispositiones in seipsa implicite continet. Consonat ratio legis: nam, si novitius (ex. c. ante professionem triennalem, cui perpetua subsequatur) suorum bonorum administrationem, usum et usufructum in perpetuum cesserit, quid si postea, ad normam can. 575, vel religio eum dimiserit, vel exacto tempore susceptae obligationis, ad saeculum ipse redire voluerit?

2. *Ad totum tempus* etc. — Praecipit itaque haec canonis paragraphus, ut vota simplicia professurus, ad totum tempus quo iisdem votis (seu temporariis seu perpetuis) adstringetur, duo agat: primum, ut bonorum suorum administrationem alteri, cui maluerit, cedat; deinde, ut de usu et usufructu eorundem bonorum libere disponat: primum semper agendum est; alterum vero tunc tantum, quum constitutiones religionis id permittunt. Quocirca haec habet cl. Vermeersch (*Epitome,* I, 569, n. 2): *Clausula « nisi constitutiones aliud ferant » addita videtur, quia in nonnullis Congregationibus religiosus vel religiosa usum-fructum totum, vel ratam eius partem, Instituto, vi constitutionum, cedere cogitur. Qui in constitutionibus dispensare potest, etiam hanc obligationem in casu speciali remittere poterit. Obligatio tamen huius modi parum placet S. Sedi, nec in novis constitutionibus videtur probatum iri.* Pont. vero Commissio ad Cod. authentice interpretandum, rogata num verba *nisi constitutiones aliud ferant* can. 569 § 1, ad vocem *libere* referantur, ita ut liceat per constitutiones determinare in quem finem de usu et usufructu a novitiis sit statuendum — die 16 oct. 1919 respondit: *Constitutiones ante promulgationem Codicis approbatae servandae sunt, sive novitiis adimant ius disponendi de usufructu suorum bonorum, sive hoc ius limitent seu praefiniant.*

3. *Ea cessio ac dispositio* etc. — Haec altera canonis paragraphus consulit casui, quo bona temporalia obveniant post emissam professionem votorum simplicium: quo in casu emissa professio minime impedit, quominus cessio et dispositio, de quibus supra, rite, ad normam § 1 huius canonis, fieci possint. Quid autem, si eadem cessio vel dispositio neglecta fuerit vel non recte peracta? Vi-

detur tum quoque fieri, iterari vel compleri posse post emissam professionem: eadem enim ratio suffragatur.

4. *Novitius in Congregatione* etc. — Agitur in hac paragrapho (cfr. can. 488, n. 2) de iis solummodo religionibus, quae vota simplicia tantum ex instituto emittunt, exclusis proinde religionibus quae, post triennalem professionem votorum simplicium, emittunt ex instituto professionem sollemnem. Itaque in omnibus Congregationibus religiosis quilibet novitius, ante professionem votorum temporariorum testamentum facere debet et bona sua, praesentia vel forte obventura, cui placuerit libere relinquere. Quid autem si novitius, quo de agitur, ad normam iuris civilis testamenti factionem non habeat? Si ex. c. agatur de cive italico, qui (cfr. Cod. civ. art. 763), antequam expleverit decimum et octavum aetatis annum, non habet testamenti factionem? Potestne per testamentum civiliter irritum, huius paragraphi praescriptum impleri? Affert cl. Schäfer (*De religiosis*, n. 256) responsum quoddam Pont. Commissionis ad Cod. authentice interpretandum, datum hac de causa Ministro Generali Congregationis SS.mi Redemptoris; sed quandonam datum fuerit, non dicit. Juxta huiusmodi responsum, *testamentum de quo Codex in can. 569 § 3 conficiendum est, etiamsi ex lege civili invalidum sit... Sed curandum est ut, cum primum fieri poterit, testamentum etiam ex lege civili vim habeat, nulla tamen in eo mutata dispositione, nisi secundum can. 583 n. 2,* idest cum consensu Ap. Sedis vel, si res urgeat nec tempus suppetat ad eam recurrendi, cum consensu Superioris maioris aut, si nec ille adiri possit (ex. c. in periculo mortis), Superioris localis. Haec de Congregationibus religiosis, in quibus sodalis propriis bonis renuntiare non tenetur (cfr. can. 581) et ideo dispositiones testamentariae ex iure nostro tenent, quocumque tempore interciderit obitus testatoris. Et hac de causa testamentum praecipitur. Nihil autem prohibet, quin et Ordinum religiosorum sodales testamentum faciant ante professiomem triennalem, quae sollemnem professionem praecedit: idque ad consulendum casui, quo mors intercidat professione simplici perdurante. Sed hoc in casu, cum, ad normam can. 581, professus a votis simplicibus, intra sexaginta dies ante professionem sollemnem, regulariter debeat omnibus bonis, quae actu habet, renuntiare, facto ipso praecedens testamentum irritum fit.

CAN. 570.

§ 1. *Nisi pro alimentis et habitu religioso in constitutionibus vel expressa conventione aliquid in postulatu vel novitiatu ineundo solvendum caveatur, nihil pro impensis postulatus et novitiatus exigi potest.*

§ 2. *Quae adspirans attulerit et usu consumpta non fuerint, si e religione, non emissa professione egrediatur, ei restituantur.*

Haec Conc. Tridentinum (Sess. XVI, *De regular.*, c. 16) decreverat: *Neque ante professionem, excepto victu et vestitu novitii vel novitiae illius temporis quo*

in probatione est, quocumque praetextu a parentibus vel propinquis aut curatoribus eius monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quod totam vel maiorem partem substantiae suae monasterium possideat, nec facile, si discesserit, id recuperare possit. Quin potius praecipit sancta Synodus sub anathematis poena dantibus et recipientibus, ne hoc ullo modo fiat; et ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur quae sua erant. Habes in hoc decreto et substantiam et rationem legis can. 570 contentae.

In primis igitur (salva dote religiosarum, de qua in can. 547-551) ab eo qui petit in religionem ingredi, nihil exigi potest, nisi pro alimentis et habitu religioso *illius temporis quo* (novitius) *in probatione erit,* nempe durante postulatu et novitiatu. Quod sane et iustum est, et ad fraudes eludendas aptum.

At, quamvis id iustum, nihil tamen (ut lites hac de causa religioni vitentur) de facto exigi potest, nisi vel in constitutionibus exigendum statuatur (quod quidem tacitae conventioni aequipollet), vel, in postulatu et novitiatu incipiendo, expressa de re conventio inita fuerit.

Item novitio discedenti restituenda sunt omnia, quae pro suo usu (salvis solutionibus, de quibus in prima paragrapho canonis) in religionem secum tulerat et usu ipso nondum consumpta sunt. Et hac de causa prudenter agunt Superiores religiosi, qui, de rebus pecuniave a postulantibus et novitiis forte allatis, fide dignum inventarium conficiendum curare solent.

CAN. 571.

§ 1. *Novitius potest religionem libere deserere, aut a Superioribus vel a Capitulo. secundum constitutiones, quavis iusta de causa dimitti, quin Superior vel Capitulum teneatur dimissionis causam dimisso patefacere.*

§ 2. *Exacto novitiatu, si iudicetur idoneus, novitius ad professionem admittatur, secus dimittatur; si dubium supersit sitne idoneus, potest a Superioribus maioribus probationis tempus, non tamen ultra sex menses, prorogari.*

§ 3. *Votis nuncupandis spiritualia exercitia novitius praemittat per octo saltem solidos dies.*

1. *Novitius potest* etc. — Prior haec canonis paragraphus respicit novitium novitiatu perdurante, quoad ius religionis deserendae vel novitii dimittendi. Quocirca in primis animadvertendum est, nullum vinculum contractuale intercedere inter novitium ac religionem: quare tum recessio tum dimissio novitii iustitiam commutativam nunquam laedere possunt. Deinde observandum est, aliquod discrimen interesse inter libertatem novitii a religione discedendi et libertatem religionis novitium dimittendi: dum enim novitius de sua discessione nemini in foro externo respondere debet, Superiores religiosi vel Capitula, quibus ex constitutionibus id competat (ius commune hac de re nihil statuit) respondere debent Ap. Sedi de dimissione novitiorum idoneorum, quibus semper via patet ad

S. Congregationem Religiosorum in devolutivo recurrendi; nam publicae Ecclesiae utilitatis interest, ut religiones et crescant et floreant. Et hinc est quod canon loquitur de *iusta causa,* quam Superiores religiosi vel Capitula, non quidem dimittendo novitio, sed Ap. Sedi, in casu recursus, necessario probare debent.

2. *Exacto novitiatu* etc. — Altera haec paragraphus respicit novitium, qui novitiatum exegit. Exacto scilicet novitiatu, aut novitius iudicatur idoneus aut iudicatur non idoneus, aut, propter dubium, de eius idoneitate iudicium suspenditur: quod quidem prudens dubium versari debet circa aliquam substantialem qualitatem a iure communi vel constitutionibus requisitam, quae hinc adesse videatur, illinc vero videatur ita deficere, ut finis religionis substantialiter a candidato attingi non possit. Itaque, nulla interposita mora, extante primo casu, novitius admitti debet ad professionem; extante altero, dimitti; extante autem tertio, tempus probationis *potest* prorogari. Quaenam praecise significatio vocis *potest?* Quum haec vox coniungenda sit in contextu cum subsequentibus verbis *non tamen ultra sex menses,* absque dubio agitur de lege permissiva, vi cuius nempe, facultas fit a Legislatore Superioribus maioribus tempus probationis per sex menses prorogandi: ita tamen ut, sex huiusmodi mensibus elapsis sine dispensatione Ap. Sedis probationis tempus ulterius prorogare non possint, sitque novitius vel admittendus vel dimittendus. Habemus proinde legem irritantem, vi cuius, ob defectum potestatis in Superioribus, tempus ulterius forte adiectum nihil valet ad dubium de idoneitate novitii de iure eliminandum et exinde ad admissionem, ita procrastinatam, legitimandam. Reservaturque haec prorogandi potestas Superioribus maioribus (cfr. can. 488 n. 8), ita ut ceteri Superiores, potestate deficiente, invalide agant. Quid autem si, ex constitutionibus religionis, biennium ad novitios probandos constitutum sit? Estne tum quoque in Superioribus maioribus potestas prorogandi? Ita sane: nam Legislator in hac paragrapho non agit de *anno* novitiatus canonici, sed de *novitiatu* ac de *probationis tempore,* prout nempe de facto legitime extat apud varias religiones. Superiores denique religiosi, qui candidatum non idoneum, contra praescriptum can. 271, § 2, ad professionem admiserint, ad normam can. 2411 pro gravitate culpae puniendi sunt, non exclusa officii privatione.

CAPUT III

DE PROFESSIONE RELIGIOSA

CAN. 572.

§ 1. *Ad validitatem cuiusvis religiosae professionis requiritur ut:*

1. *Qui eam emissurus est, legitimam aetatem habeat ad normam can. 573;*

2. *Eum ad professionem admittat legitimus Superior secundum constitutiones;*

3. *Novitiatus validus ad normam can. 555 praecesserit;*

4. *Professio sine vi aut metu gravi aut dolo emittatur;*

5. *Sit expressa;*

6. *A legitimo Superiore secundum constitutiones per se vel per alium recipiatur.*

§ 2, *Ad validitatem vero professionis perpetuae sive sollemnis sive simplicis, requiritur insuper ut praecesserit professio simplex temporaria ad normam can. 574.*

1. Finis novitiatus, de quo huc usque egimus, in professione religiosa positus est. *Professio* (a pro-fateor) etymologice idem est atque assertio propriae conditionis, animi, facultatis vel artis. Unde ex. c. apud Ciceronem haec reperimus: *Non me praeteribat, in tam perturbato statu civitatis, fructuosissimam esse professionem bonae voluntatis* (10, Fam. 8). Vel etiam: *Vis oratoris professioque ipsa bene dicendi hoc suscipere ac polliceri videtur* etc. (1, *Orat.*, 6, 21). Quare, si haec significatio ad vitam religiosam deflectatur, professio nihil aliud erit, nisi assertio seu affirmatio propriae religiosae conditionis. Quia vero haec assertio locum habere non potest, quin prius aut simul status religiosus susceptus sit aut suscipiatur, inde praecipua significatio iuridica vocum *professio religiosa,* nempe *religiosi status susceptio,* seu actus iuridicus quo status religiosus suscipitur. Huius autem actus elementa substantialia, iure quo utimur, tria sunt: votorum paupertatis, castitatis et obedientiae nuncupatio; sui in potestatem religionis traditio; utriusque rei acceptatio, Ecclesiae ac religionis nomine, a Superiore facta: horum si unum desit, vel agitur de societate quae proprie religio non est, vel actus iuridicus irritus est. Exinde duplex tum in religioso, tum in religione obligatio: in religioso quidem alia erga Deum, nempe emissa vota adimplendi, alia erga religionem, nempe sese gerendi ut bonus eiusdem sodalis; in religione vero alia erga Deum, nempe fovendi iuxta modum a iure praescriptum votorum implementum, alia erga religiosum, nempe in omnibus, uti oportet erga sodalem, sese gerendi. Vi igitur professionis religiosae initur inter religiosum et religionem veluti contractus bilateralis, qui tenet utrumque contrahentem quique, sicuti alii contractus,

perpetuus esse potest aut temporarius, sollemnis aut minus. Professio perpetua, ut patet, cum (perinde ac matrimonium) contractus sit natura sua personalis, ad vitam obligat profitentem; professio temporaria ad tempus in ipsa professione praefinitum. At omnino singularis est hac in re significatio vocum *sollemnis* ac *non-sollemnis* seu simplicis; non enim significatio eruenda est ex adhibitis aut minus *sollemnitatibus,* quae ad actum iuridicum rite perficiendum ex iure adhiberi debent: nam nulla fit professio religiosa, quae careat huiusmodi sollemnitatibus. Unde ratio sollemnitatis unice requirenda est in facto, quod Ecclesia quibusdam professionis formulis (nempe iis, quibus quaedam religiones utuntur) vim sollemnitatis *sui generis* peculiaremque iuridicam tutelam adiecit, quas non adiecit ceteris; quod quidem confirmatur per can. 1308, § 2, qui ait: *Votum est sollemne, si ab Ecclesia « uti tale fuerit agnitum »; secus simplex.* Et ex his, quae praelibare placuit, derivare videntur quae mox dicturi sumus.

2. *Ad validitatem* etc. — Canon continet legem quoquoversus irritantem: agitur enim de validitate cuiusvis religiosae professionis, idest tum temporariae tum perpetuae, tum simplicis tum sollemnis, salvis profecto requisitis quae professionem perpetuam peculiariter respiciunt. Et in primis, ad validitatem cuiusvis professionis requiritur in professe aetas canonica ad normam can. 573, idest sexdecim annorum expletorum, si agatur de professione temporaria; unius et viginti, si de perpetua. Attenta vero tum natura tum ratione legis, non datur hac in re, ut patet, parvitas materiae.

3. *Eum ad professionem* etc. — Deinde ad validitatem professionis religiosae requiritur, ut admissio a legitimo Superiore fiat. Legitimus autem hac in re Superior est, ad normam can. 543 (cfr. comment. ad hunc can.), Superior maior cum suffragio Consilii vel Capituli. Haec de iure communi; cetera omnia ad negotium admissionis pertinentia, agenda sunt, et quidem ad validitatem admissionis ac proinde professionis, ad normam constitutionum.

4. *Novitiatus validus* etc. — Tertio, ad cuiusvis professionis validitatem requiritur ut novitiatus praecesserit, et quidem legitime peractum ad normam can. 555 ac proinde etiam can. 542 (cfr. comment. ad hos can.). Haec autem inter requisita, reperitur quoque, tanquam conditio *sine qua non,* ut novitiatus perduret per annum integrum et continuum (can. 555, § 1, n. 2). Qua in re quaeri potest quidnam sentiendum sit de novitiatu eius, qui, aut postquam dimissus iterum recipitur, aut postquam discessit iterum ad religionem revertitur. Quatuor casus contingere posse recte censet cl. Chelodi (*Jus de personis* (ed. I), n. 270: Vel enim novitius dimittitur aut sponte discedit novitiatu perdurante, vel dimittitur aut discedit expleto novitiatu. Rursus autem iuste vel iniuste dimittitur. Jamvero, si novitius durante novitiatu discesserit aut fuerit dimissus, patet rem incidere in casum in can. 556 § 1 explicite contentum et, ad normam eiusdem canonis, novitiatum interrumpi (cfr. comment. ad can. 556). Quocirca a cl. Chelodi dissentire non possumus. Si autem discessio vel dimissio acciderit expleto novitiatu, tum probe distinguendum est: nam si agitur de iniusta dimissione, liquet alienam

iniuriam in damnum novitii cedere non posse, et ideo novitiatum valere cum cit. auctore opinamur. At in praxi, si postea (nempe intervallo plus minusve diuturno interposito) agatur de novitio iterum recipiendo, cum ius commune de re sileat, censemus eumdem, sine consensu Ap. Sedis, ad professionem religiosam admitti non posse. Si denique agitur de iusta dimissione aut spontanea novitii discessione, rem quidem esse dubiam cl. Chelodi libenter concedimus; sed quo iure quave potestate, silente iure, valeant in casu Superiores religiosi, candidato post discessionem revertenti aut post dimissionem iterum in religionem recipiendo, praescriptum can. 571, § 2, de prorogando tempore probationis, applicare, non videmus: non enim hic agitur tantummodo de dubio circa eius idoneitatem ad professionem emittendam, verum etiam de restituenda, ad validitatem professionis, conditione iuridica per dimissionem vel spontaneam discessionem subversa. Quare censemus, ex sola dispensatione Ap. Sedis posse tum candidatum admitti ad professionem religiosam.

5. Quoad novitiatus integritatem, tanquam conditionem *sine qua non* ad validitatem subsequentis professionis, praetermitti non potest exceptio celeberrima, ab ipso Legislatore inducta aequitatis causa: nempe de professione religiosa novitiorum in periculo mortis versantium. Hanc exceptionem primus introduxit Pius Pp. V. Rem S. Congr. de Religiosis, in decr. *Spirituali consolationi,* 10 sept. 1912, hisce verbis exponit: *Spirituali consolationi novitiarum sancti Dominici volens consulere, et ne caelesti religiosae professionis merito ipsae careant, quo professae moniales ex benignitate sanctae Sedis gaudent, S. Pius V, constitutione « Summi Sacerdotii » data die 23 aug. 1570, concessit et indulsit ut, quoties aliqua ex iisdem novitiis nondum professa, de alicuius medici iudicio, ab hoc saeculo transitura conspiceretur, ipsa, dummodo in aetate legitima esset constituta, valeret in mortis articulo regularem professionem ante finem novitiatus emittere; atque adeo novitiae sic decedentes consequi possent indulgentias et alias gratias, quas moniales vere professae consequebantur. Nec non iisdem monialibus novitiis tunc ita professis decedentibus plenariam peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in forma Jubilaei largiri dignatus est.* Haec igitur substantia ac limites privilegii a Pio Pp. V concessi. Sed postea paullatim omnes religiones, seu viriles seu muliebres, quae cum Ordine Praedicatorum in privilegiis communicabant, vi huius communicationis, eodem privilegio legitime uti coeperunt. Deinde magis etiam extensum est et non semper recte intellectum: unde dubia. Ad quae eliminanda et simul ad privilegium quantum fieri poterat extendendum, per supra allatum decretum 10 sept. 1912, S. C. haec statuit: *In quocumque Ordine..., Congregatione..., Societate religiosa..., monasterio... vel etiam in Institutis in quibus, quamvis vota non emittantur, in communi tamen vita agitur more Religiosorum, liceat exinde novitios seu probandos qui medici iudicio graviter aegrotent, adeo ut in mortis articulo constituti existimentur, ad professionem vel consecrationem aut promissionem iuxta proprias Regulas seu constitutiones admittere, quamvis tempus novitiatus vel probationis nondum expleverint.* Ut autem

novitii seu probandi, de quibus supra, ad praefatam professionem, consecrationem vel promissionem *admitti possent*, quaedam, et magni quidem momenti, *conditiones* privilegio ita extenso a S. Congregatione (ibid.) appositae sunt, nempe: — 1. *Ut novitii, de quibus agitur, novitiatum seu probationem canonice* (idest legitime seu valide) *inceperint;* — 2. *Ut Superior, qui novitium seu probandum ad professionem* etc. *admittit, sit ille qui monasterium vel novitiatus aut probandatus domum actu regat;* — 3. *Ut formula professionis* etc. *sit eadem quae in Instituto extra casum aegritudinis in usu est; et vota, si nuncupentur, sine temporis determinatione aut perpetuitate pronuntientur;* — 5. *Ut haec professio* etc., *praeter gratias in praecedenti articulo enuntiatas* (art. 4 enunciabat concessionem earundem gratiarum, quas constit. Pii Pp. V *Summi sacerdotii* supra allata continebat) *nullum omnino alium producat effectum. Proinde:* A) *si novitius seu probandus post huiusmodi professionem* etc., *intestatus decedat, Institutum nulla bona vel iura ad ipsum pertinentia sibi vindicare poterit;* B) *si convalescat antequam tempus novitiatus seu probandatus expiret, in eadem omnino conditione versetur ac si nullam professionem emisisset; ideoque:* a) *libere, si velit, ad saeculum redire poterit;* b) *Superiores illum dimittere valent;* c) *totum novitiatus seu probandatus tempus in singulis Institutis definitum, licet si ultra annum, explere debet; hoc tempore expleto, si perseveret, nova professio seu consecratio vel promissio erit emittenda.* Ea autem de causa huius decreti textum fere integrum attulimus, quod agitur de iure vigente, quamvis extra Codicem i. c. vagante: siquidem S. Congr. de Religiosis, rogata *an decretum quod incipit « Spirituali consolationi » editum sub die 10 sept. 1912 adhuc vigeat,* die 30 dec. 1922 respondit: *Affirmative, at declarandum, si ita SS.mo placuerit, quod facultas recipiendi professionem, de qua in n. 2 decreti, praeter Superiorem monasterii aut domus novitiatus vel probandatus, intelligatur competere etiam ad respectivos Superiores maiores iuxta constitutiones, et ad praedictorum omnium delegatos.* Et cum R. Pontifex hanc levissimam additionem, seu potius explicationem, approbasset, decretum diei 10 sept. 1912 iterum editum est, hisce postremis verbis sub n. 2 insertis. Hoc igitur ius vigens quoad professionem novitiorum in periculo mortis, quodque proinde derogat praescripto canonis 572, § 1, n. 3, quem modo interpretamur.

6. *Professio sine vi* etc. — Quarto, ad validitatem professionis religiosae, requiritur ut haec libere omnino emittatur. Quocirca in primis ratio habenda est de iis qua supra diximus, can. 542 n. 1 explicantes (cfr. comment. ad hunc can.): nam eodem prorsus modo hic vis, metus, dolus intelligenda sunt. Sunt autem tria peculiariter animadvertenda: primum de vi, alterum de metu, tertium de differentia exsistente inter can. 542 n. 1 et 572 § 1 n. 4. Scilicet quomodo vis extrinseca cui resisti non possit (cfr. can. 103 § 1) in hac specie facti locum habebit? Sane non solum si quis instrumentum professionis vi physica subsignare compellatur, verum etiam si carcere, fame, verberibus ita defatigetur candidatus, ut tandem aliquando, ad eam effugiendam calamitatem, professionem

peregerit. Quod quidem, fatemur, vix contingere poterit. At in hoc casu non de metu sed de vi agitur. Quoad metum autem quaeri potest an in specie locum sit metui ab intrinsceco, ex c. timori divinae vindictae. Et cum cl. Vermeersch (*Epitome,* I n. 575) aperte negamus, utpote metus qui magis ad conscientiam personalem candidati quam ad forum externum pertinet quique, si admitteretur, abusibus cuiusque generis viam aperiret. Quod si ab extrinseco, metus, ut actum iuridicum professionis irritet, iniustus esse debet: non enim Superior religiosus, qui ex. c. novitio ante professionem iustis verbis commemoraret obligationem hominum divinae vocationi obsequendi, necnon divinas sanctiones quae hominem beneficii immemorem expectant, metum candidato inferre videretur, quamvis ab hisce admonitionibus sit abstinendum. Agitur itaque de metu iniusto, quem nempe Superior religiosus, parentes, cognati aliive nullum ius habent inferendi, cuiusque rationes non quidem ex bono spirituali candidati, sed ex extrinsecis rerum adiunctis, inito consilio, desumuntur. Est denique inter praescriptum can. 542 n. 1 et 572 § 1 n. 4 discrimen, quod praeterire non possumus sine aliquali explicatione: dum enim, ad normam can. 542 n. 1, invalida est admissio ad novitiatum, si Superior (illaeso candidato) ad eam admissionem vi, metu gravi aut dolo inductus fuerit, ex adverso in can. 572 § 1 n. 4 nulla reperitur de Superiore mentio. Quid igitur? In primis observare placet, minus recte loqui de re cl. Schäfer (*De religiosis,* 266 n. 4), cum scribit vim, metum, dolum, *quoad Superiorem qui professionem recipit,* non considerari: non enim quaestio esse potest de Superiore qui professionem recipit, sed de Superiore qui *ad professionem admittit,* eodem plane modo quo in can. 542 n. 1 consideratur Superior qui admittit ad religionem. Nam duo sunt in professione religiosa contrahentes, nempe religio et is qui professionem emittere debet: illa agit acceptando vel respuendo propositum candidati sese religioni tradendi, scilicet candidatum ad professionem vel admittit vel non admittit; hic autem agit professionem emittendo qua religioni seipsum tradit. Jam vero nihil hic habet videndum ille, quicumque demum sit, qui professionem recipit, quique non est nisi merus exsecutor et testis qualificatus voluntatis religionis admittentis. Unde merito Vermeersch (*Epitome,* I, 575, n. 1): *Observandum tamen est hoc loco non iam attendi nisi ad metum vel dolum quem... profitens passus sit, minime ad metum quo Superior afficiatur.* Hanc sententiam, quae et communis est et in natura, textu et contextu legis irritantis fundata, et ipsi tenemus. Igitur commatis huius praescriptum non respicit Superiores maiores, neque Consilium seu Capitulum qui, religionis personam gerentes, candidatum ad professionem admittunt. An ideo, si forte Superiores huiusmodi vi, metu, dolo adducti fuerint ad candidatum non-idoneum sed volentem ad professionem admittendum, admissio haec et consequens professio validae sunt? Ita sane: utraque valida, tum ad professionem admissio, tum subsequens professio, si forte constitutiones religionis, quarum est, ad normam commatis n. 3 huius canonis, modum admissionis statuere, invaliditatem actus admissionis in casu vis, metus gravis vel doli contra libertatem

admittentium sancire neglexerint. Totum igitur negotium a iure communi constitutionibus religionis relinquitur, salvis poenis in violatores libertatis per can. 2352 latis, et actione rescissoria quae ex iure communi suppetit laesis, ad normam can. 103 § 2.

7. *Sit expressa.* — Quinto, ut professio religiosa valeat, expressa esse debet; proinde professio tacita, qua per tot saecula, veluti post annum novitiatus expressae professioni aequivalente, legitime usae sunt religiones, tum viriles tum muliebres, quaeque iam ante Codicis nostri promulgationem abrogata fuerat, a Codice expresse reiicitur. Hoc unum quod Codex i. c. statuit de forma professionis religiosae: cetera iuri particulari definienda relinquuntur (cfr. can. 576). Quare, ad substantialem professionis validitatem sufficit, ut obligationes, quas candidatus assumere intendit per eam professionem religiosam, generaliter in formula exprimantur. Inde diversitas inter varias professionis formulas existens.

8. *A legitimo Superiore* etc. — Sexto et ultimo, ad validitatem cuiusvis professionis religiosae requiritur, ut professio a legitimo Superiore recipiatur, idest nomine religionis acceptetur. Hanc acceptationem ad intimiorem substantiam professionis antea pertinere diximus, quatenus, nempe, quaelibet professio religiosa naturam habet contractus seu duorum (religionis et candidati) in idem placitum consensus: quare, ad plenum conceptum professionis, requiritur acceptatio alterius contrahentis. Quisnam autem sit Superior ad recipiendam professionem legitimus, ius commune non definit, imo iuri particulari definiendum expresse relinquit. Is igitur legitimus Superior, quem ad hoc munus constitutiones designant. Qui praeterea habet a iure communi facultantem agendi per alium. Quum autem non agatur de iurisdictione ecclesiastica exercenda, sed tantummodo de exercenda potestate dominativa patrisfamilias, et quidem mere exsecutoria voluntatis religionis per admissionem manifestatae, scilicet ad hoc, ut novus sodalis in familiam rite recipiatur ac, semel receptus per normalem contractum, et ipse eidem potestati (vel etiam potestati iurisdictionis, regionis Superioribus forte competenti, perinde ac quilibet fidelis, per contractum domicilium aut quasi-domicilium, iurisdictioni Episcoporum) subiaceat: inde est quod, summo iure, cuilibet personae, agendi in Ecclesia capaci, Superior a constitutionibus designatus, hanc suam potestatem delegare posset. At decet omnino, ut, si facultas professionem recipiendi deleganda fuerit, eiusdem religionis sodali, et quidem, quantum fieri potest, in potestate constituto, delegetur. Quonam autem modo potestas huiusmodi exercenda est? Quum potestas professionem recipiendi praecise consistat in facultate gerendi, quoad eum actum iuridicum, personam religionis et sollemniter testificandi eius consensum contractualem, ad validitatem actus per se sufficit, ut professionis receptor adsistat, qua talis, manifestationi voluntatis novi sodalis, idest statutam formulam audiat, neque repugnet: ita enim in idem placitum consentire videtur. Nihil amplius hac in re expresse requiritur a iure communi. Cetera, quae actum iuridicum vestiunt, veluti ritus sacer, peculiares caeremoniae, verba receptoris et adsi-

stentia communitatis universae, iuri particulari definienda permittuntur (cfr. can. 576 § 1). Quia tamen, ex expresso iuris communis praescripto, legitimus professionis receptor, quisquis sit, professionem recipere debet *secundum constitutiones,* idque ad validitatem professionis, ritus, de quo in can. 576 § 1, a constitutionibus religionis statutus, ad validitatem actus substantialiter explendus est. Demum non est praetereundum, Pont. Commissionem Codici i. c. interpretando praepositam, rogata cum esset an, si agatur de Congregatione muliebri iuris pontificii, in cuius constitutionibus professionis formula praecipitur, in qua nulla fit mentio de Antistita sed tantum de Episcopo et eius delegato: Episcopus vel eius delegatus habendus sit in casu tanquam legitimus Superior de quo in can. 572 § 1 n. 6 — hisce verbis respondisse: *Affirmative, tanquam habens legitimum mandatum.* Est igitur hoc in casu Episcopus eiusve delegatus legitimus Superior, de quo in commate quod explicamus, quum constitutiones alium, uti talem, non designent; at, quoniam Episcopi per se non sunt Superiores religiosi, saltem in religionibus iuris pontificii, hanc veluti vestem Superioris religiosi in eo particulari casu obtinere non censentur, nisi ex mandato religionis.

9. *Ad validitatem vero* etc. — Peculiare requisitum ad validitatem professionis perpetuae, in hoc positum est, quod ei legitime praecesserit professio temporaria. *Legitime,* idest ad normam can. 574, de quo postea agemus. Sed in antecessum investigandum est quousque praescriptum can. 574 cadat sub clausula irritanti paragraphi huius, quam modo explicamus. Quatuor sunt quae a can. 574 statuuntur: quod professioni perpetuae semper praecedat professio temporaria; quod haec professio sit saltem triennalis; quod in domo novitiatus emittatur; quod denique semper tanquam exceptus habeatur casus, de quo in can. 634, nempe religiosi, qui, post emissam professionem perpetuam, ad aliam religionem legitime pertransierit, in qua item vota perpetua emittantur; nam hic religiosus, peracto novitiatu, statim potest ac debet admitti ad professionem perpetuam in nova religione, quavis temporaria professione praetermissa. Ex hisce quatuor elementis can. 574, primum, secundum et quartum extra quaestionem sunt. Non ita tertium: nam, ut acute observat cl. Vermeersch (*Epitome,* I, n. 577) can. 574 praecipit quidem, ut in ipsa novitiatus domo professio temporaria fiat, sed nulla clausula irritans legi adiecta est. Si igitur temporaria professio extra domum novitiatus facta fuerit, valet. Num postea, triennio transacto, quum peragenda est professio perpetua, id quod antea valebat validum esse desinit? Haec vera: quia tamen officium nostrum est dispositionem legis, et quidem nec novam nec absurdam, explicare, non autem legis sententiam ad facilitatem praxis deflectere, ideo, usque dum authentica interpretatio prodierit, insistere cogimur in rigidiore interpretatione. Quae ut clarius appareat, animadvertendum est Legislatorem in primis locutum esse de requisitis ad utriusque professionis validitatem necessariis; deinde per can. 573 et 574 quaedam horum requisitorum, uti materia postulare videbatur, amplius explicare. Haec ratio, quare in can. 572, § 1, n. 1 edicit legitimam aetatem esse ad validitatem professionis necessariam; quae-

nam autem sit aetas legitima, definitur in can. 573, *ad cuius normam* lex irritans de aetate legitima est intelligenda. Quare nulla est huius postremi canonis dispositio, quae vi irritanti primi canonis non afficiatur. Eodemque prorsus modo, in can. 572, § 2 edicit professionem temporariam necessario praecedere oportere, ad perpetuae professionis validitatem. Quaenam vero ad hanc professionem temporariam legitime peragendam requirantur, definitur in can. 574, *ad cuius normam* lex irritans de temporaria professione praemittenda intelligi debet. Unde iterum nulla est dispositio postremi huius canonis, quae non afficiatur vi irritanti canonis praecedentis. Quare igitur excipi possit dispositio de temporaria professione *in ipsa novitiatus domo* (cfr. can. 574, § 1) praemittenda? Et quare, si haec dispositio fuerit excepta, aequo iure non possit (quum utriusque eadem sit ratio) excipi quoque dispositio de professione *ad triennium* (ibid.) valitura, ita ut haec semper valide queat ad biennium vel ad annum emitti? Quod nemo sane dabit. Est igitur concludendum can. 574 ita stricte connexum esse cum § 2, can. 572, ut alterum sine altero recte intelligi non possit, eodem plane modo quo can. 573 cum n. 1, § 1, can. 572 connexum est; et professionem temporariam, ad validitatem subsequentis professionis perpetuae, in domo novitiatus esse emittendam.

CAN. 573.

Quilibet professionem religiosam emissurus oportet ut decimum sextum aetatis annum expleverit, si de temporaria professione agatur; vicesimum primum, si de perpetua sive sollemni, sive simplici.

Indubitatissimum est, ait cl. Thomassin (*Vetus et nova Eccl. disciplina*, I, lib. III, c. 55), *iure novissimo post annum Christi millesimum, aetatem annorum duodecim monialibus, quatuordecim monachis et necessariam et idoneam fuisse, ut eorum religiosa professio convalesceret.* Hoc ius decretalium, quod cl. auctor probat multis locis authenticis allatis.

At haec disciplina in religionum detrimentum vergebat. Haec causa, quare Carthusiani novitios non admittebant nisi annorum viginti. *Idem statutum,* prosequitur, *edidit Petrus Cluniacensis abbas Ordini suo... ubi non dissimulat excidium regularis claustralisque disciplinae non ex alio fonte manasse quam ex eorum praecoci et immatura aetate, qui ad novitiatum et professsionem essent admissi, « Statutum est,* subiungit, locum ex chronicis eius religionis afferens, *ut nullus, etiam ex concessione, futurus monachus regularibus usque ad viginti annos vestibus induatur. Causa instituti huius fuit immatura nimisque celer infantium susceptio, qui, antequam aliquid rationabilis intelligentiae habere possent, sacrae religionis vestibus induebantur et, admixti aliis, puerilibus ineptiis omnes perturbabant* ».

Jisdemque de causis lex generalis a Conc. Tridentino lata est (Sess. XXV, c. 15, *De regular.*) huius tenoris: *In quacumque religione, tam virorum quam*

mulierum, professio non fiat ante decimum sextum annum expletum... Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem.

Postea vero ex decreto *Sacrosancta Dei* S. Congr. de Religiosis, 1 ian. 1911, discrimen introductum est inter clericos et laicos Ordinum religiosorum; scilicet, *ut dignitas votorum, quae etiam laici sollemni ritu promittunt, in laude... perseveret,* de laicis S. Congregatio haec, inter alia decernit: *Novitiatus ante vigesimum primum aetatis annum initium non habeat* (ibid. 3). *Expleto novitiatu* (nempe annali, iuxta constitutiones)... *laici admitti possunt ad simplicem votorum professionem, quae... sit ad tempus sexennii ex parte Ordinis* (ibid. 4). *Absoluto sexennio votorum simplicium et expleto trigesimo aetatis anno, ac non prius sub poena... invaliditatis,... laici vota sollemnia nuncupare poterunt* (ibid. 5).

Haec omnia Codex i. c. funditus subvertit, decernens ad validitatem professionis religiosae temporariae semper et ab omnibus requiri et sufficere, absque ullo discrimine, aetatem sexdecim annorum expletorum; ad validitatem vero professionis perpetuae, item semper et ab omnibus absque ulla differentia, requiri et sufficere aetatem annorum viginti unius, item expletorum. Exinde S. Congr. de Religiosis, rogata utrum regulares laici, qui vota simplicia emiserunt ante promulgationem Codicis i. c. (19 maii 1918) ad normam decreti *Sacrosancta Dei,* debeant emittere vota sollemnia post expletum sexennium votorum simplicium et aetatem triginta annorum iuxta idem decretum, an potius, ad normam can. 573 et 574, expleto triennio votorum simplicium et aetate annorum viginti unius, 6 oct. 1919 respondit: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

CAN. 574.

§ 1. *In quolibet Ordine tam virorum quam mulierum et in qualibet Congregatione quae vota perpetua habeat, novitius post expletum novitiatum, in ipsa novitiatus domo debet votis perpetuis, sive sollemnibus sive simplicibus, praemittere, salvo praescripto can. 634, votorum simplicium professionem ad triennium valituram, vel ad longius tempus, si aetas ad perpetuam professionem requisita longius distet, nisi constitutiones exigant annuales professiones.*

§ 2. *Hoc tempus legitimus Superior potest, renovata a religioso temporaria professione, prorogare, non tamen ultra aliud triennium.*

1. Antiquitus professio religiosa, quae sollemnis ideoque perpetua non fuisset, prorsus ignorabatur. Religio, quae primum professionem simplicem introduxit, fuisse videtur Societas Jesu: in ea enim et vota simplicia temporaria, quae quidam sodales ante sollemnia emittebant, et vota simplicia perpetua, quae sola emittebant coadiutores, iam ab initio reperimus. Inde igitur recentiores Congregationes praxim professionis simplicis derivarunt. Inde etiam (ne in religionem *quis admittatur, qui... verae vocationis expers, et suscepti Instituti poeniteat, et gravem*

sodalibus molestiam afferat cum disciplinae perturbatione et regularis servantiae discrimine...) Pius Pp. IX, quoad religiosas virorum familias in quibus sollemnia vota emittuntur,... decrevit: Peracta probatione et novitiatu... vota simplicia emittant... Professi, post triennium a die quo vota simplicia emiserint computandum... ad professionem votorum sollemnium admittantur... (S. Congr. Episc. et Reg., 19 mart. 1857). Quae lex paullo postea, idest 7 febr. 1862, per Pii Pp. IX constit. *Ad universalis,* perfecta evasit ex addita sanctione *nullam omnino, irritam et nullius roboris fore professionem votorum sollemnium... factam a novitiis quibuscumque etiam laicis... qui... non emittant prius professionem votorum simplicium et in ea per triennium integrum non permanserint.* Tandem vero, per decretum *Perpensis* S. Congr. Episc. et Regul., 3 maii 1902, lex de simplici professione, perpetua ex parte voventis (ibid. n. 5), professioni sollemni praemittenda, extensa est *omnibus et singulis sanctimonialium monasteriis cuiuscumque Ordinis seu Instituti, in quibus vota sollemnia emittuntur* (ibid. n. 1). Codex noster totam legis huius materiam de integro ordinavit, novo statuto fundamento, suppressaque professionis simplicis perpetuitate ex parte voventis.

2. *In quolibet Ordine* etc. — Nova igitur lex respicit non solum regulares, sed religiosos universos, qui ex instituto professionem perpetuam emittunt. Unde patet legis fundamentum esse immutatum: scilicet, dum ex veteri lege obligatio professionem simplicem praemittendi fundabatur in *sollemnitate* subsequentium votorum, ex lege nova fundatur in eorundem votorum *perpetuitate;* secus Congregationes vota perpetua, sed non sollemnia, profitentes, comprehendi non possent. Quaenam innovationis ratio? Sane professio sollemnis nonnullos, et quidem magni momenti, effectus producit, quos producere non potest simplex professio perpetua. At utrumque professionis genus in hoc aeque convenit, quod, tum ex parte voventis tum ex parte religionis, enascitur obligatio, quae utrumque contrahentem tenet usque ad obitum sodalis. Praecise autem in hac obligatione, quae sodalem in utroque casu tenet, quaeque *practice* in utroque casu eodem prorsus modo convenit cum ratione legis de professione temporaria praemittenda, fundatur aequiparatio hac in re inter duas professiones a Codice nostro introducta. Diximus: *Usque od obitum sodalis*. Quod intelligendum est vi contractae per professionem obligationis. Unde, quum Pont. Commissioni ad Cod. interpretandum propositum fuisset dubium, an perpetua censenda esset professio, in qua vota emittuntur sub formula *Donec in religione vivam,* vel alia aequipollenti, et vi cuius sodalis, seu sponte postea discesserit seu a religione dimissus fuerit, facto ipso discessionis vel dimissionis, quocumque vitae suae momento, impleta conditione professioni apposita, a quavis votorum obligatione solvitur: *negative* respondit. Et revera in proposito dubio, sin agitur, proprie loquendo, de professione temporaria, neque agitur de perpetua: agitur, e contra, de professione emissa, ob adiectam conditionem, ad tempus indefinitum, cui proinde non suffragatur ratio legis de temporaria professione praemittenda.

3. *Novitius post expletum* etc. — Ad normam can. 571 § 2, expleto in

religione a votis perpetuis novitiatu, novitius idoneus professionem temporariam statim emittere debet. Quae professio temporaria ad tempus plus minusve diuturnum, iuxta casuum varietatem, emittenda erit. Scilicet, contingere potest ut diuturnitas professionis temporariae ad normam iuris communis definienda sit vel ad normam legum extra Codicem vagantium; si primum, iterum evenire potest ut agatur de iure communi ordinario vel de extraordinanio; si denique agitur de iure communi ordinario, rursum accidere potest ut actus iuridicus professionis coincidat cum fine anni duodevigesimi aut hanc candidati aetatem praetergrediatur, vel ex adverso ut hanc aetatem antecedat. Inde casus quatuor. — 1) Primus casus locum habet, quum emittenda professio aut coincidit cum fine anni duodevigesimi aetatis candidati aut hanc candidati aetatem superat: et tunc professio fit *ad triennium* valitura. — 2) Alter casus locum habet, quum emittenda professio aetatem praefatam antecedit: et tunc fit professio valitura *plus quam ad triennium,* nempe usque ad aetatem viginti unius annorum expletorum, quae ad perpetuam professionem emittendam requiritur (cfr. can. 573). — 3) Tertius casus locum habet, quum diuturnitas professionis temporariae definienda est ad normam iuris communis extraordinarii, idest quum constitutiones religionis, loco professionis triennalis, exigunt tres successivas annales professiones; et tunc, uti patet, professio temporaria nonnisi *ad annum* fieri potest. — 4) Quartus denique casus locum habet, quum res definienda est ad normam non quidem Codicis i. c. sed legum specialium: est casus earum regionum, in quibus religiosi servitio militari activo adstringuntur et ubi duratio professionis temporariae, ad normam declarationis S. Congr. de Religiosis, 15 iul. 1919, necnon decreti *Inter reliquas,* 1 ian. 1911, determinanda est atque moderanda. In declaratione 15 iul. 1919 S. Congregatio postquam animadvertit, praefatum decretum *Inter reliquas*, utpote quod latum fuerit ad praecavenda mala ex rerum adiunctis adhuc perdurantibus derivantia, in vigore post Codicis i. c. promulgationem permanere, prosequitur: *Propositis igitur dubiis : ..... 2. Utrum novitii servitio militari adstricti, absoluto novitiatu vota religiosa temporaria emittere debeant ad triennium iuxta modum in can. 574 expressum : Respondetur: ..... « Negative ad secundum, et vota temporaria emittantur valitura usque ad servitium militare ». Quapropter statuit S. Congregatio ut : — 1. Vota praedicta cessent eo die, quo religiosus militiae effective adscriptus et disciplinae militari subiectus evadit, vel inhabilis ad militiam absolute et in perpetuum declaratur; — 2. Perdurante militari servitio, alumnus, quamvis votis religiosis non sit ligatus, tamen membrum religionis esse perseverat, sub auctoritate suorum Superiorum, qui de eo curam habere debent, forma praescripta in decreto « Inter reliquas », nn. IV et V. Attamen ad normam can. 637, alumnus potest libere religionem deserere, praemonitis Superioribus per declarationem in scriptis vel coram testibus, quae declaratio caute in archivis Ordinis vel Instituti servetur; religio pariter potest eum, ob iustas et rationabiles causas, dimissum declarare.* In hoc igitur quarto casu, fieri tantum potest professio tem-

poraria valitura *usque ad servitium militare,* sive hoc servitium a professione distet triennio, sive plus aut minus quam triennio: die enim quo religiosus servitio militari effective subiicitur vel (quod quidem antea certe sciri nequit) inhabilis ad militiam absolute et in perpetuum declaratur, facto ipso, ex dispositione iuris, quaelibet vota temporaria cessant. Et nihilominus, ad normam decr. *Inter reliquas* (n. 1, 2 et 6), tempus ante militare servitium in professione transactum, valet pro triennio temporariae professionis explendo, dummodo tamen, post reditum ad religionem et iteratam, servatis servandis (ibid. n. 6), professionem temporariam, semper et indiscriminatim religiosus, saltem per integrum annum, in votis simplicibus adhuc permaneat. Tum vero admitti potest ad professionem perpetuam, quae, si antea facta, semper et in quocumque casu invalida est (S. Congr. de Relig., 1 febr. 1912).

4. *In ipsa novitiatus domo* — Professionem temporariam, ut valida censeatur ad subsequentem professionem perpetuam legitime peragendam, in ipsa novitiatus domo fieri oportere, antea demonstravimus (cfr. comment. ad can. 572, § 5). Ad hanc autem sententiam confirmandam commemorare placet duplex responsum S. Congr. Episc. et Regular., 19 sept. 1686. Sane tunc temporis agebatur de unica professione, nempe sollemni, quae tamen, quia unica erat, habebatur veluti conclusio novitiatus, eo praecise modo quo nunc professio temporaria. Praeterea resolutio universa in *Collectanea* clari Bizzarri, eiusdem S. Congregationis a secretis, ita inscribitur: *Dubia circa vestitionem et « professionem » in conventu non designato pro novitiatu.* Accedit quod in indice analytico eiusdem syllogae, sub v. *Professio regularis* (idest, ut verbum tum intelligebatur, religiosa), legitur: *locus ubi emitti debet.* Edita autem sunt cl. Bizzarri *Collectanea* a. 1885 in usum Secretariae eiusdem S. Congregationis et Pio Pp. IX dicata, cum, scilicet, introducta iam erat praxis professionis temporariae, sollemni praemittendae. Non igitur spernenda videtur vis probatoria horum responsorum, circa nullitatem vestitionis et professionis extra domum novitiatus peractae. En responsa: — 1) Receptiones, novitiatus et *professiones* in casu *non esse validas,* sed nullas — 2) Quatenus ita professi velint in religione manere, teneri peragere novum annum probationis *et novam professionem emittere* in loco destinato pro novitiatu (cfr. Bizzarri, *Collectanea,* pag. 279). Ceterum graves rationes, quapropter lata est lex de professione sollemni in ipsa novitiatus domo emittenda, apprime conveniunt professioni quoque temporariae, quatenus et conclusio est novitiatus et vestibulum professionis perpetuae.

5. *Debet votis perpetuis,* etc. — Haec verba, quae sunt in paragrapho potiora, praeceptum continent ac merum praeceptum, nullam ex semetipso habens vim quicquam irritandi. Proinde nequaquam irritatur novitiatus ex eo, quod professio temporaria aliquatenus fuerit neglecta, etiamsi id fiat ex alia causa praeter voluntatem novitiatum prorogandi ad normam can. 571 § 2, veluti ex dolo, ex culpabili negligentia vel etiam fortasse ex casuali oblivione; dummodo tamen sex mensium spatium dilatio non excedat (ibid.): nam mensibus sex post

expletum annum novitiatus canonici elapsis, subintrat praeceptum (ibid.) ad professionem novitium admittendi vel dimittendi, nec amplius suffragatur facultas, a iure communi Superioribus maioribus (ibid.) concessa, prorogandi tempus probationis. Quamvis autem per se lex tanquam irritans habenda non sit, tamen ex can. 572 § 2 vim accipit irritandi, si fuerit violata, professionem perpetuam subsequentem.

6. *Salvo praescripto can. 634.* — Per hanc clausulam excipitur casus religiosi, qui, post emissam professionem perpetuam, ad aliam religionem, perpetua professione pariter utentem, transierit et novitiatum in hac altera religione expleverit: huiusmodi enim religiosus statim vel ad vota perpetua admitti debet vel ad pristinam religionem remitti; salvo tamen iure Superioris tempus probationis per alterum annum prorogandi. *Non bis in idem:* quum, nempe, religiosus, quo de agitur, in pristina religione per integrum triennium in professione temporaria steterit, suum per hoc finem lex iam consecuta est; unde professio temporaria fere inutiliter iteraretur.

7. *Nisi constitutiones exigant* etc. — Sunt religiones, quarum constitutiones tot professiones temporarias ante perpetuam professionem exigunt, quot anni intercurrunt: et tum constitutionum praescriptum servandum est et professio temporaria ad annum, vel anni partem, est emittenda. Hanc igitur praxim annalium professionum ius commune, indirecte quidem sed expresse, recipit. Nec immerito: quum enim ageretur de statuenda duratione professionis temporariae, duo praesertim Legislatori praecavenda erant, scilicet ut temporis intervallum tandiu protraheretur, quatenus sufficeret ad complendam cognitionem, quam aptitudinis candidati religio ex novitiatu desumpserat; simul vero ut idem intervallum, quantum fieri poterat, coarctaretur, ne candidatus ad professionem perpetuam postea e religione forte dimissus, grave inde in saeculo detrimentum caperet: quas rationes praxis professionis annuae minime subvertit.

8. *Hoc tempus legitimum* etc. — Per hanc alteram canonis paragraphum, facultas fit Superiori legitimo (quem, scilicet, constitutiones religionis designant) prorogandi per aliud triennium tempus in professione temporaria transactum. Quare? Ad rem cl. Vermeersch (*Epitome,* I, n. 578, c.): *Oportuit,* ait, *dispositionem istam* (nempe legem professionis triennalis) *accomodare ad non pauca Instituta, quae ante Codicem diuturniorem probationem professionis temporariae omnibus communiter imponebat. Post maturam deliberationem, hae normae adoptatae sunt: Religionibus quae ante Codicem laudatae vel approbatae sunt, et professiones temporarias ultra tres annos faciendas statuerant, et iis quae primam professionem perpetuam habebant, facile, si ita postulent, concedetur ut professionem temporariam habeant quatuor, quinque vel sex annorum; aut duas professiones trium annorum, vel unam trium annorum et tres sequentes unius anni.* Quid autem si quis ad perpetuam professionem admittatur, postquam in professione temporaria plus quam sex annos transegerit? Videtur distinguendum inter casum, quo excessus temporis ex illegitima prorogatione proveniat, et casum

quo proveniat ex *tempore* triennii *longiore,* de quo in § 1 huius canonis. Si primum, professio perpetua invalide emittitur, non quidem, ut innuere videtur cl. Vermeersch (ibid.), ob invalidam prorogationem factam a Superiore potestate destituto (nam, *num solet quod abundat vitiare contractum?*), sed propter vim irritantem ex can. 572 § 2 in universum can. 574, cum omnibus suis partibus, defluentem; si vero alterum acciderit, magis verum videtur professionem perpetuam valere: nam ex contextu can. 574 satis evidens apparet, verba *Hoc tempus* paragraphi secundae ad verba *ad longius tempus* paragraphi primae referri; itemque verbum *aliud* (*triennium*) in paragrapho secunda necessario esse interiectum, ad confusionem vitandam cum triennio (*ad triennium valituram*), de quo in paragrapho prima; praeterea vero ex contextu canonis aperte liquet, nihil paragraphum secundam cum prima habere videndum: hic namque de specie ordinaria ac normali, ibi de specie extra ordinem et exceptionali; denique *longius tempus,* de quo in paragrapho prima, non conceditur nisi ratione aetatis ad perpetuam professionem ineptae: non ideo urget ratio legis professionis *triennalis,* idest praecavendi detrimenta obventura candidato ad saeculum ex dimissione revertenti. Hisce de causis videtur professio perpetua in altero hoc casu valere. Scilicet, *renovata a religioso temporaria professione,* statim ac tempus expiraverit professionis antea peractae: quae professionis iteratio, vi can. 572 § 2, ad validitatem subsequentis professionis perpetuae requiritur.

Can. 575

§ 1. *Exacto professionis temporariae tempore, religiosus, ad normam canonis 637, vel emittat perpetuam professionem, sollemnem vel simplicem secundum constitutiones, vel ad saeculum redeat; sed etiam, durante tempore professionis temporariae, potest, si dignus non habeatur qui vota perpetua nuncupet, dimitti a legitimo Superiore, ad normam can. 647.*

§ 2. *Suffragium Consilii seu Capituli pro prima professione temporaria est deliberativum: pro subsequente professione perpetua, sollemni vel simplici, est consultivum tantum.*

1. *Exacto professionis* etc. — Exacto tempore (seu iusto seu prorogato, ad normam can. 574 § 2) professionis temporariae, religiosus aut professionem perpetuam emittere debet aut ad saeculum redire. Advertas, ad peragendam professionem perpetuam utramque voluntatem, tum religionis recipientis tum candidati accedentis, in eundem placitum conspirare oportere. Quare utrique facultas est consensum in foro externo negare: candidato quidem etiam sine causa, religioni vero ad normam can. 637, ut statim videbimus; ibi discessio, hic dimissio religiosi.

2. *Ad normam can. 637* — Ad normam igitur huius canonis tum discessio tum dimissio fieri debet. Canon 637 ait: *Professus a votis temporariis, expleto*

votorum tempore, libere potest religionem deserere; pariter religio ob iustas ac rationabiles causas eundem potest.... ab emittenda professione perpetua excludere, non tamen ratione infirmitatis, nisi certo probetur eam ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulatam. Non eadem igitur est conditio professi ac religionis: dum enim quaelibet professi obligatio in religione vivendi, pro foro externo cessat, statim ac elapsum est tempus ad quod per professionem temporariam sese obligavit, et ideo libere religionem deserere potest; ex adverso religio non potest libere professum dimittere, sed tantummodo *ob iustas ac rationabiles causas,* quae si desint, semper potest professus per recursum ad Ap. Sedem (can. 647, § 2, n. 4) in integrum restitui: ius namque religiosae perfectioni studendi, est in professo inalienabilis. Justae autem ac rationabiles causae dimissionis diversissimae esse possunt, exclusa causa infirmitatis, nisi duplex haec conditio suffragaverit: quod infirmitas fuerit ante professionem temporariam dolose reticita aut dissimulata et quod dolus huiusmodi probatus fuerit.

3. *Sed etiam durante* etc. — Integrum est religioni professum dimittere, non solum *expleto votorum tempore,* sed etiam quocumque momento post peractam professionem temporariam, si, nempe, ex actu legitimo religionis, qua personae moralis, constiterit haud dignum eum esse vota perpetua nuncupandi. Est hic animadvertendum, unam tantummodo causam agnosci a iure communi dimittendi professum perdurante tempore professionis, idest eiusdem professionis temporariae inutilitas ob professi manifestam indignitatem, videlicet ob facta, quae eius admissionem excludunt ad professionem perpetuam; dum, e contra, post expletum tempus professionis temporariae, quaevis iusta causa sufficit ad dimissionem legitimandam: cuius discriminis ratio invenies in differentia conditionis iuridicae ipsius religionis, quae conditio alia est dum initum per professionem contractum perdurat, alia quum elapsum est tempus in contractu statutum.

4. *A legitimo Superiore ad normam...* etc. — Dimissio professi, tum perdurante professione temporaria tum tempore huius professionis expleto *(sed etiam),* fieri non potest nisi a legitimo Superiore ad normam can. 647, qui sic se habet: *§ 1. Professum a votis temporariis sive in Ordinibus sive in Congregationibus iuris pontificii dimittere potest supremus religionis Moderator vel Abbas Monasterii sui iuris cum consensu sui cuiusque Consilii per secreta suffragia manifestato, vel, si agatur de monialibus, Ordinarius loci et, si monasterium sit regularibus obnoxium, Superior regularis postquam monasterii Antistita cum suo Consilio fidem de causis scripto fecerit; in Congregationibus vero iuris dioecesani, Ordinarius loci in quo religiosa domus sita est, qui tamen iure suo ne utatur Moderatoribus insciis vel iuste dissentientibus.* Hanc canonis 647 paragraphum, quam suo loco explicabimus, attulisse hic sufficiat.

5. *Suffragium Consilii* etc. — Jus ad professionem tum temporariam (seu primum peragendam seu iterandam) tum perpetuam (seu simplicem seu sollemnem) admittendi, pertinet, ad normam can. 572 § 1 n. 6, ad Superiorem religiosum, quem constitutiones tanquam competentem designant. At Superior

huiusmodi, ex iure communi, ad validitatem actus (can. 105), hac in re agere debet ex suffragio Consilii seu Capituli, videlicet deliberativo (nempe ex consensu) in admissione ad primam professionem temporariam, consultivo (nempe ex consilio) in admissione ad professionem perpetuam. Quum vero nihil ius commune statuat de suffragio quaerendo in professione temporaria iteranda, inde liquet negotium huiusmodi omnimode relinqui iuri particulari. At quaenam ratio discriminis in suffragio, de quo supra? Posita esse videtur in hoc, quod in prima professione agitur de candidato in religionem recipiendo, dum in professione perpetua agitur de eadem receptione confirmanda, quod profecto minoris momenti est quoad naturam contractualem professionis religiosae.

CAN. 576

§ 1. *In emittenda professione religiosa servetur praescriptus in constitutionibus ritus.*

§ 2. *Documentum emissae professionis, ab ipso professo et saltem ab eo coram quo professio emissa est, subscriptum, servetur in tabulario religionis; et insuper, si agatur de professione sollemni, Superior eam excipiens debet profitentis parochum baptismi de eadem certiorem reddere, ad normam can. 470 § 2.*

1. *In emittenda professione* etc. — Quoad locum ubi professio peragenda est, prima professio temporaria, ad validitatem subsequentis professionis perpetuae, fieri debet in domo novitiatus (can. 574 § 1; cfr. can. 572 § 2); quoad vero primam professionem temporariam, cui perpetua non subsequatur, ut evenit in religionibus quae vota perpetua non habent, itemque quoad iterationem professionis temporariae et emissionem professionis perpetuae, qui deligendus sit locus ius commune non statuit, sed peculiaribus constitutionibus statuendum relinquit. Quod quidem etiam de hora diei, ad emittendam quamcumque professionem aptam, dicendum est, sicuti de ritu quoque in professionibus servando. Eodemque modo, praeter testem qualificatum qui professionem legitime recipit, ut alios testes aut certa formula adhibeatur, ius commune non cavet.

2. *Documentum emissae* etc. — Emissae professionis superesse debet documentum, quod eiusdem fidem faciat; quod proinde, ex iure naturali, ut validum censeatur, referre debet locum, diem, mensem et annum, quo professio peracta est; testimonium emissae in ea religione professionis et professi subsignationem. Ex iure autem positivo, continere etiam debet subsignationem testis qualificati, qui professionem ipsam recepit. At documentum huiusmodi minime requiritur ad ipsius professionis validitatem: non enim agitur de lege irritanti. Praeterea vero, si agatur de professione sollemni, Superior, qui eam per se vel per alium ad normam can. 572 § 1 n. 6 exceperit, peractae professionis notitiam transmittere tenetur ad parochum in cuius ecclesia professus baptizatus est. Quare? Quia quum, ad normam can. 579, professio sollemnis actus votis contrarios, praeter-

quam illicitos, invalidos quoque reddat, inter impedimenta matrimonium dirimentia necessario enumeratur, perinde ac contractum matrimonium (cfr. can. 470 § 2) et ordo subdiaconatus: quae impedimenta parochus rite cognita habere debet.

3. Quoad ritus in professione servandos, praetermitendum non est, S. Congregationem de Relig., 10 iul. 1919 rogatam respondisse: Resolutiones S. C. Episc. et Reg., 18 iul. 1902 ad I et 15 ian. 1903 ad I et II datas circa modum servandum in emittenda simplici et sollemni monialium professione post editum die 2 maii 1902 decr. *Perpensis,* post inductam a Codice professionem votorum temporariorum, quae votis sollemnibus praemitti debent, non amplius vigere; esse autem mentem S. Congregationis, ut professioni sollemni reserventur ritus illi omnes et caeremoniae, quae ad perpetuitatem status referuntur; dum quoad professionem temporariam sufficit, ut, ad normam can. 572 § 1, n. 6, a legitimo Superiore secundum constitutiones per se vel per alium recipiatur.

Can. 577

§ 1. *Elapso tempore ad quod vota sunt nuncupata, renovationi votorum nulla est interponenda mora.*

§ 2. *Superioribus tamen facultas est ex iusta causa permittere ut renovatio votorum temporariorum per aliquod tempus, non tamen ultra mensem, anticipetur.*

Canon agit de religionibus a votis temporariis. Itaque, transacto tempore ad quod professio facta erat, nulla interposita mora eam iterari oportet: statim enim ac tempus professionis praeteriit, iure ipso religio sodalem amittit, sodalis vero ex religioso saecularis fit. Quod est vitandum.

Et inde facultas professionis iterationem anticipandi, Superioribus, ex iure particulari ad id competentibus, a canone concessa. Quae facultas ideo ad mensem producta videtur, ut utilis esse possit ceteris quoque necessitatibus regiminis, in iusta causa fundatis et plus quam diem vel hebdomadam anticipationis postulantibus.

Can. 578

Professi a votis temporariis, de quibus in can. 574:

1. *Fruuntur iisdem indulgentiis, privilegiis et spiritualibus gratiis, quibus gaudent professi a votis sollemnibus aut professi a votis simplicibus perpetuis; et si morte praeveniantur, ad eadem suffragia ius habent;*

2. *Eadem obligatione tenentur observandi regulas et constitutiones, sed, ubi viget chori obligatio, divini officii privatim recitandi lege non obstringuntur, nisi sint in sacris constituti aut aliud constitutiones expresse praescribant;*

3. *Voce activa et passiva carent, nisi aliud in constitutionibus expresse caveatur; tempus autem praescriptum ad fruendum voce activa et passiva, silentibus constitutionibus, computetur a prima professione.*

Canon agit de conditione iuridica, qua gaudent professi temporarii in religione a votis perpetuis. Professio religiosum facit. Est autem professio substantialiter unica: nec professio perpetua aut sollemnis differt a temporaria, nisi ratione durationis aut perfectionis. Quod accessorium est. Unde, primum, professi temporarii, quoad iura supernaturalia, tam in vita quam post mortem, ceteris religiosis aequiparantur, quamvis, ut patet (nam nulla hic iuris particularis confirmatio), aliter disponant constitutiones ab Ap. Sede ante Codicis promulgationem approbatae, quaeque ideo hac in re emendandae sunt (Pont. Comm., 16 oct. 1919). Deinde aequiparantur quoad obligationes status religiosi, nisi ius commune aut approbatae constitutiones quid excipiant: ut ecce excipitur a iure communi obligatio divini officii privatim recitandi, salvo casu quo ex alio titulo (nempe aut ex ordine sacro suscepto, aut ex constitutionum iussu) teneantur. Denique aequiparantur quoad iura non supernaturalia, utique ad normam constitutionum: videlicet salvo casu, quo ius commune aut, in rebus iuri particulari relictis, constitutiones aliquid excipiant. Ita ex. c. ex iure communi voce activa et passiva carent, nisi constitutiones legitime approbatae aliud expresse caveant. Brevi, professi temporarii, in religionibus a votis perpetuis, omnibus ac singulis iuribus gaudent et obligationibus tenentur, quibus professi perpetui, salvis exceptionibus a iure communi vel particulari legitime statutis.

CAN. 579

Simplex professio, temporaria sit vel perpetua, actus votis contrarios reddit illicitos, sed non invalidos, nisi aliud expresse cautum fuerit; professio autem sollemnis, si sint irritabiles, etiam invalidos.

1. Agitur de canone summi momenti, quo Legislator agere incipit de effectibus professionis religiosae. Quocirca in primis commemorandum est, professionem sollemnem, ut antea (cfr. comment. ad can. 488 n. 2 et 572 n. 1) scripsimus, solis effectibus a simplici professione differre: utraque enim professio et publica est, et exterioribus sollemnitatibus vestita, et, si agatur de simplici perpetua, aeque durat. Quare ratio *sollemnitatis* in professione religiosa alibi requirenda est, nempe, ut antea (cfr. comment, ad can. 572 n. 1) innuimus, *in facto, quod Ecclesia quibusdam professionis formulis (nempe iis, quibus quaedam religiones utuntur) vim sollemnitatis « sui generis » peculiaremque iuridicam tutelam adiecit, quas non adiecit ceteris; quod quidem confirmatur per can. 1308, § 2, qui ait: « Votum est sollemne, si ab Ecclesia uti tale fuerit agnitum; secus simplex »*. Canon autem, quem modo explicamus, omnes sollemnis professionis effectus peculiares, quos Ecclesia ad hanc tutandam professionem sanxit, veluti in sua radice definit.

2. *Simplex professio* etc. — Votum paupertatis rerum dominium eiusque exercitium respicit; votum continentiae respicit praesertim legitimum (nam de

illegitimis quaestio esse non potest) remedium concupiscentiae, nempe matrimonium; votum denique obedientiae respicit exercitium humanae libertatis. Exinde professio religiosa, ex iuribus quibus Christifideles communiter gaudent, ea adimit, quae spectant ad obiecta suprarecensita votorum; sed alio et alio modo: etenim, dum utraque professio aeque se habet quoad obiectum votorum continentiae atque obedientiae, ex adverso, ut infra videbimus, professio simplex aufert tantummodo exercitium proprietatis seu dominii, professio autem sollemnis tum exercitium, tum ius ipsum proprietatis. Praeterea vero (et hic consistit momentum canonis, quem explicamus) dum actus simplici professioni contrarii vetantur tanquam illiciti, actus contrarii professioni sollemni et vetantur et irritantur lege perfecta.

3. *Nisi aliud expresse* etc.... *Si sint irritabiles* — Duplex clausula canoni interiecta est. Prior clausula significat dari posse casus, in quibus simplex professio invalidet actus contrarios. Quod contingit ex. c., ex iure particulari per Codicem confirmato, in Societate Jesu. Ad rem cl. Vermeersch eiusdem Societatis sodalis: *In sola Societate Jesu, ex privilegio cum aliis non communicabili, votum simplex castitatis a scholasticis et Coadiutoribus laicis emissum, matrimonium contrahendum dirimit* (*Epitome*, II, n. 324). Et alibi: *Votum autem simplex paupertatis quod Coadiutores formati emittunt, eosdem, quos sollemne votum, effectus parit* (ibid., I, n. 585). Altera clausula significat, dari posse actus sollemni professioni contrarios, qui vi professionis irritari non possunt, nempe quia natura sua irritabiles non sunt. Et revera irritabiles in praxi non sunt omnes illae votorum transgressiones, quae non fundantur in contractu, ut semper evenire potest in transgressionibus voti obedientiae et quandoque etiam votorum continentiae ac paupertatis.

Can. 580

§ 1. *Quilibet professus a votis simplicibus, sive perpetuis sive temporariis, nisi aliud in constitutionibus cautum sit, conservat proprietatem bonorum suorum et capacitatem alia bona acquirendi, salvis quae in can. 569 praescripta sunt.*

§ 2. *Quidquid autem industria sua vel intuitu religionis acquirit, religioni acquirit.*

§ 3. *Cessionem vel dispositionem de qua in can. 569, § 2, professus mutare potest non quidem proprio arbitrio, nisi constitutiones id sinant, sed de supremi Moderatoris licentia, aut, si de monialibus agatur, de licentia Ordinarii loci et, si monasterium regularibus obnoxium sit, Superioris regularis, dummodo mutatio, saltem de notabili bonorum parte, non fiat in favorem religionis; per discessum autem a religione eiusmodi cessio ac dispositio habere vim desinit,*

§ 1. *Quilibet professus* etc. — Vi simplicis professionis interdicitur quidem religioso administratio bonorum suorum, sed eorundem bonorum proprietatem

ipse conservat. Aliis verbis votum simplex paupertatis, etiam perpetuum, non pertingit usque ad radices proprietatis, sed aufert tantummodo ius ad eius exercitium, ut supra vidimus, ita ut omnimoda operositas religiosi, absque ullo cum saeculo *actuali* vinculo, ad religionem pertineat: quod quidem ex una parte est minimum quod a religioso possit requiri, ex alia autem sufficit ad rationem vitae religiosae fundandam. Haec tamen ex iure communi et nisi aliud in constitutionibus cautum sit: nam, si ius particulare ipsum quoque radicale bonorum dominium interdixerit, huic standum est ex dispositione expressa iuris communis. Quo in casu, ut in Societate Jesu evenire supra vidimus, religiosus votorum simplicium talis erit, ex hoc capite, nomine tantum, re autem vera, regularis.

2. *Et capacitatem alia bona* etc. — Proprietarius, quamvis negotia sua per alium gestet, semper potest, etiam per negotiorum suorum gestorem, alia bona acquirere; idque ea proprie de causa, quod gaudet iure dominii: ea enim est dominii natura, ut bona ei subiecta augeri aut minui possint, absque domini interventione, per industriam aut negligentiam aut etiam merum consensum legitimi gestoris. Nihil igitur mirum, si religiosus, qui bonorum suorum proprietatem servavit, capacitatem habeat alia bona acquirendi. Firma tamen manere debent, quae in can. 569 praescripta sunt. Est autem hoc canone praescriptum, ut quilibet, vota temporaria nuncupaturus, ante professionem et bonorum suorum administrationem cedat et eorumdem bonorum usufructuarium eligat; quod si cessio aut electio huiusmodi facta non fuerit ante professionem, itemque si facta fuerit sed postea alia bona obvenerint, ut possit post professionem cessio et electio semper fieri aut iterari. Vi igitur clausulae huic paragrapho interiectae, tenetur religiosus eorum bonorum quorum proprietatem servaverit, quaeve post professionem forte acquisierit, administrationem et usufructum semper cedere, etiam si professio facta iam fuerit; idque ut valeat in rebus ad religionem spectantibus libere versari.

3. *Quidquid autem* etc. — Est amplificatio veteris effati: *quidquid monachus acquirit, monasterio acquirit,* quod in conditione iuridica religiosi sodalis fundabatur. Paragraphus itaque agit de iis quae religioso proveniunt sive ex eius industria sive ex donationibus aut remissionibus intuitu religionis ipsi factis. Universa religiosi operositas, cuiuscumque sit generis, ad religionem pertinet: nihil igitur mirum, si ad religionem ea quoque spectant, quae religiosus acquirit industria sua, nempe suo labore, tam physico, uti apud monacos fieri solebat antiquitus, quam intellectuali, ut praesertim nostra aetate fieri solet. Plane diversae sunt accessiones quae religioso obvenerint intuitu religionis. Hoc in casu religiosus nihil aliud facit, nisi religionis personam gerere: non acquirit labore, arte, scientia sua, quamvis multum conferre possit, ad donationes vel remissiones suadendas, aestimatio in qua religiosus communiter habetur; sed donatio aut remissio religioni fiunt. In utroque casu religiosus religioni acquirit. Haec autem lex *a fortiori* regularem tenet.

4. *Cessionem vel dispositionem* etc. — Uti supra innuimus, contingere potest quod religioso post simplicem professionem peractam, vel bona obveniant quae prius non habebat, vel iis bonis quae antea erant in eius dominio, alia accedant: tum autem, per can. 569 § 2, facultas ei fit horum bonorum administrationem cedere ac de eorum usu et usufructu disponere, simplici professione non obstante. Praeterea vero cessionem vel dispositionem huiusmodi legitime antea factam, potest professus a votis simplicibus, vi huius paragraphi, legitime mutare, dummodo impletae fuerint conditiones ab hac lege requisitae. *Potest,* ait Legislator; unde eruitur invaliditas actus, si huiusmodi conditiones substantialiter neglectae fuerint: defectus namque potestatis seu incapacitas, actus nullitatem secumfert. Prima igitur conditio postulat, ut mutatio cessionis vel dispositionis, de quibus supra, fiat de licentia supremi Moderatoris religionis aut Ordinarii loci, iuxta casuum varietatem; quae tamen singularis ac personalis licentia, uti patet, non amplius requiritur, si suffragaverit licentia legalis, idest ab ipsis constitutionibus religionis concessa. Altera conditio postulat, ut mutatio non fiat, saltem quoad notabilem bonorum partem, in favorem religionis; quare neque Superior religiosus, neque loci Ordinarius, neque ipsae constitutiones religionis permittere possunt, ut bonorum pars notabilis in administrationem, usum aut usufructum, prioribus dispositionibus mutatis, religioni devolvatur; et si permiserint, permissio irrita erit et infecta devolutio. Sola Ap. Sedes id permittere potest. Quid autem pars notabilis? Est in primis advertendum, vocem *notabilis* non significare in hac specie quantitatem absolutam, sed relativam, nempe iuxta vim bonorum de quibus agitur: quae bona exigua quoque esse possunt. Est igitur pars notabilis proportionaliter determinanda. Jamvero statim patet, bonorum partes tres, quum fere totum significent, nomine partis notabilis venire non posse; sed neque partes duas seu dimidium: dimidium enim est..... *dimidium,* non autem *notabilis pars.* Quare non restat, nisi ut pars una, seu quarta pars, pro parte notabili habeatur. Si autem quaeras, quanam de causa haec altera conditio, religionem excipiens, apposita fuerit, planum est Legislatorem et religionis et religiosi detrimentum avertere voluisse: religionis quidem, quamcumque suspicionem circumventionis auferendo; religiosi vero, eliminando in antecessum hac in re quodcumque praeiudicium, quod plenae eius libertati afferri possit.

5. *Per discessum autem...* etc. — Hucusque de mutatione dispositionum, de de quibus in can. 569, § 2, post emissam simplicem professionem; modo autem iisdem dispositionibus in casu discessus a religione. Agitur de quocumque discessu, sive fiat post elapsum tempus professionis temporariae, sive fiat post dispensationem Ap. Sedis a professione simplici perpetua: in utroque casu, quaelibet administrationis cessio aut de usufructu suorum bonorum dispositio, facto ipso in foro ecclesiastico vim habere desinit, sive in favorem religionis legitime facta fuerit, sive in aliorum favorem: tum enim, qualitate religiosi amissa, omnia quis statim saecularium iura resumit.

CAN. 581

§ 1. *Professus a votis simplicibus antea nequit valide, sed intra sexaginta dies ante professionem sollemnem, salvis peculiaribus indultis a Sancta Sede concessis, debet omnibus bonis quae actu habet, cui maluerit, sub conditione secuturae professioni, renuntiare.*

§ 2. *Secuta professione, ea omnia statim fiant, quae necessaria sunt ut renuntiatio etiam iure civili effectum consequatur.*

1. *Professus a votis* etc. — Postquam egit de effectibus simplicis religiosae professionis, Legislator resumit tractationem de effectibus professionis sollemnis. Quocirca, sicut antea (can. 579) sanxerat professionem huiusmodi irritare actus contrarios qui natura sua irritabiles sint, ita hoc in canone speciatim agit de modo, quo primum constituitur religiosi sollemniter professi conditio iuridica, quoad bona temporaria. Haec autem constituitur per renunciationem plenissimam, quam quilibet religiosus intra sexaginta dies qui praecedunt professionem sollemnem, facere tenetur de *omnibus quae actu habet*. Comprehenduntur hisce verbis tum bona mobilia, tum immobilia, ita ut nihil relinquatur in dominio religiosi sollemniter professi. Respicit renunciatio bona ipsa, et consequenter comprehendit tum ius administrationis, tum proprietatis. Respicit autem ea bona quae religiosus, dum renunciatio fit, actu habet, quorumque est actualiter dominus: non enim bonis, quae in suo dominio non sunt, quis renunciare potest. Premit hic quaestio: quid censendum de bonis quae, quamvis actu non habeat, iure tamen actu tenet? Sicuti religiosus sua renunciatione comprehendere *debet* omnia bona quae actu habet, ita censemus comprehendere *posse* omnia iura certa ad bona in futurum habenda. Idque duabus de causis: in primis propterea quod ius certum (veluti ex. c. ad legitimam portionem hereditatis) ad bonum futurum, iuridice aequipollet bono praesenti; deinde quia S. Congr. Episc. et Regul., per decisionem 16 sept. 1885 datam ac inter fontes huius canonis relatam, expresse permiserat ut renunciatio de bonis huiusmodi post professionem sollemnem obvenientibus, absque ulla immutatione, quando opus fuerit, ita renovaretur, ut haec quoque bona comprehendere posset: sed huiusmodi *absque ulla immutatione renovatio* nullimode differre videtur ab ampliore renunciatione ante professionem sollemnem peracta, quae haec quoque bona certe obventura comprehendat. Denique renunciationem *debet* sollemniter vota professurus facere cui maluerit, idest plenissima libertate, quam nemo ullo modo coarctare potest, in favorem cuiuscumque personae, seu physicae seu moralis, ac proinde etiam in favorem religionis.

2. *Antea nequit* etc. — Sunt in canonis paragrapho, quam modo explicavimus, quaedam limitationes et clausulae, quas separatim perpendere opportunum duximus. Scilicet in primis renunciatio bonorum valide fieri nequit ante diem sexagesimam, qui professionem sollemnem praecedit. Fieri debet, ad validitatem

actus, intra limites sexaginta dierum, quae ante eandem professionem decurrunt. Quare? Quia cum ageretur de re gravissima, placuit Legislatori tempore eam arctissimo ac professioni proximo constringere, quum nempe, post annum in novitiatu canonico et annis fere tribus in professione temporaria transactis, religiosus iam moraliter aptus videtur ad sollemnem professionem emittendam: hoc est, ne facile postea peracta renunciatio irrita fiat ob professionem non secutam. In qua secutura professione habemus alteram limitationem paragrapho insertam. Agitur, nempe, de conditione resolutiva, vi cuius invalida est renunciatio antea facta, si postea non sequatur professio sollemnis et quidem a tempore, quo haec professio, ad normam can. 575, § 1, fieri debebat: et merito, nam tota ratio huius renunciationis in sollemni professione consistebat. Tertia limitatio legi apposita est per clausulam: *salvis peculiaribus indultis a Sancta Sede concessis.* Ad rem cl. Vermeersch (*Epitome,* I, n. 587), veluti ex domestico usu, ait: *Bis, cc. 581 et 582, insinuatur esse indulta peculiaria S. Sedis quae capacitatem professis* (nempe sollemnibus) *restituunt. Tale indultum a saeculo in usu esse in Belgio et in Hollandia, passim notum est. Vi talis indulti, sublata incapacitate, licet sollemniter professis, dependenter tamen a Superioribus suis, bona sua retinere, administrare, alia acquirere et de iis disponere... Mens autem S. Sedis est ut usus talis indulti non sit generalis, sed a Superioribus ad casus extraordinarios restringatur, praesertim ad civiles difficultates in possessione bonorum praecavendas vel vitandas.*

3. *Secuta professione* etc. — Requisita ut renunciatio de propriis bonis facta iure civili effectum consequatur, aliquatenus variabunt iuxta varietatem Codicum civilium. Utcumque aptatio actus, iure naturali et ecclesiastico validi, placitis iuris civilis, secuta professione sollemni facienda est, non antea: idque ad detrimentum vitandum, quod religiosus, ob professionem sollemnem forte non secutam, exinde capere posset.

CAN. 582

Post sollemnem professionem, salvis pariter peculiaribus Apostolicae Sedis indultis, omnia bona quae quavis modo obveniunt regulari:

1. In Ordine capaci possidendi, cedunt Ordini vel provinciae vel domui secundum constitutiones;

2. In Ordine incapaci, acquiruntur Sanctae Sedi in proprietatem.

1. *Post sollemnem professionem* etc. — Per sollemnem professionem regularis, religioni incorporatus, personam iuridicam in foro externo velut amisit, eiusque conditio ea fere est, quae iure romano antiquo propria erat filiorum familias qui patriae potestati subiiciebantur. Quocirca Gaius (II, 87) ait: *Igitur quod liberi nostri, quos in potestate habemus..... mancipio accipiunt vel ex traditione nanciscuntur, sive quod stipulantur vel ex aliqualibet causa adquirunt, id*

nobis adquiritur : ipse enim, qui in potestate nostra est, nihil suum habere potest. Proinde omnia bona, quae quovis modo obvenerint, seu per actus inter vivos seu mortis causa, regulari non cedunt. Cedunt igitur religioni, nempe vel plene vel semiplene.

2. *In Ordine capaci* etc. — Ex religionibus, quaedam capaces sunt possidendi, quaedam, nempe Fratres Minores et Minores Capulati S. Francisci, capaces non sunt. Agitur hic sane de capacitate, de qua in can. 531, nempe bonorum stabilium cum stabilibus reditibus. Agitur quoque de possessione prout a iure civili accipitur, cum omnibus iuribus cuique possessioni adnexis, sed tamen intra limites ex natura bonorum ecclesiasticorum definitos (cfr. comment. ad can. 531 n. 1 et 2). Quod si canon loquitur de *proprietate* Ap. Sedis, haec quoque rite intelligenda est, nempe uti plena coram potestate civili, sed limitibus circumscripta coram Deo, cui bona ecclesiastica cuncta sunt natura sua devoluta (ibid.). Hisce praemissis, patet quo sensu bona, quae regulari obveniunt, cedere dicantur aut religioni aut Ap. Sedi in proprietatem.

3. Quid autem de hereditate, quae praeter expectationem regulari obveniat? Ad rem, consueta diligentia et ingenii alacritate, cl. Vermeersch (*Epitome,* I, n. 587): *De hereditate autem, ante Codicem, distinguebant* (nempe canonistae) *monasteria seu religiones quae in locum professi succedere non possunt, et religiones capaces talis successionis. In prioribus... hereditas dividebatur quasi professus eam non adiret, ac proin inter eos qui, deficientes professo ad hereditatem vocabantur. In aliis vero professus poterat in sua renuntiatione destinare ista bona familiae, monasterio, piae causae, suffragiis post mortem. Ac solae hereditates de quibus nullam iam dispositionem fecerat, legitima devolutione ad monasterium perveniebant. Estne disciplina ista canonibus 581 et 582 suppressa, ita ut familiae necessario priventur omni hereditate, quae post professionem sollemnem professo obveniat? Id gravissimum fore et tale, quod saepe odia adversus religionem generaret, facile perspicitur... Quocirca nihil in hac disciplina mutatum esse arbitramur et canones sic explicari posse putamus: « praecipit » Codex, c. 581 § 1, ut sollemniter professurus de bonis suis « quae actu habet » renuntiatione sua disponat ; « non prohibet » autem quin, si ita ferat usus religionis, etiam bona futura... sua renuntiatione complectatur. Quae bona tunc ipsi non iam obvenient post professionem solemnem, ita ut c. 582 iam ad haec non sit applicandus.* Cui sententiae libenter subscribimus, dummodo revera agatur de pacifico *usu religionis,* nempe de consuetudine, cui superior auctoritas ecclesiasica tacite consentiat.

CAN. 583

Professis a votis simplicibus in Congregationibus religiosis non licet :

1. *Per actum inter vivos dominium bonorum suorum titulo gratioso abdicare :*

2. *Testamentum conditum ad normam can. 569, § 3, mutare sine licentia Sanctae Sedis vel, si res urgeat nec tempus suppetat ad eam recurrendi, sine licentia Superioris maioris aut, si nec ille adiri possit, localis.*

1. *Professis a votis, etc.* — Dum religiosus sollemniter professus, vi professionis quolibet iure ad bona temporalia spectante radicitus destituitur, ex adverso Legislator diligentissime cavet, ut bona temporalia quorum religiosus simpliciter professus proprietatem conservat, integra serventur, ne, si forte elapso tempore votorum aut ex dispensatione Ap. Sedis ad saeculum redire cogatur aut velit, vitae necessitatibus prematur. Haec ratio quare et bonorum donatio et mutatio testamenti eidem post professionem interdicitur. Interdicitur, inquam, quin tamen actus, forte positus, irritus declaretur. Et in primis interdicitur bonorum donatio: nam donare dicitur, qui abdicat sese suis bonis titulo gratioso. Ratio autem praescripti requirenda fortasse est in facto, quod, quamvis bonorum temporalium administratio, usus et usufructus sint huic religioso expresse interdicta, tamen alienatio totalis semel pro semper facta, proprie haberi non potest tanquam actus administrationis, et ideo separatim erat vetandus.

2. *Testamentum conditum* etc. — Ad normam can. 569 § 3, quilibet novitius testamentum facere tenetur, ut, sive postea professionem sollemnem aut simplicem perpetuam emittat, sive tota vita permaneat in professione temporaria, integre religioni sese addicere possit. At, eadem de causa ac supra diximus, contingere potest ut ei placeat in libere condito, quum nondum votis obstringebatur, testamento, mutationes plus minusve substantiales post professionem introducere. Quod quidem expresse prohibetur, nisi accedat, causa cognita, consensus Superiorum ecclesiasticorum, inter quos principem locum tenet Ap. Sedes, cuius, si tempus suppetat, semper est consensus exquirendus.

Can. 584

Post annum ab emissa qualibet professione religiosa, vacant beneficia paroecialia; post triennium cetera.

In primis quaeri potest, quanam de causa Legislator verbum *qualibet* canoni interiecerit, quum ad normam iuris nemo dari possit, qui vitam religiosam non incipiat a professione temporaria, et ideo clarius et pressius scribere potuisset *ab emissa professione religiosa* et pronomen illud omittere. Sed videtur Legislator prae mente habuisse casum, quo quis ab obligatione temporariam professionem praemittendi, ab Ap. Sede iustis de causis dispensatus fuerit, et vi dispensationis, post novitiatum professionem perpetuam, simplicem vel sollemnem, peregerit veteri more.

Statuit igitur canon, ut post annum a qualibet professione vacent beneficia, quae magis requirunt praesentiam beneficiarii, nempe paroecialia; post autem triennium cetera, cuiuscumque generis, etiam consistorialia (salvo prae-

scripto can. 542 n. 1), quae beneficii nomine in iure veniant: quare non vacant, saltem ex hoc titulo, officia ecclesiastica, de quibus in can. 1412, quamvis cum beneficiis similitudinem praeseferant. Beneficia autem curata, sed non paroecialia, et ipsa post triennium vacare videntur, quamvis possint, ob curam animarum cum ipsis coniunctam, paroecialibus aequiparari: nam ratio legis haec beneficia, quorum titulares semper sunt amovibiles *ad nutum,* respicere non potest.

CAN. 585

Professus a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus amittit ipso iure propriam quam in saeculo habebat dioecesim.

Can. 115 ait: *Etiam per professionem religiosam quis a propria dioecesi excardinatur, ad ad normam can. 585.* Canon vero 585 requirit ad excardinationem professionem perpetuam: non enim potest quis in religione esse et sub saeculari auctoritate militare. Quod si professi a votis temporariis dioecesim conservant, hoc ideo fit, quod eorum conditio iuridica in religione instabilis est natura sua, ac proinde per se semper contingere potest ut ad suam dioecesim revertantur.

CAN. 586

§ 1. *Professio religiosa irrita ob impedimentum externum non convalescit per subsequentes actus, sed opus est ut a Sede Apostolica sanetur, vel denuo, cognita nullitate et impedimento sublato, legitime emittatur.*

§ 2. *Si autem irrita fuerit ob consensus defectum mere internum, hoc praestito, convalescit, dummodo ex parte religionis consensus non fuerit revocatus.*

§ 3. *Si contra validitatem professionis religiosae gravia sint argumenta et religiosus renuat ad cautelam sive professionem renovare sive eiusdem sanationem petere, res ad Sedem Apostolicam deferatur.*

1. *Professio religiosa* etc. — Professio religiosa, sicut quilibet actus iuridicus, irrita esse potest sive ex neglecto substantiali requisito quod lex ad validitatem actus statuerit, sive ex dissensu *mere* interno voluntatis, quem, ob eius indemonstrabilitatem, ius civile nunquam, ius vero canonicum in foro conscientiae tantum considerat. De primo genere nullitatis videamus. Vitia, quapropter professio religiosa directe irrita esse potest, in can. 572 diligentissime enumerantur; vitia autem ex quibus nullitas actus exsurgere potest indirecte, recensentur in can. 555 et 542 n. 1. Et omnia natura sua externum impedimentum constituunt, quod proinde per se semper est demonstrabile in foro externo, quamvis *per accidens* quandoque demonstrari non possit. Quum igitur propter aliquod ex

vitiis huiusmodi irritam professionem quis peregit, haec per subsequentes actus non convalescit, scilicet ex irrita valida fieri non potest ex eo, quod invalide professus sponte ac libere in religione vivat more religiosorum: religiosus enim neque unquam fuit, neque est, neque, nisi professio ex irrita valida fiat, unquam esse potest, nam religiosum professio facit. Ut autem professio convalescat, necesse est auferatur vitium, vi cuius est invalide peracta; aliis verbis, ut professio sanetur. Vitium autem auferri non potest, nisi ab eo qui legem irritantem tulerat, quique proinde potestate gaudet conditionem invaliditatis a se appositam, tanquam non-appositam habendi: quo praestito, professio, quoad cetera legitime peracta, sibimetipsi sufficit et valida fit. Sed ne id quidem est perpetuum; nam quilibet legislator dispensare tantummodo potest in lege a se lata, non autem in lege lata a superiore legislatore. Itaque si agatur de vitio iuris divini naturalis, quod ex. c. derivaverit ex ablata plus minusve libertate profitentis (quamvis praescriptum iuris fuerit ab humano legislatore veste legali indutum atque ita in Codices receptum), nulla humana potestas auferre potest vitium huiusmodi. Tum igitur non restat, nisi ut, nullitate cognita ac vitio sublato, actus iteretur, idest professio legitime emittatur. Quod etiam fieri oportet quoties minus placuerit petere a Legislatore nostro impedimenti dispensabilis sanationem.

2. *Si autem irrita* etc. — Veniamus ad alterum genus nullitatis, quum, nempe, professio invalida est ex *mere* interno defectu consensus. *Mere* interno: ergo hic agitur de dissensu voluntatis qui, saltem de facto, in foro externo probari non potest. Quid tunc agendum? Patet in primis, nihil in foro externo fieri posse ad huiusmodi vitium auferendum, quum in externo foro nihil exsistat. Nullum igitur aliud remedium relinquitur, nisi ut illud unum mere internum requisitum, nempe intima voluntas, quod ad professionis validitatem deest, sponte afferatur, et tunc facto ipso professio, ex parte voventis, ex invalida valida fiet. Diximus *ex parte voventis:* nam, nisi consensus ex parte religionis suscipientis perseveret, revalidatio professionis obtineri non potest: habet enim professio naturam contractus, qui ex placito unius consistere non potest. Ceterum res huiusmodi male perpenduntur a iurisperito.

3. *Si contra validitatem* etc. — Professio religiosa, sicut ceteri actus iuridici, aut certe valida est, aut certe invalida, aut dubiae validitatis: quod quidem ultimum tum tantum contingit, quum gravia sunt contra validitatem argumenta; nam de minimis praetor curare non solet. Est praeterea animadvertendum agi in hac paragrapho de validitate in foro externo tantum. Si igitur professio certe invalida est, non restat nisi aut substantiale vitium auferre, aut religionem derelinquere. Si autem validitas professionis dubia appareat, tum et ipse dubie professus, dubie est religiosus. Quod facti dubium ut eliminetur, duplex suppetit via: alia difficilior, idest argumentorum, quae pro invaliditate militant, prudens ponderatio per S. Congr. de Religiosis facienda et subsequens validitatis vel invaliditatis certae declaratio; alia facilior, nempe professionis dubiae legitima iteratio aut ab Ap. Sede petita et impetrata sanatio *ad cautelam.* Si

itaque dubie professus faciliorem viam adire renuerit, non restat, uti patet, nisi recursus ad Ap. Sede.

TITULUS XII

DE RATIONE STUDIORUM IN RELIGIONIBUS CLERICALIBUS

CAN. 587.

§ 1. *Quaelibet clericalis religio habeat studiorum sedes a Capitulo generali vel a Superioribus approbatas, firmo praescripto can. 554 § 3.*

§ 2. *In studiorum domo vigeat perfecta vita communis; secus studentes ad ordines promoveri nequeunt.*

§ 3. *Si religio aut provincia studiorum domos rite instructas habere nequeat, aut si quas habet, adire, Superiorum iudicio, difficile sit, religiosi alumni mittantur vel ad recte ordinatam studiorum sedem alius provinciae aut religionis, vel ad scholas Seminarii episcopalis, vel ad publicum catholicum athenaeum.*

§ 4. *Religiosis, qui studiorum causa longe a propria domo mittuntur, non licet in privatis domibus habitare, sed opus est ut in aliquam suae religionis domum se recipiant, vel, si id fieri non possit, apud religiosum aliquod institutum virorum, vel Seminarium aliamve piam domum, cui sacri ordinis viri praesint, quaeque ab ecclesiastica auctoritate approbata sit.*

1. Constat apud omnes a fundatione Ordinis S. Benedicti usque ad saec. XII, quo Universitates studiorum erigi coeperunt, cuiusque generis studia, nonnullis scholis capitularibus vel palatinis exceptis, ad monasteria confugisse. A saeculo autem XIII monachorum labores cumulati sunt laboribus Ordinum mendicantium ac postea Congregationum religiosarum, ita ut scientiae ecclesiasticae historia religiosorum nominibus plane redundet, inter quae pleraque insignia, veluti Cassiodorus († 575), S. Gregorius M. († 604), Ven. Beda († 735), Alcuinus († 804), Rab. Maurus (†) 856), Lanfrancus († 1089), Anselmus Cantuariensis († 1109), Bernardus Claraevallensis († 1153), Gratianus († 1158), Aquinas († 1274), Albertus M. († 1280), Joannes Scotus († 1308), Baronius († 1607), F. Suarez († 1617), R. Bellarminus († 1621), Joannes a S. Thoma († 1644), De Lugo († 1660), Reiffenstuel († 1703), Mabillon († 1707) Mansi († 1769), Alfonsus M. De Ligorio († 1787) aliique plurimi, qui et doctrina et ingenio de Ecclesia Christi optime meruerunt. Quare, si a Conc. Tridentino usque ad Pii Pp. XI ep. *Unigenitus* (19 mart. 1924) quaedam regulae sancitae sunt de studiis religiosorum; si Codex noster universam hac de re disciplinam hoc titulo complexus est, id non ea profecto de causa contigit, quod religiones incitationibus ad studia sacra rite praeficienda indigerent, sed potius quia, ob peculiarem

religionum naturam, disciplina in Seminariis vigens religiosis aptari non poterat, atque ut omnium religionum studia fundamentalia uniformiter perficerentur. Qui finis ut rite attingi possit, Legislator agit in hoc titulo de scholarum religiosarum constitutione, de vita religiosa a studentibus servanda, de ratione studiorum ac denique de cultu disciplinarum sacrarum post exacta studia fovendo.

2. *Quaelibet clericalis religio* etc. — Agitur in titulo tantummodo de religionibus clericalibus seu virorum seu mulierum: laici enim, etsi religiosi, ad scientias ecclesiasticas adipiscendas per se non tenentur. Vi igitur huius paragraphi, quaelibet religio clericalis habere debet sedem studiorum, ac proinde, si nondum habet, curare debet ut habeat, quam primum fieri potest, ad normam iuris. Tenenturque Superiores, ad normam can. 554 § 3, in domo studiorum collocare tantummodo religiosos in religionis observantiis probatos.

3. *In studiorum domo* etc. — In domo studiorum vigere debet perfecta vita communis. Quae haud parum differt a vita communi per can. 134 cunctis clericis commendata; nam *perfecta* esse debet, nempe requirit, ut omnia prorsus communia sint: constitutiones, superiores, vestis, victus, tectum, libri, pecunia. Vita communis, ut merito animadvertit Vermeersch (*Epitome,* I, 590), perfecta censetur, si ad normam constitutionum ab Ap. Sede approbatarum instructa fuerit. Perfectae autem vitae communis in domo studiorum defectus hanc consequentiam secumtrahit, quod studentes ad ordines promoveri non possint; proinde quod Superior eos Episcopo praesentare aut, ad normam can. 964 n. 1, per se ordinare prohibeatur, Episcopus vero eos ab ordinibus repellere teneatur.

4. *Si religio aut provincia* etc. — Fieri potest ut provincia, imo etiam ut ipsa qua late patet religio, studiorum domum rite instructam (in qua nempe, nihil desideretur quod ad ecclesiasticas disciplinas tradendas pertinuerit) habere nequeat (idest suis viribus instruere non possit: secus, instruere tenetur); vel fieri potest, ut eam vel eas quas habet, ex longitudine itineris aut magnitudine impensarum aut alia rationabili ex causa, Superiorum iudicio aestimanda, adire difficile aut plane impossibile sit: tum vero facultas fit Superioribus alumnos religionis mittendi ad aliam recte ordinatam studiorum sedem seu alius provinciae seu etiam alius religionis, seu, hisce deficientibus, ad scholas Seminarii episcopalis, seu tandem ad catholicum athenaeum: quare, ex iure communi, iidem alumni mitti non possunt ad athenaeum acatholicum et *a fortiori* infidele. Quae omnia rite sunt intelligenda. Scilicet, nostra sententia, dispositiones paragraphi huius *taxativae* quidem sunt, sed respiciunt *sedem studiorum,* ac proinde non hunc vel illum alumnum, sed *religiosos alumnos,* idest generalitatem; et ideo nullo modo excludere videntur Superiorum facultatem hunc vel illum alumnum, in casibus particularibus, mittendi *servatis servandis* ad studiorum sedem extra provinciam aut etiam extra religionem, idque ob alias causas, quam quae in hac paragrapho recensentur. Unde necessaria non apparet interpretatio, ceterum in rerum adiunctis optime fundata, quam de hac paragrapho exhibet cl. Vermeersch (*Epitome,* 1, n. 590-2, ed. I).

5. *Religiosi qui studiorum causa* etc. — Per decretum inter fontes relatum, Conc. Tridentinum (Sess. XXV, de regular., c. 4) disposuerat: *Illi autem qui studiorum causa ad Universitates mittuntur, in conventibus tantum habitent, alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur.* Hoc decretum Codex et confirmat et explicat. Itaque in primis vetatur religiosis alumnis, qui *longe* a propria domo studiorum causa mittuntur quique proinde, propter *longinquitatem,* in propria domo habitare non possunt, ne habitent in domibus privatis, tum laicorum tum etiam clericorum. Unde habitare iubentur vel in aliqua domo suae religionis, vel (si id quacumque ex causa fieri non possit) in domo alius religionis virilis (clericalis vel laicalis: nam lex non distinguit), vel in domo Seminarii, vel tandem in alia pia domo, cui praesint clerici seu religiosi in s. presbyteratu constituti, quaeque ad id fuerit approbata, saltem ab Ordinario loci: non enim omnes piae domus, quamvis a presbyteris regantur, per se aptae sunt ad residentiam religiosorum.

CAN. 588.

§ 1. *Toto studiorum curriculo religiosi committantur speciali curae Praefecti seu Magistri, spiritus qui eorum animos ad vitam religiosam infermet opportunis monitis instructionibus atque exhortationibus.*

§ 2. *Praefectus vel Magister spiritus iis qualitatibus praeditus sit oportet, quae in Magistro novitiorum requiruntur ad normam can. 559 §§ 2, 3.*

§ 3. *Superiores vero sedulo invigilent ut ea quae can. 595 pro omnibus religiosis praescribuntur, in studiorum domo perfectissime observentur.*

1. *Toto studiorum curriculo* etc. — Quale studiorum curriculum sit oporteat, in subsequente canone videbimus. Ab initio igitur usque ad finem studiorum, cura spiritualis alumnorum committi debet Praefecto studentium, sicuti novitiorum cura committitur Magistro novitiatus (cfr. Comment. ad can. 559, 561, 562, 565). Diversimode tamen: nam alia est conditio, tum iuridica, tum spiritualis novitiorum, alia vero studentium; dum enim in novitiis, qui nondum sunt religioni incorporati, tota animi vis convertatur oportet ad naturam religionis indolisque ac vocationis suae (quocumque studiorum genere praetermisso) acriter considerandam, ex adverso studentes, qui religioni iam incorporati sunt, tenentur acriter incumbere sacris disciplinis: unde facilius evadit officium Praefecti. Neque idem Praefectus, summo iure, teneri videtur praescripto can. 891 de confessionibus audiendis.

2. *Praefectus vel Magister* etc. — Prima fronte videtur esse in hac paragrapho confusio quaedam: siquidem Legislator, dum requirit in Praefecto studentium easdem qualitates quae in Magistro novitiorum requiruntur, affert § 2 canonis 559, ubi non de eodem Magistro agitur, sed de eius socio, potius quam § 1, ubi expresse agitur de Magistro. Quare censuerunt quidam, errorem hic typographicum irrepsisse. Quod tamen, ut recte animadvertit Chelodi (*Jus de*

personis, n. 275, nota 2) non est, post annos duodecim a quo Codex noster obligare coepit, facile concedendum. Ceterum vero, quo usque non intercedat Ap. Sedis interpretatio authentica, Codicem prout iacet accipere debemus. Proinde, si quae adversa videntur conciliare voluerimus, Praefectus studentium iisdem qualitatibus, quibus novitiorum Magister, instructus esse debebit, *sed, quoad aetatem et spatium temporis a prima professione transactum,* diiudicandus erit ad normam can. 559 § 2: scilicet sufficiet ut trigesimum aetatis annum expleverit et annos quinque in professione permanserit. Praeterea vero (et quoad hoc nulla quaestio), ad normam § 3 eiusdem canonis, vacare debet ab omnibus officiis et oneribus, quae studentium curam ac regimen impedire possint.

3. *Superiores vero* etc. — Agitur de Superioribus religiosis, quibus quoquo modo studentium cura a iure committitur, nempe in primis de studentium Praefecto, deinde de Superiore domus studiorum, tertio de Superiore provinciali ac de generali religionis Moderatore. Hisce omnibus ius et officium est invigilandi, ut in domo studiorum *perfectissime observentur* ea, quae can. 595 pro omnibus religiosis praescribuntur. Haec autem sunt: exercitia spiritualia, Missae adsistentia, oratio mentalis aliaque pietatis officia, ad poenitentiae sacramentum accessio, denique accessio ad sanctissimam eucharistiam.

CAN. 589.

§ 1. *Religiosi in inferioribus disciplinis rite instructi, in philosophiae studia saltem per biennium et sacrae theologiae saltem per quadriennium, doctrinae D. Thomae inhaerentes ad normam can. 1366 § 2, diligenter incumbant, secundum instructiones Apostolicae Sedis.*

§ 2. *Studiorum tempore magistris et alumnis officia ne imponantur quae a studio eos avocent vel scholam quoquo modo impediant; supremus autem Moderator et in casibus particularibus alii quoque Superiores possunt pro sua prudentia eos a nonnullis communitatis actibus, etiam a choro, praesertim nocturnis horis, eximere, quoties id studiis excolendis necessarium videatur.*

1. Canon agit in primis de studiorum curriculo. Curriculum tribus partibus constat: inferioribus disciplinis, disciplinis philosophicis ac tandem disciplinis theologicis. Debent itaque clerici religionum alumni *rite instructi* esse in inferioribus disciplinis, quae nempe in publicis gymnasiis passim tradi solent. An igitur disciplinae huiusmodi perdiscendae sunt ad normam veterum decretorum, veluti decr. *Auctis admodum,* 4 nov. 1892 eiusque interpretationum a S. Congr. de Religiosis 7 sept. 1909 et 31 maii 1910 exhibitarum? Etenim ad normam huius decreti eiusque interpretationum, cursus theologicus quavis vi legali carebat (et ideo pro infecto habebatur), nisi praecessisset publicus cursus philosophicus seu lycaealis; item hic cursus, nisi praecessisset gymnasialis; tandem vero et cursus gymnasialis pro infecto habebatur, nisi praecessisset publica

et integra schola primaria. Haec de iure communi et salva dispensatione Ap. Sedis. Et huiusmodi interpretationes seu declarationes S. Congregationis inter canonis fontes afferuntur. Verum nihilominus censemus, haec omnia quamlibet vim obligandi post promulgatum Codicem amisisse. Idque duabus de causis: in primis quia non omnes qui afferuntur in Codice fontes, habent eo ipso vim praeceptivam; saepe enim ideo sunt inserti, ut interpreti auxilio esse possint ad evolutionem instituti iuridici percipiendam, vel ad principia legum, natura sua immutabilia, in mentem revocanda, vel ad legem casibus particularibus facilius aptandam. Quare legis verba ante omnia respicienda sunt, postea vero fontes considerandi: quod enim Legislator voluit, dixit; quod noluit, tacuit. Lex autem, in causa qua de agimus, hoc unum praecipit: ut religiosi *rite instructi* sint in inferioribus disciplinis. Suntne vetera decreta ac vetus iurisprudentia ea voce *rite* implicite contenta? Non videtur, nam ea vox habet significationem omnino genericam, quae per se ad nullam peculiarem praxim refertur, sed tantummodo ad necessitates superioris doctrinae (nempe philosophiae ac theologiae), quae male percipitur si fundamenta defuerint: plures namque praesto sunt modi *rite instruendi,* qui omnes, quoties finis attingatur, ad rem optime facient. Non ideo praefata decreta in canone implicite continentur, ac proinde, ad normam can. 6, n. 6 vim omnem amisisse dicenda sunt. Nec tandem iuvat provocare ad verba *secundum instructiones Apostolicae Sedis:* nam haec verba ad *inferiores disciplinas* non referuntur. Proinde, nostra sententia, tenetur quidem religio obligatione supplendi in suis alumnis, superioribus studiis destinatis, defectus inferioris disciplinae, ut vere *rite instructi* videantur, sed nulla, post Codicem, extat amplius hac in re vis legalis carentia. Sequuntur philosophiae studia, quae saltem per biennium protrahi debent ac deinde studia sacrae theologiae, per quadriennium. Sanctio huius praescripti in can. 976 reperitur, cuius dispositiones tenent omnes, tum saeculares tum religiosos. Et revera, ad normam huius canonis, non potest quis ad primam tonsuram promoveri ante inceptum cursum theologicum; ad subdiaconatum, nisi post eiusdem cursus annum tertium expletum; ad diaconatum, nisi incepto anno quarto eiusdem cursus; ad presbyteratum, nisi post medietatem eiusdem quarti anni. Praeterea vero, ad ordines licite suscipiendos, integer cursus theologicus peractus esse debet non privatim, sed in scholis ad id institutis, seu in religione seu extra (cfr. can. 587, §§ 1-3) et secundum studiorum rationem can. 1365 determinatam. Tum autem theologiae tum phiosophiae cursus inniti debet principiis doctrinae D. Thomae Aquinatis, et peragi secundum instructiones Ap. Sedis.

2. *Studiorum tempore* etc. — Duo sunt quae in hac paragrapho caventur ad profectum studiorum tutandum. In primis vetantur Superiores, ne magistris aut alumnis officia imponantur, quae quoquo modo vel illis scholam impediant vel hos avocent a studio. Quaenam sint huiusmodi officia, Superiorum prudentiae diiudicandum tacite committitur. Expresse autem lex *officia* tantummodo interdicit, non autem munera, quae officii ecclesiastici naturam non habeant.

Sed, quum finis legis praecipue sit inspiciendus, ea quoque munera interdicta censenda sunt, quae scholam aut studia *quoquomodo* (et ideo etiam non graviter) impedire possunt. At vero studia quandoque possunt impediri, seu etiam interrumpi, ob causam quae nemini sit imputabilis. Quid tum agendum? Ad rem S. Congr. de Religiosis, quae exhibito sibi dubio: Cum haud raro contingat, ut religiosi studentes, absque ulla ipsorum aut Superiorum culpa, per plures menses studia interrumpere cogantur (ex. gr. infirmitatis aut servitii militaris causa), quaeritur utrum huiusmodi studentes totum annum scholarem, sic interruptum seu abbreviatum, repetere teneantur; an a Superiore generali, accedente voto deliberativo suorum consiliariorum, dispensari possint — respondit: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, dummodo — 1) interruptio seu compendium studiorum complexive non duraverit ultra tres menses; — 2) studia omissa scholis privatis suppleta fuerint; — 3) et in examine constiterit, ex testimonio examinatorum seu doctrinae iudicum, alumnos disciplinas, de quibus in eorum absentia in scholis actum est, prorsus didicisse.* Unde, si hae conditiones substantialiter impletae non fuerint, alumnus annum scholasticum interruptum iterare tenetur. Deinde, ad tutandum studiorum profectum, statuuntur a Legislatore dispensationes quaedam in favorem tum magistrorum tum alumnorum. Agitur de dispensatione *a nonnullis communitatis actibus,* qui aut virium mentis et corporis defatigationem, aut non mediocrem temporis insumptionem secumferant, inter quos primum locum obtinet officium chorale nocturnum. Ut autem dispensationes huiusmodi licite concedi possint, oportet impleatur conditio iure communi expresse apposita, nempe ut dispensatio *studiis excolendis necessaria videatur.* Requiritur ergo necessitas, utilitas non sufficeret. Facultas vero dispensandi conceditur a Legislatore tum supremo religionis Moderatori, tum aliis Superioribus tam provincialibus quam localibus. Non tamen eodem modo: nam, dum Superioribus provincialibus et localibus conceditur facultas dispensandi tantummodo in casibus particularibus, facultas concessa Moderatori generali hisce limitibus non coarctatur. Et quum agatur de facultate, non de praecepto, ea Superiores *prudenter* uti debent, quoties utuntur, sed ad utendum non tenentur.

Can. 590.

Religiosi sacerdotes, iis tantum exceptis qui a Superioribus maioribus gravem ob causam fuerint exempti, aut qui vel sacram theologiam, vel ius canonicum, vel philosophiam scholasticam doceant, post absolutum studiorum curriculum, quotannis, saltem per quinquennium, a doctis gravibusque patribus examinentur in variis doctrinae sacrae disciplinis antea opportune designatis.

1. *Religiosi sacerdotes* etc. — Canon est can. 130 § 1 parallelus. Legis autem finis positus est in fovenda doctrina religiosorum. Et quia plus in religiosis quam in clero saeculari doctrinae requiritur ac praeterea religiosi, qua tales,

curae animarum laboribus non onerantur, ideo, dum vi can. 130 § 1 clerus saecularis ad periculum, post exactum studiorum curriculum faciendum, tenetur *saltem per triennium* ab eoque eximi potest ex *iusta* causa, ex adverso religiosi, vi huius canonis tenentur ad periculum faciendum saltem per *quinquennium,* nec ab eo eximi possunt nisi *ob causam gravem.* Vox autem *saltem,* utrobique interiecta, evidenter significat, non solum esse in potestate Episcoporum Synodique dioecesanae et, vicissim, Superiorum religiosorum ac religionis constitutionum, generaliter vel in casibus particularibus, plus exigere vel statuere, sed etiam periodum triennio vel quinquennio prolixiorem esse in votis Legislatoris.

2. *In variis doctrinae sacrae* etc. — Pericula versari debent circa *varias doctrinae sacrae disciplinas.* Quasnam? In primis sane circa universas disciplinas quae merito *sacrae* dici possunt, ad peculiarem religionis finem aptatas; deinde etiam circa eam profanarum disciplinarum partem, quae cum disciplinis sacris inseparabiliter connectitur. Limites vero ac modum faciendi periculi statuere, ad constitutiones vel ad Superiores maiores pertinet.

3. *Jis tantum exceptis* etc. — Ad annua pericula, post peractum studiorum curriculum per quinquennium subeunda, tenentur religiosi omnes, qui neque a iure neque *ab homine* exempti sunt. Quidam enim ipso iure eximuntur, nempe *qui sacram theologiam, vel ius canonicum vel philosophiam scholasticam doceant:* etenim quum ideo pericula fiant, ut candidati doctrinam sibi quaesivisse probent, minus per se rationabile videtur, ut illi quoque periculis subiiciantur, qui, ob suam legitime probatam doctrinam, idonei habiti sunt ad eandem aliis tradendam. Proinde hi omnes iure ipso eximuntur. Quocirca duo sunt consideranda: primum, iure ipso periculis eximi eos, qui *doceant,* non autem qui *docuerint;* ac proinde requiri actuale magisterium. Religiosi tamen qui easdem disciplinas quondam docuerint, sed modo non docent, si forte, nondum transacto quinquennio, ad pericula subeunda teneantur, censendi sunt inter eos, qui *ab homine* prudenter, pro variis rerum adiunctis, eximi possunt: siquidem, habita ratione exiguitatis temporis a quo amplius non docent (in praxi quadriennium ad summum), valere videntur quae nuper diximus de magisris actualibus. Deinde considerandum est quinam recte dicantur *sacram theologiam vel ius canonicum vel philosophiam scholasticam* docere. Jam vero horum verborum extensio, potius quam ex can. 1365 (in quo de universo studiorum programmate) et ex responso Pont. Commissionis 24 nov. 1920 circa can. 421, § 1, n. 1 dato (in quo de exemptione a choro *ratione laboris* praestiti ad utilitatem dioecesis), eruenda est ex fine quem lex prosequitur, nempe eximendi eos tantum, qui satis exculti praesumuntur *in iis disciplinis, de quibus* periculum subeundum est. Est autem periculum faciendum de disciplinis, quae cleri utriusque necessariam supellectilem doctrinalem constituunt, quaeque, ea ipsa de causa, ita intime inter sese connectuntur, ut altera sine altera stare non possit. Ita ex. c. claudicat profecto philosophia scholastica, sicuti etiam ius canonicum, absque theologia; eodemque modo theologia moralis sine dogmatica, et haec sine patri-

stica atque biblicis disciplinis; denique nullo modo, absque hisce omnibus, historia ecclesiastica consistere potest. Suntque hae omnes disciplinae, saltem quoad principia, utrique clero plane necessaria. Quum igitur et haec sit materia substantialis periculorum quinquennalium, et qui alteram ex hisce disciplinis docet, in reliquis quoque excultus merito praesumatur, inde merito omnes, qui huiusmodi disciplinas tradunt, iure ipso a periculis exempti videntur. Deinde eximi quis potest *ab homine,* si a iure non sit exemptus et pro exemptione militet causa gravis. Exemptionem concedere possunt *Superiores maiores,* idest, ad normam can. 488, n. 8, Abbas Primas, Abbas Superior Congregationis monasticae, Abbas monasterii sui iuris, supremus religionis Moderator, Superior provincialis (si religio fuerit in provincias divisa), horum vicarii et qui (ubi procinciae aut provinciales desiderentur) ad instar provincialium potestatem habent. *Gravis causa* requiritur, veluti reverentia concilianda auctoritati eorum, qui ante finem quinquennii Superiores renuntiati sunt (cfr. Vermeersch, *Epitome,* I, n. 593), infirma valetudo, gravis religionis necessitas munus aliquod cum periculo incompatibile religioso committendi, etc. Causis huiusmodi accensenda videtur, ut supra diximus, praesumpta periculi doctrinalis inutilitas, si forte contingat ab eo esse subeundum, qui antea docuerit.

4. Quid autem, si quinquennalia haec pericula fuerint a Superioribus neglecta? Duplex exinde consectarium: in primis loci Ordinarius, si agatur de parochis religiosis eorumve vicariis, potest, et si res in consuetudinem transierit probabiliter etiam debet, negotium deferre ad Ap. Sedem. (Cfr. Pont. Commiss. resp., 14 iul. 1922). Deinde, quoad omnes religiosos, qui eidem loci Ordinario praesentati fuerint, sive, ad normam can. 874, pro confessionibus audiendis, sive, ad normam can. 1339, pro habendis concionibus, potest Ordinarius, ad normam can. 877 et 1340, doctrinae periculo eos subiicere et, si minus idonei reperti fuerint, debet iurisdictionem aut licentiam denegare.

CAN. 591.

In qualibet saltem formata domo, minimum semel in mense, habeatur solutio casus moralis et liturgici, cui, si Superior opportunum existimaverit, addi potest sermo de re dogmatica coniunctisve doctrinis; et omnes clerici professi qui studio sacrae theologiae operam navant aut illud expleverunt et in domo degunt, assistere tenentur, nisi aliud in constitutionibus caveatur.

1. *In qualibet saltem* etc. — Sicuti canon praecedens contraponi poterat, uti vidimus, can. 130, ita hic canon, et ipse ad eruditionem religiosorum fovendam statutus, parallelus est can. 131 de collationibus cleri saecularis. Discrimen vero haud exiguum interest inter can. 590 et 591, sive quoad naturam, sive quoad ambitum legis: dum enim can. 590 agit de periculo doctrinali, can. 591 agit de collationibus ad praxim quotidianam pertinentibus, vulgo de *solutione*

casuum; insuper, dum can. 590 comprehendit tantummodo quinquennium post expletum studiorum curriculum, personas directe afficit ac praeterea exemptiones tum a iure tum *ab homine* explicite admittit, e contra can. 591 directe afficit domum religiosam et per eam Superiorem localem, ac proinde, salva consuetudine vacationum aestivarum, perpetuo tenet et nullam explicite exemptionem admittit, sed tantum permittit ut *in constitutionibus aliud caveatur* circa obligationem interveniendi. Tenet igitur praescriptum huius canonis *quamlibet saltem formatam domum:* unde, quamvis ex iure communi Superior domus informis (cfr. can. 488, n. 5) adigi non possit ad menstruas huiusmodi collationes habendas, legitime tamen adigi potest ex iure particulari, nempe constitutionum religionis, quum Legislator, per vocem *saltem,* nedum praxim strictiorem permittat, verum etiam sibi esse in votis aperte demonstret. Quod etiam dicendum est de intervallo inter singulas collationes, quae *minimum* semel in mense habendae sunt.

2. *Habeatur solutio casus* etc. — Semel igitur aut pluries in mense habenda est in qualibet saltem formata domo *solutio casus moralis et liturgici.* Itaque ex iure communi sufficit utriusque casus solutio, scripto vel oretenus peracta ad normam constitutionum. At simul facultas fit Superiori locali, si id opportunum (rerum adiunctis consideratis) existimaverit, *addendi sermonem* seu tractationem alicuius quaestionis ad theologiam dogmaticam, sacram scripturam, patristicam, aliamve cum theologia coniunctam disciplinam, pertinentem: quam sane facultatem, ex iure communi derivantem, ius perticulare elidere non potest.

3. *Et omnes clerici* etc. — Nisi aliud in constitutionibus caveatur, huic collationi interesse tenentur omnes clerici professi (nempe, quia Legislator non distinguit, post primam professionem religiosam), qui studio sacrae theologiae operam dant aut illud expleverunt (proinde omnes, nullo excepto, clerici professi, tum studentes, tum magistri, tum animarum curae addicti, tum quovis officio ecclesiastico expertes), dummodo *in domo degant* qua de agitur, idest dummodo in ea domo domicilium vel quasi-domicilium canonicum habeant, exclusis, ut videtur, religiosis peregrinis.

4. Quid iuris, si collationes a iure communi praeceptae a Superiore religioso negligantur? Distinguendum est inter religiosos, qui curam animarum exercent aut iurisdictionem ad confessiones audiendas a loci Ordinario obtinuerunt, et reliquos religiosos. Qui curam animarum exercent, quum, vi can. 131 § 3, collationibus cleri saecularis interesse teneantur, nullum ex negligentia Superioris detrimentum capiunt. Quare autem a cl. Schäfer (*De religiosis,* n. 301) excludantur ab ambitu can. 131 § 3 religiosi parochorum vicarii, plane non videmus; nam et ipsi, quamvis non proprio nomine, genuinam tamen *habent curam animarum,* ac proinde non minus quam parochi collationum beneficio indigent: haec probabiliter ratio, quare, in responso Pont. Commissionis 14 iul. 1922 supra allato (cfr. comment. ad can. 590 n. 4), parochi eorumque vicarii religiosi omnino aequiparantur quoad pericula quinquennalia subeunda. Ex adverso religiosi,

nullam quidem curam animarum exercentes, sed a loci Ordinario iurisdictionem habentes ad confessiones audiendas, si in eorum domibus collatio non habeatur, vi eiusdem can. 131 § 3, collationibus dioecesanis interesse tenentur. Quod si facere neglexerint, possunt a loci Ordinario, ad normam can. 2377, ab audiendis confessionibus suspendi. In ceteros vero religiosos nihil potest Ordinarius loci, quum agatur de re ad internum religionis regimen pertinente.

TITULUS XIII

DE OBLIGATIONIBUS ET PRIVILEGJIS RELIGIOSORUM

CAPUT I

DE OBLIGATIONIBUS

Can. 592.

Obligationibus communibus clericorum, de quibus in can. 124-142, etiam religiosi omnes tenentur, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet.

Religiosi magis quam saeculares, seu laici seu clerici (cfr. can. 124), ad vitae sanctitatem tenentur. Reverentiam loci Ordinario omnes religiosi exhibere debent (cfr. can. 127); religiosi non exempti etiam obedientiam. Item omnes clerici religiosi, perinde sin magis quam saeculares, tenentur ad studia sacra continenter excolenda, ad profanas novitates et falsi nominis scientiam devitandam (cfr. can. 129). Eodem modo regulares et clerici saeculares in sacris, tenentur ad continentiae cultum (cfr. can. 132) ac insuper religiosi omnes ad custodiam clausurae (cfr. can. 133). Vita communis, quae clericis saecularibus commendatur (can. 134), stricte a religiosis servari debet. Praeterquam ratione suscepti ordinis (cfr. can. 135), regulares ad horas canonicas tenentur ratione professionis sollemnis. Vestem religionis propriam ubique deferre debent (cfr. can. 136). Fideiussio, proprio nomine aut de propriis bonis peragenda, in religiosis nec intelligitur (cfr. can. 137) absque dispensatione apostolica. Item religiosi, potiore iure quam saeculares, abstinere debent ab iis quae statum suum dedecent, quaeque in can. 138, 139, 140 et 141 minute describuntur, eodemque modo iis interdicitur quaelibet veri nominis negotiatio, per se vel per alios exercenda, necnon quaevis mercaturae species, etiam in favorem religionis (cfr. can. 142): brevi, vi suae professionis, tenentur religiosi omnes saecularibus, seu laicis seu clericis, ecclesiasticae sanctitatis exemplum indesinenter praebere.

CAN. 593.

Omnes et singuli religiosi, Superiores aeque ac subditi, debent, non solum quae nuncuparunt vota fideliter integreque servare, sed etiam secundum regulas et constitutiones propriae religionis vitam componere atque ita ad perfectionem sui status contendere.

Trita haec et in religiosa professione fundata. Ad rem cl. Wernz (*Jus decretal.*, III, n. 647): *Religiosi postquam per professionem suo instituto perfecte incorporati sunt, ex diversis rationibus non paucas habent obligationes; sunt enim obligationes religiosorum, quae oriuntur ex fine primario et secundario status religiosi, quem assumpserunt, scil. tendendi ad perfectionem caritatis christianae. Aliae obligationes repetendae sunt ex tribus votis substantialibus vel aliis accidentalibus, secundum statuta iuris communis et particularis ordinis religiosi emissis, et ex traditione et acceptatione cum professione coniuncta. Denique religiosis incumbunt multiplices obligationes, quae aut legibus Ecclesiae sive omnibus fidelibus, sive universis religiosis, sive tantum sodalibus determinatarum religionum... datis, aut regulis, constitutionibus et statutis legitimisque consuetudinibus proprii instituti religiosi imponuntur.*

CAN. 594.

§ 1. *In quavis religione vita communis accurate ab omnibus servetur etiam in iis quae ad victum, ad vestitum et ad supellectilem pertinent.*

§ 2. *Quidquid a religiosis, etiam a Superioribus, acquiritur ad normam can. 580 § 2, et can. 582 n. 1, bonis domus, provinciae vel religionis admisceatur, et pecunia quaelibet omnesque « tituli » in capsa communi deponantur.*

§ 3. *Religiosorum supellex paupertati conveniat quam professi sunt.*

1. *In quavis religione* etc. — Vera ac genuina vita communis, quae religiosis praecipitur (quaeque toto coelo distat a communi vita, seu verius habitatione, cuius consuetudo clero saeculari per can. 134 commendatur), substantialiter consistit: ex comuni habitatione; ex communibus, quoad religionem, obligationibus atque iuribus; ex communi victu, veste, supellectili; ex communi aerario. Praecipit igitur Legislator, ut absoluta huiusmodi vita communis a quavis religione et a religiosis universis, absque ulla exceptione, accurate servetur.

2. *Quidquid a religiosis* etc. — Ad normam can. 580 § 2 quidquid religiosus (nempe post primam professionem) industria sua vel intuitu religionis acquirit, religioni acquirit; ad normam vero can. 582 n. 1, omnia bona quae quovis modo regulari (nempe post sollemnem professionem) obveniunt, cedunt Ordini, vel provinciae, vel domui religiosae, ad quam pertinet, secundum constitutiones. Jam vero, vi huius paragraphi quam explicamus, quidquid religiosi huiusmodi acquirunt, bonis domus, provinciae vel religionis *admisceri* debet, ita

nempe, ut res acquisita ne speciem quidem retineat acquisitionis personalis. Quare implicite interdicitur praxis *peculii*, de qua quaedam sunt hic animadvertenda. Ad exemplum igitur veteris iuris Romanorum, iuxta quod *peculium* appellabatur (nempe *quasi pusilla pecunia*, ut explicat Ulpianus, fr. 5 D. XV, 1) ea pars patrimonii familiaris, quam paterfamilias, ut in negotiis tractandis exercerentur, separatae filii vel servi administrationi committebat, dominio tamen sibi servato necnon iure restitutionem quocumque tempore exigendi: in iure quoque nostro *peculium* vocata est parva bonorum vel pecuniae summa, ex iure consuetudinario quandoque religiosis a Superiore in administrationem permissa, ut ex ea sibi necessaria comparare possent. Quocirca haec habet, multa pro more paucis complectendo, cl. Wernz (*Jus decretal.*, III, n. 649, IV): *Certe parvum quoddam peculium, a nutu Superiorum regularium dependens, ex antiquo iure decretalium disertis verbis non fuit prohibitum, sed etiam expresse non concessum. At Concilium Tridentinum (Sess. XXV, c. 2 de reg.) prohibuit regularibus bona immobilia vel mobilia, cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam « nomine conventus » possidere vel tenere. Quibus verbis iuxta meliorem interpretationem etiam peculia dependentia regularibus interdicuntur; id quod multo apertius factum est per Clem. VIII const. « Nullus omnino » § 2, et resp. S. C. C. 4 iul. 1602, 12 ian. 1603, 17 apr. 1649 et S. C. Ep. et Reg. 7 apr. 1707. Quoniam autem contra decreta disciplinaria Concilii Tridentini aliaque decreta pontificia saltem toleratae quaedam consuetudines potuerunt introduci, ideo peculia vere dependentia et modica et ad usus statui religioso conformes unice destinata, post Concilium Tridentinum in non paucis monasteriis usque ad nostram aetatem ex iusta causa permissa, propter meram tolerantiam Ecclesiae absolute et generaliter voto paupertatis contraria atque graviter illicita dici non possunt. Verumtamen, si quis perpendat pericula, quae ex peculiis etiam dependentibus voto paupertatis atque universae disciplinae religiosae immineant, facile intelliget, cur Ecclesia, praesertim ex disciplina vigente, etiam peculiis hucusque toleratis non faveat eorumque abrogationem urgeat novamque introductionem penitus excludat.* Quam ergo abrogationem praeclarus antecessor hisce verbis implicite flagitare videbatur, in Codice nostro reperimus. Ait enim Legislator: *Pecunia quaelibet omnesque « tituli » in capsa communi deponantur.* Ergo nihil relinquitur privatae administrationi. Quare, ad normam can. 489, per hanc dispositionem abrogatum est quodlibet ius particulare, cui forte praxis *peculiaris* huc usque innitebatur. Unde non restat nisi exceptio can. 5, de *tolerandis*, si videantur submoveri non posse, consuetudinibus centenariis aut immemorabilibus a Codice expresse non reprobatis. Quod ultimum effugium, in re tam gravi, prudentissime servatum est.

3. *Religiosorum supellex* etc. — Placet de religiosorum supellectile afferre verba cl. Vermeersch (*Epitome*, I, n. 598): *Supellectilem*, ait, *intelligas personalem: manifestum enim est, religioso astronomo vel physico praesto esse debere instrumenta quae in aliorum cubiculo forent superflua; atque etiam pro ratione studiorum et muneris, copiam librorum variare debere. Paragrapho autem tertio*

commendatur (verius dicerem *praecipitur*) *ut religiosorum supellex conveniat paupertati, quam professi sunt. Verba ista opportune addita sunt, quia, etsi omnes religiones luxum et fastum fugiunt, externus tamen paupertatis cultus severitate variat. Vult itaque Codex, ut omnes religiosi sint fideles tum genericae omnium religionum, tum specificae religionis suae paupertati. Perfecta ista aequalitas vitae exterioris, evangelico spiritu abnegationis et caritatis informata, ex pulcherrimis est religionum ornamentis.*

4. Cuius religiosae *aequalitatis* seu communis vitae violatores, sanctioni can. 2389 subiiciuntur, qui ait: *Religiosi legem vitae communis constitutionibus praescriptae in re notabili violantes, graviter moneantur et, emendatione non secuta, puniantur etiam privatione vocis activae et passivae et, si Superiores sint, etiam officii.*

CAN. 595.

§ 1. *Curent Superiores ut omnes religiosi:*

1. *Quotannis spiritualibus exercitiis vacent;*

2. *Legitime non impediti quotidie sacro intersint, orationi mentali vacent, et in alia pietatis officia, quae a regulis et constitutionibus praescripta sint, sedulo incumbant;*

3. *Ad poenitentiae sacramentum semel saltem in hebdomada accedant.*

§ 2. *Superiores suos inter subditos promoveant frequentem, etiam quotidianam, sanctissimi Corporis Christi receptionem; frequens autem, imo etiam quotidianus accessus ad sanctissimam Eucharistiam religiosis rite dispositis libere pateat.*

§ 3. *Si autem post ultimam sacramentalem confessionem religiosus communitati gravi scandalo fuerit aut gravem et externam culpam patraverit, donec ad poenitentiae sacramentum denuo accesserit, Superior potest eum, ne ad sacram communionem accedat, prohibere.*

§ 4. *Si quae sint religiones votorum sive sollemnium sive simplicium, quarum in regulis aut constitutionibus vel etiam calendariis communiones aliquibus diebus affixae aut iussae reperiantur, hae normae vim dumtaxat directivam habent.*

Vox *curent,* qua canon incipit, non adhortationem continet, sed praeceptum *curandi.* Per canonem, ut alibi factum est quoad confessarios religiosorum, libertas conscientiae, quantum fieri potest, restituitur quoad sacram communionem. Vis *directiva,* de qua in fine canonis, *praeceptivae* opponitur. Cetera nulla indigent explicatione.

CAN. 596.

Religiosi omnes proprium suae religionis habitum deferant tum intra tum extra domum, nisi gravis causa excuset, iudicio Superioris maioris aut, urgente necessitate, etiam localis.

Vestis tum clericorum tum religiosorum, militaribus insigniis comparari potest. Quare iam per se semper deferenda est, quum clerici vel religiosi in publicum prodeunt. At praeterea vel ex lege ecclesiastica vel saltem ex statuto aut consuetudine particulari, a remotissimis temporibus mos obtinuit, vestem religiosam etiam domi, imo et continenter, deferendi. Idem valet de veste clericali, in iis religionibus quae vestem peculiarem non habent.

Nunc autem primum per Codicem nostrum lex generalis lata est, quae omnes religiones complectitur. Vi huius legis religiosi omnes proprium suae religionis habitum, quicumque demum is fuerit seu peculiaris seu cum clericis communis, deferre tenentur tum extra tum intra domum. Excipitur, ex universali consuetudine, iure quoque particulari plerumque firmata, quamque proinde Legislator abque ullo dubio implicite servavit, tempus noctunae quietis. Ceterum hac in re standum est praescriptis constitutionum ab Ap. Sede approbatarum.

Dispensationem ab hac lege concedere possunt tantummodo Superiores maiores, et quidem tum tantum, quum subest gravis causa (veluti ex. gr. iter per regiones infidelium aut acatholicorum). Superior autem localis dispensare potest solummodo urgente necessitate et, ut patet, gravi simul causa suffragante (veluti ex. gr. si agatur de ultimis sacramentis ministrandis morienti, ad quem, ob rerum adiuncta, religiosus cum habitu accedere non possit).

Religiosi qui legi deferendi habitum contrafecissent, incurrebant, ex. c. 2 *Ne clerici,* III, 24 in Sexto, poenam excommunicationis nemini reservatae; in Codice nostro ne verbum quidem de hac poena, quae, proinde, ad normam can. 6 n. 5, tanquam abrogata habenda est.

Can. 597.

§ 1. *In domibus regularium sive virorum sive mulierum canonice institutis, etiam non formatis, servetur clausura papalis.*

§ 2. *Lege clausurae papalis afficitur tota domus quam communitas regularis inhabitat, cum hortis et viridariis accessui religiosorum reservatis; excluso, praeter publicum templum cum continente sacrario, etiam hospitio pro advenis, si adsit, et collocutorio, quod, quantum fieri potest, prope ianuam domus constitui debet.*

§ 3. *Partes clausurae legi obnoxiae patenter indicentur; Superioris vero maioris vel Capituli generalis secundum constitutiones, aut, si agatur de monasterio monialium, Episcopi erit clausurae fines accurate praescribere aut legitimis de causis mutare.*

1. Hunc et decem subsequentes canones clausurae religiosorum Legislator reservat: inde patet quanti faciendum sit institutum iuridicum huiusmodi. Lex clausurae duplex interdictionem complectitur: interdictionem ingressus extraneis factam, et interdictionem egressus factam religiosis. In primis igitur Codex

agit de clausura regularium virorum. *Origo*, ait cl. Wernz (*Jus decretal.*, III, n. 658, IV) *illius duplicis obligationis sane est antiquissima, sed ab initio clausura virorum magis regulis monasticis et consuetudine fuit praeformata, quam scriptis legibus universalibus Ecclesiae statuta poenisque canonicis sancita. At cum tempore reformationis graves abusus ex neglecta clausurae lege... irrepsissent, tandem Pius V, constit. « Regularium » 24 oct. 1566 et constit. « Decet » 16 iul. 1570, reprobatis praetextibus et allegatis privilegiis in admittendis feminis, universalem legem de clausura a viris regularibus servandam promulgavit. Gregorius XIII, constit. « Nullus » § 18, vestigia Pii V secutus, favores abrogavit et poenas canonicas contra violatores clausurae denuo ratas habuit et auxit. Maiore vigore Benedictus XIV, constit. « Regularis » 3 ian. 1742, sublatis omnibus licentiis et privilegiis et facultatibus contrariis, clausuram a suis praedecessoribus stabilitam denuo confirmavit. Denique Pius IX in constit. « Apostolicae Sedis », gravissimis clausulis etiam de consuetudinibus praeteritis et futuris munita, ordinavit disciplinam etiam nunc vigentem, qua « mulieres violantes regularium virorum clausuram et Superiores aliosque eas admittentes » plectit excommunicatione simpliciter R. Pontifici reservata; at non sustulit poenas vindicativas antiquo iure viris regularibus statutas, i. e. ipso facto privationis dignitatum, beneficiorum, officiorum et inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda.* Hasce RR. Pontificum constitutiones Codex noster substantialiter confirmavit atque perfecit.

2. *In domibus regularium* etc. — Canon praeceptum generale clausurae continet eiusque extensionem diligentissime describit atque immutationes moderatur: proinde canon respicit utriusque sexus regulares, quorum domus, sive formatae sive informes, fuerint canonice erectae, idest sint verae ac genuinae domus regulares. In hisce domibus servanda est clausura papalis, nempe clausura, cuius obligationem, ambitum et poenas latas in contravenientes R. Pontifex moderatur.

3. *Lege clausurae papalis* etc. — In hac altera canonis paragrapho Legislator ambitum clausurae papalis accurate circumscribit. Afficit itaque lex clausurae papalis domum universam, *quam communitas regularis inhabitat.* Si quam ergo eiusdem domus partem (ut nostra praesertim aetate haud raro contingit) inhabitare regulares desierint atque saecularium usui legitime aut coacte attribuerint, haec legi clausurae, uti patet, non subiacet. Quo tamen in casu, ad legem clausurae servandam, oportet ut paries interiiciatur. Unde deduci potest, ad ambitum clausurae definiendum, non exterior forma domus esse inspicienda, sed potius interna loca a regularibus permanenter facto et iure inhabitata, sive id fiat iure proprietatis, sive iure contractus cuiuscumque. Haec ratio quare lex clausurae papalis afficit quoque *hortos ac viridaria accessui religiosorum reservata.* Ex adverso excluduntur a lege clausurae loca publica, veluti *publicum templum,* idest vel ecclesia (cfr. can. 1161) vel oratorium publicum (cfr. can. 1188 § 1 n. 1), *cum continente sacrario:* utrumque enim natura sua publicum est,

dummodo tamen sacrarium sit ecclesiae contiguum (*continente*) et quasi ecclesiae vel publici oratorii propago. Excluditur etiam natura sua *hospitium pro advenis,* si forte adsit, necnon, eadem de causa, *collocutorium,* prope ianuam, quantum fieri potest, ad normam iuris constituendum. Demum excluduntur, ob temporariam inhabitationem, villae rusticae quas regulares forte habeant.

4. *Partes clausurae* etc. — Paragraphus praeceptum ac reservationem continet. In primis partes domus clausurae legi obnoxiae *patenter indicari* debent; sed modus indicandi iuri particulari determinandus relinquitur. Communiter indicari solent per verbum *Clausura,* in pariete aut tabella insculptum vel pictum. Deinde, quoad clausurae limites, vel hi primitus definiendi sunt (uti fit in canonica domus erectione) vel sunt postea mutandi. Eiusdem autem est utrumque peragere, nempe, ad normam constitutionum, vel *Capituli Generalis vel Superioris maioris* religionis aut, si agatur de monialium monasterio, *Episcopi,* quibus, ceteris exclusis, negotium ex iure communi reservatur. Quocirca paragraphus continet duplex praeceptum: primum, ut fines clausurae *accurate* circumscribantur, ne quid in ea sit incertum neve progressu temporis ea immutari oporteat. Deinde si limites immutandi videantur, id nonnisi *legitimis de causis,* quae diversissimae esse possunt, fieri debet.

Can. 598.

§ 1. *Intra regularium virorum clausuram ne admittantur mulieres cuiusvis aetatis, generis aut conditionis sub quovis praetextu.*

§. 2. *Eximuntur ab hac lege uxores eorum qui supremum actu tenent populorum principatum, cum comitatu.*

Exclusio mulierum a septis domus, est finis praecipuus ob quem lex clausurae antiquitus inducta est pro Ordinibus virorum. Unde ambitu suo omnes feminei sexus personas comprehendit, absque ulla exceptione. Neque ulla legitima causa seu potius, ut canon ait, praetextus admittitur.

Unica exemptio a iure communi statuitur in favorem auctoritatis civilis. Sed conditiones plures et rigidae, exemptioni huic apponuntur. Eximuntur scilicet *uxores* eorum, qui *supremum actu tenent populorum principatum.* Itaque agitur in primis de uxoribus: quare excluduntur filiae, matres ceteraeque consanguineae, quae ex patrio iure patriisque moribus uxores non sint. Difficilius amplectenda videtur opinio cl. Vermeersch (*Epitome,* I. n. 608), iuxta quam admitti posset, excluso scandalo, uxor ex inito divortio Principis protestantis; aliud enim mores infidelium, aliud acatholicorum: illis communiter parcitur, rudioris ingenii causa; num id de divortio quoque acatholicorum dicendum est?

Deinde agitur de supremis populorum Principibus. Supremus autem Princeps nostra aetate unicus est apud quamque Nationem, et Praesidis vel Imperatoris aut Regis nomine plerumque venit. Aliorum omnium uxores excluduntur, nisi forte accesserint tanquam uxoris comites a iure admissae.

Huius canonis dolosa violatio delictum constituit, in quod animadvertit can. 2342 § 2, vi cuius *plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata... mulieres violantes regularium virorum clausuram et Superiores aliique, quicumque ii sint, eas... introducentes vel admittentes;* praeterea vero *religiosi introducentes vel admittentes* privandi sunt per sententiam iudicis *officio, si quod habeant, et voce activa et passiva.*

CAN. 599.

§ 1. *Si domus regularium virorum adnexum habeat convictum pro alumnis internis vel alia opera religionis propria, separata saltem aedis pars, si fieri possit, religiosorum habitationi reservetur, clausurae legi subiecta.*

§ 2. *Etiam in loca extra clausuram alumnis externis aut internis vel operibus religionis propriis reservata, personae alterius sexus, nisi aequa de causa et de Superioris licentia, ne admittantur.*

1. *Si domus regularium,* etc. — Per hunc canonem clausurae lex, quae viros regulares tenet, nonnullis in rerum adiunctis aliquatenus temperatur. Casus incidit, quum agitur de domo regulari, intra cuius parietes erectum sit convictum pro alumnis vel aliquod ex operibus religionis propriis, ut sunt ex. c. scholae theologicae in domibus Ordinis Praedicatorum et valetudinaria Ordinis Hospitalarii S. Joannis de Deo. Et hoc in casu canon in primis statuit, ut, si fieri potest, clausura in tuto ponatur, nempe reservando separatam partem domus, intra cuius limites clausurae lex plenissime servetur, habitationi religiosorum. Si fieri potest: sola igitur impossibilitas excusat a praescripto huius primae paragraphi servando. Et si excusaverit, domus universa, quoad legem clausurae, aequiparatur locis, de quibus in paragrapho altera huius canonis.

2. *Etiam in loca* etc. — Etiam in loca domus regularis, in quibus lex clausurae papalis, ob causam antea descriptam, de iure non viget, personae *alterius sexus* (quibus verbis ideo fortasse usus est Legislator, ut praescripto quoque can. 604 § 2, qui etiam Congregationes muliebres comprehendit, aptarentur) admitti non possunt, nisi sub duplici conditione: primum quod aequa (et ideo non requiritur gravis) subsit causa admittendi, qua deficiente illicite Superior licentiam concedit; deinde quod de facto huiusmodi licentia, seu expresse seu tacite, seu actualiter seu habitualiter, a Superiore (nempe etiam locali, quum lex non distinguat, nisi obstent constitutiones vel legitima consuetudo) concessa fuerit.

CAN. 600.

Intra monialium clausuram nemo, cuiusvis generis, conditionis, sexus, aetatis admittatur sine Sanctae Sedis licentia, exceptis personis quae sequuntur:

1. *Ordinario loci aut Superiori regulari, monasterium monialium visitantibus vel aliis visitatoribus ab ipsis delegatis licet clausuram ingredi dumtaxat*

inspectionis causa, cautoque ut unus saltem clericus vel religiosus vir maturae aetatis eos comitetur;

2. *Confessarius vel qui eius vices gerit potest, cum debitis cautelis, ingredi clausuram ad ministranda Sacramenta infirmis aut ad assistendum morientibus;*

3. *Possunt clausuram ingredi qui supremum actu tenent populorum principatum eorumque uxores cum comitatu; itemque S. R. E. Cardinales;*

4. *Antistitae est, adhibitis debitis cautelis, ingressum permittere medicis, chirurgis, aliisque quorum opera sit necessaria, impetrata prius saltem habituali approbatione ab Ordinario loci; si vero necessitas urgeat, nec tempus suppetat approbationem petendi, haec iure praesumitur.*

1. Monialium clausura, quamvis iidem sint limites (can. 597), rigidior tamen est quam clausura regularium virorum : tum enim monialium egressus, uti postea videbimus (can. 601), tum ingressus extraneorum in monasterium aperte interdicitur, exceptis casibus a iure taxative recensitis. Quam quidem disciplinam ab antiquis recepimus. *Quamvis,* ait cl. Wernz (*Jus decretalium,* III, n. 658), *monialium clausura quoad duplex illud elementum iam inde a saeculo quarto aliqua ratione per Concilia particularia* (veluti per c. 33 Conc. Carthaginensis a. 397; c. 19 Conc. Aurelianensis V a. 549; c. 3 Conc. Lugdunensis III a. 583 etc.) *reperiatur praescripta, tamen pleno rigore et lege universali Bonifacius VIII (cap. un. de statu regul. III, 16 in Sexto) prima vice illam instituit. Concilium Tridentinum (Sess. XXV, cap. 5, de regul.) eandem legem innovavit et ampliavit etiam adiecta in violatores poena excommunicationis. Cuius decreti Tridentini Pius V const. « Circa » (29 maii 1566) et const. « Decori » (24 ian. 1570) fuit zelantissimus executor. Nec minore studio Gregorius XIII const. « Dubiis » (23 dec. 1581) et Gregorius XV const. « Inscrutabili » (5 febr. 1622) et Benedictus XIV const. « Cum sacr. virg. » (1 ian. 1741) aliisque decretis promovere studuerunt observantiam clausurae monialium contra novos abusus falsasque iuris interpretationes. Tandem Pius IX in const. « Apostolicae Sedis » universa complectens decrevit: « Violantes clausuram monialium, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo pariterque eos introducentes vel admittentes, itemque moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V in constitutione " Decori ,, praescriptam », incurrere excommunicationem simpliciter R. Pontifici reservatam. At poenae vindicativae ante Pii IX const. « Apostolicae Sedis » vigentes non fuerunt abrogatae, saltem quoad moniales, quae ipso iure incurrunt etiam privationem dignitatum et officiorum et inhabilitatem ad illa obtinenda.* Quam disciplinam Codex noster nedum substantialiter servavit, sed etiam, uti postea videbimus, aliquatenus exasperavit, poena vindicativa addita in clericos contravenientes.

2. *Intra monialium clausuram* etc. — Nomine monialium veniunt hic (sicuti etiam supra in can. 597) eae quoque moniales, quarum vota, ex instituto sollemnia, ex praescripto tamen Ap. Sedis simplicia sunt (Pont. Commissio,

1 mart. 1921), Intra clausuram igitur monialium, quum agatur de clausura papali stricte sumpta, nemo prorsus ingredi potest quin prius, seu *ab homine* seu (quod in idem recidit) *a iure* communi, ingrediendi licentiam obtinuerit. Ab homine, nempe a S. Congr. de Religiosis, licentia conceditur per peculiare rescriptum; a iure autem per dispositiones canonis, quem modo explicamus, et quidem quibusdam tantummodo personis, imo in quibusdam tantum casibus taxative enumeratis. Et in primis licentia conceditur loci Ordinario ac Superiori regulari eorumve delegatis, monasterium legitime visitantibus, idest ad canonicam visitationem peragendam ad normam iuris (cfr. can. 511-513): sub conditione tamen quod unus saltem clericus vel religiosus maturae aetatis eos comitetur. Praeterea vero licentia conceditur ad *inspectionem dumtaxat perficiendam,* quae sane absque ingressu in clausuram fieri non potest, ac proinde tantummodo per tempus ad inspectionem *locorum* necessarium: ceterae s. visitationis partes, sicuti etiam voluntatum exploratio ante vestitionem et utramque professionem, necnon ipsa vestitio ac professio, extra clausuram perfici debent, quin tamen candidatae ac moniales e clausura egrediantur. Quare si Ordinarius aut Superior religiosus, salva legitima dispensatione ab Ap. Sede forte impetrata, extra canonicam visitationem vel absque socio vel denique ad alia, praeter necessariam inspectionem, perficienda monialium clausuram ingrediantur, absque licentia et illegitime ingressi censendi sunt.

3. *Confessarius* etc. — *Haec facultas,* ait S. Congr. de Religiosis (6 febr. 1924) *respicit confessarium ordinarium monasterii vel qui eius vices gerit, quibus ex can. 514, § 2 competit administratio sacramentorum et adsistentia morientibus in monasteriis monialium; in horum defectu, alius etiam sacerdos clausuram ingredi potest. Ad excipiendas confessiones aegrotantium ingredi clausuram potest, quoties requiratur, non solum confessarius ordinarius, sed etiam extraordinarius vel adiunctus aut confessarius quilibet a graviter aegrotante accersitus, de quo in can. 523 fit sermo. Debitae cautelae* (de quibus in paragrapho) *adhibendae pro communione administranda, in decreto S. Congr. de Religiosis diei 1 sept. 1912 exhibentur: « Oportet ut quatuor religiosae maturae aetatis, si fieri possit, ab ingressu in clausuram usque ad egressum sacerdotem comitentur, qui sacram pyxidem, aliquas consecratas Particulas continentem, deferre, sacram Communionem administrare, reverti ad ecclesiam, eandemque sacram pyxidem reponere debet, servatis rubricis a Rituali Romano pro Communione infirmorum statutis ». Pro confessione excipienda sequentes cautelae praescribuntur: duae moniales confessarium ad cellam infirmae comitentur ibique ante ostium cellae apertum expectent, dum confessionem audit, ut redeuntem ad monasterii ianuam iterum comitari possint.* Antistitae quidem est curare, ut cautelae a iure praescriptae non negligantur; confessarii vero est, si neglectae fuerint, ingressum in clausuram, si fieri possit, procrastinare. Quamvis autem haec, utpote accessoria, sub poena excommunicationis, de qua infra, non cadant, potest tamen ac debet Ordinarius, tum localis tum regularis, in cautelarum praestationem invigilare et in negligentes animadvertere.

4. *Possunt clausuram* etc. — Quoad eos qui supremum actu tenent populorum principatum cfr. comment. ad can. 598. Quoad vero S. R. E. Cardinales, censemus verba *cum comitatu* ad ipsos quoque referri, idque duabus de causis: primum ex eo, quod comitatus decet omnino Cardinalium dignitati; deinde ex eo, quod, sicuti loci Ordinarium sine socio, ita et Cardinalem sine comitatu aliquo in monialium clausuram ingredi omnino dedecet.

5. *Antistitae est* etc. — *Antistita ergo,* ait S. Congr. de Religiosis (l. c.), *facultate hac ipsa lege a S. Sede sibi tributa, potest omnibus personis, quorum opera intra septa monasterii necessaria est, ingresum permittere; prius tamen ab Ordinario loci saltem habitualem adprobationem obtinere debet. Hinc usuvenit, ut moniales in principio cuiuslibet anni in libro apposito recenseant eos omnes, quorum opera, ut plurimum, in monasterio vel in horto vel in officinis, intra septa monasterii sitis, durante anno occurret (medicos aut alios ad infirmarum curationem necessarios, operarios pro horto, pro cella vinaria, pro stabulis, opifices et alias huiusmodi personas); quem librum Ordinario pro illa habituali adprobatione obtinenda subscribendum praesentent. Si vero in aliquo casu extraordinario necessitas monasterii ingrediendi urgeat, nec tempus suppetat adprobationem ab Ordinario petendi, haec adprobatio iure praesumitur, idest ipsa lex hanc praesumptionem ratam habet. Antistitae autem iniungitur in omnibus casibus debitas adhibere cautelas. Quae quidem cautelae in hoc consistunt, quod personae ingredientes, ex assumptis certis informationibus, sint optimae famae ac moribus praestantes; a duabus monialibus, ex gravioribus, ad locum, ubi eorum opera requiritur, comitentur; nec ulli moniali permittatur huiusmodi personas alloqui, praeter eas, quae cum illis de eorum officiis agere debent. Claves clausurae,* subiungit S. Congregatio, *diu noctuque semper sint apud Antistitam, quae illas tradet monialibus designatis, quoties opus fuerit... Adspirantes ad habitum religiosum clausuram ingrediuntur de licentia Ordinarii. Puellas tamen educationis causa vel alia etiam pia causa in monasterium admittere, absque S. Sedis licentia non licet.*

Can. 601.

§ 1. *Nemini monialium liceat post professionem exire e monasterio, etiam ad breve tempus, quovis praetextu, sine speciali Sanctae Sedis indulto, excepto casu imminentis periculi mortis vel alius gravissimi mali.*

§ 2. *Hoc periculum, si tempus suppetat, scripto recognoscendum est a loci Ordinario.*

1. *Sine speciali Sanctae Sedis* etc. — Canonem per se clarum, qui nullam, praeter eas quae iure ipso recensentur, exceptionem admittit, ipsa S. Congr. de Religiosis (6 febr. 1924) sic explicat: *Sine licentia Sanctae Sedis ergo non potest monialis ab uno monasterio ad aliud, etiam eiusdem Ordinis, nec ad breve tempus transferri, nec exire causa novae fundationis faciendae: nec ut exerceat munus Abbatissae seu Antistitae aut magistrae novitiarum; nec ad curandam valetudi-*

nem; nec ad vigilandum aedificationi novi monasterii. Quae tamen licentiae a Sacra Congregatione, iustis de causis et debitis praescriptis conditionibus, concedi solent. Si supra tectum monasterii sit ambulacrum, ad illud accedere moniales poterunt, dummodo cratibus undequaque rite protegatur... Cum saepissime necessitas adsit, ut moniales, propter decorem domus Dei, per seipsas in ecclesia exteriore ea faciant, quae requiruntur ut semper debita munditie et nitore resplendeat, et praecipue in festis maioribus convenienti ornatu decoretur, Sancta Sedes, pro monasteriis id petentibus, Antistitae facultatem concedit designandi religiosas, quotquot videantur necessariae, quae, tempore quo nemo est in ecclesia et haec omnino clausa manet, in eam descendere possint, ut ea omnia agant quae ad cultum ecclesiae eiusque munditiem pertinent... Quamvis adspirantes ad habitum religiosum, dum postulatum peragunt, lege clausurae teneantur (can. 540 § 3), tamen libere et absque licentia Sanctae Sedis e monasterio egredi possunt, quando ad saeculum sponte eas redire aut a Superioribus dimitti contingat; et idem de novitiis dicendum aut de professis votorum temporariorum, quando vota expiraverint vel legitime dimissae fuerint: tum enim, ex ipsa status personalis transformatione, ratio legis omnino evanescit.

2. *Vel alius gravissimi mali.* — Haec mala S. Congr. de Religiosis (l. c.) ita interpretatur: *Talia... erunt incendium, inundatio, ruina fabricae, terrores belli, invasio militum et cetera huiusmodi. Eadem provenire possunt etiam ex parte cuiusdam monialis, ex. gr. dementia periculosa affectae aut morbo epidemico laborantis: quo in casu, huiusmodi monialis e clausura recedere debet, ut incolumitati religiosae communitatis consulatur. Si tamen tempus permittat, Ordinarius loci, a monialibus rogatus, periculum et causam sufficientem egrediendi e clausura scripto recognoscere debet.*

3. Contra eos qui can. 600 et 601 dolose violaverint, ita animadvertit can. 2342: *Plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata:* 1) *Clausuram monialium violantes, cuiuscumque generis aut conditionis vel sexus sint, in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes; quod si clerici sint, praeterea suspendantur per tempus pro gravitate culpae ab Ordinario definiendum...* 3) *Moniales e clausura exeuntes contra praescriptum can. 601.* Quocirca admodum placet sententia cl. Vermeersch (*Epitome,* I, 611), qui ait: *Cum leges clausurae prudenter sint temperatae, videmur quoque satis miras hodie omittere posse interpretationes, quibus excommunicata dicebatur, propter violatam clausuram, monialis quae supra tectum ambulaverit vel extra fenestram se suspenderit; sed verum et proprie dictum egressum e claustris postulabimus.*

CAN. 602.

Clausura monasterii monialium ita circumsepta esse debet ut, quoad fieri potest, nullus sit in eam vel ab ea prospectus externarum personarum.

Ad rem S. Congr. de Religiosis (6 febr. 1924): *Si quae fenestrae respi-*

ciant publicam plateam vel domos vicinas, vel communicationem cum extraneis permittant, ita vitris opacis vel valvulis (foriculis) muniri debent ut prospectus hinc inde impediatur... Si chorus crates habet per quas moniales altare videant, ita crates dispositae esse debent ut fideles, e loco ipsis reservato, ipsas moniales videre nequeant... Sedes confessionalis ita disposita sit oportet, ut confessarius extra clausuram, poenitentes vero intra reperiantur... Locus in quo moniales sacram Communionem recipiunt, ita, sive porta sive sipario, occlusus esse debet, ut moniales a fidelibus videri nequeant... Apud ianuam monasterii, in sacrario et ubicumque necessarium videatur, rota muro inseratur, per quam res necessariae transmitti possint. Nihil obstat, quominus hac in rota parvum foramen sit, per quod videri possit quaenam res rotae immittantur... Intra limites clausurae papalis non comprehenditur publicum templum cum continenti sacrario, ad quae propterea sine Sanctae Sedis indulto moniales accedere nequeunt.

Can. 603.

§ 1. *Clausura monialium, etsi regularibus subiectarum, sub vigilantia est Ordinarii loci, qui potest delinquentes, regularibus viris non exceptis, poenis quoque ac censuris corrigere et coercere.*

§ 2. *Etiam Superiori regulari custodia clausurae monialium sibi subiectarum commissa est, qui moniales aut alios suos subditos, si quid hac in re deliquerint, poenis quoque punire potest.*

Canon, qui ad verbum ex Instr. S. Congr. de Relig. 6 febr. 1924 desumptum est, agit de iis quibus ius est et officium in monialium clausuram invigilandi.

Et in primis canon loquitur de loci Ordinario: idque, profecto, non quasi ei potissimum commissa sit vigilantia quoad moniales regularibus subiectas (nam haec ex ipsa rerum natura ad Superiorem regularem potissimum spectat), sed quia et inter clausurae huiusmodi custodes principem pro sua dignitate locum tenet, et solus potest sua iurisdictione territoriali in delinquentes non regulares poenis ecclesiasticis animadvertere, et gaudet denique iure cumulativo cum Superiore regulari, quoad eos qui huic subditi sunt. Quod ius cumulativum lege praeventionis (can. 1568) regi videtur. Uterlibet proinde Praelatus potest, alteruter autem et debet, delinquentem regularem, poenis (nempe vindicativis) corrigere ac censuris, si opus fuerit, coercere (cfr. can. 2342, n. 1).

Can. 604.

§ 1. *In domibus etiam Congregationum religiosarum, sive pontificii sive dioecesani iuris, clausura servetur, in quam nemo alterius sexus admittatur, nisi ii de quibus in can. 598, § 2 et can. 600, aliique quos ex iustis ac rationabilibus causis Superiores admitti posse censuerint.*

§ 2. *Praescriptum can. 599 etiam domibus Congregationum religiosarum sive virorum sive mulierum applicetur.*

§ 3. *Episcopus in adiunctis peculiaribus, gravibusque intercedentibus causis, potest hanc clausuram, nisi agatur de religione clericali exempta, censuris munire; semper autem curet ut eadem rite servetur et quidquid in eam irrepat vitii corrigatur.*

1. *In domibus etiam* etc. — Huc usque de clausura regularium, tum virorum tum mulierum; modo Legislator agit de clausura apud religiones votorum simplicium, tam muliebres quam viriles. Est autem hoc clausurae genus admodum mitigatum, quamvis eodem ambitu contineatur (cfr. can. 597): nam in eam ingredi vetantur tantummodo personae *alterius sexus;* imo haec quoque prohibitio iure ipso tollitur quoties Superior, ex iustis et rationabilibus causis, licentiam ingrediendi concesserit. Praeterea nulla poena latae sententiae in contra facientes a iure statuitur.

2. *Episcopus in adiunctis* etc. — Religiones votorum simplicium, nisi per peculiare privilegium apostolicum fuerint subductae, veluti sane ex. c. factum costat cum Congregetionibus Passionistarum et Redemptoristarum (cfr. Wernz, *Ius decret.,* III, n. 700), Ordinariorum localium iurisdictioni subsunt, salvo praescripto can. 618. Quum autem in omnibus, in quibus religiosi subsunt Ordinario loci, possint ab eodem poenis coerceri (can. 619), ideo plures facultates hac in re Episcopis residentialibus ex iure competunt. Prior facultas respicit vigilantiam clausurae religionum votorum simplicium, ut haec rite servetur et quidquid in eam vitii forte irrepserit, corrigatur. Altera facultas respicit clausurae tutelam: scilicet potest loci Ordinarius clausuram huiusmodi munire censuris. At haec facultas pluribus subest conditionibus. Prima conditio est, ut non agatur de religione clericali votorum simplicium per peculiare privilegium iurisdictioni episcopali subducta ad instar Ordinis regularis, quo privilegio, ut nuper diximus, haud dubie gaudent ex. c. Congregationes Ss.mae Passionis ac Ss.mi Redemptoris: tum enim hac in re loci Ordinarius nihil omnino potest. Altera conditio est, ut agatur de peculiaribus personarum vel rerum adiunctis et causa gravis intercedat: oportet, nempe, ut ea rerum personarumque sint adiuncta, ex quibus gravia mala, nisi caveatur, verisimiliter oritura videantur. Tum vero *locus* censuris muniri proprie dicitur, quum in contra facientes censura latae sententiae, idest facto ipso incurrenda, statuitur. Reservaturque in casu absolutio censurae loci Ordinario euiusve delegato.

CAN. 605.

Omnes quibus est clausurae custodia, sedulo advigilent ne, alienis invisentibus, inutili collocutione disciplina perturbetur et spiritus religiosus detrimentum patiatur.

Canon, cum subsequentibus, respicit omnes religiones, sive exemptas sive non exemptas, et cavet ut vitentur collocutiones inutiles, seu in collocutorio seu extra.

Quoad collocutorium monialium (ad quod veteri iure absque Ordinarii loci consensu nemo, regulares praesertim, accedere poterat) haec habet S. Congr. de Religiosis (6 febr. 1924): *In collocutorio, quo moniales, intra limites a constitutionibus uniuscuiusque religionis praescriptos, externas personas recipere possunt, duae debent esse crates, inter se spatio circiter viginti centimetrorum distantes atque muro infixae, ita ut aperiri nequeant. Si constitutiones id permittant, in collocutorio etiam rota esse potest. Quo vero ad cetera omnia quae collocutorium respiciunt, praecipue circa continuam vigilantiam de iis quae ibi fiunt aut dicuntur, constitutiones uniuscuiusque monasterii exacte observentur.* Idemque tenendum est, exclusis cratibus, de collocutoriis aliarum religionum.

In invisentes atque inutiles collocutiones advigilatio iis omnibus competit, quibus clausurae custodia demandatur: nempe, in primis Superiori et Antistitae domus; deinde Superioribus maioribus cuiusque religionis; denique loci Ordinario.

Can. 606.

§ 1. *Curent Superiores religiosi ut accurate observentur quae sive circa egressum subditorum e claustris, sive circa excipiendos vel adeundos extraneos, in propriis constitutionibus praescripta sunt.*

§ 2. *Superioribus fas non est, salvis praescriptis in can. 621-624, permittere ut subditi extra domum propriae religionis degant, nisi gravi et iusta de causa atque ad tempus quo fieri potest brevius secundum constitutiones; pro absentia vero quae sex menses excedat, nisi causa studiorum intercedat, semper Apostolicae Sedis venia requiritur.*

1. *Curent Superiores* etc — Canon respicit omnes religiones, exceptis monialibus, quas non tangit nisi quoad excipiendos extraneos: dum enim in hoc moniales costitutionum praescriptis stare debent, extra claustra absque Ap. Sedis consensu numquam egredi possunt. Ceterae religiones sive quoad egressum religiosorum e claustris, idest e clausura cuiusque religionis propria ad normam can. 604, sive quoad excipiendos vel adeundos (nempe intra clausuram) extraneos, stare debent probatis cuiusque constitutionibus. Ut autem id rite fiat, Superiores religiosi, praesertim locales, curare tenentur.

2. *Superioribus fas non est* etc. — Per hanc canonis paragraphum definitur potestas Superioris religiosi quoad commorationem subditorum extra domum; quod quidem aliud est quam egressus e claustris seu e clausura: is namque dicitur extra domum degere seu commorari, qui, nedum e domo egreditur verum etiam extra domum et comedit et decumbit. Pressius vero agitur in paragrapho de commoratione *extra domum propriae religionis,* ita ut paragraphi praescriptum non comprehendat commorationem, quantumvis protractam, in alia propriae religionis domo. Denique Legislator animadvertit, ad questuationem non semper sufficere consensum Superioris religiosi, sed hac de re standum esse prae-

scriptis can. 621-624. Hisce praemissis, negatur Superioribus religiosis facultas permittendi propriis subditis commorationem extra domum, nisi quaedam adsint conditiones. Prima conditio est, ut gravis et iusta causa intercedat, veluti ex. c. ad stipem quaerendam, ad studia peragenda, ad valetudinem curandam, ad sacrum ministerium exercendum: quae causae et graves sunt, quum gravibus necessitatibus respondeant; et iustae sunt, quum respondeant necessitatibus legitimis. Altera conditio est, ut licentia concedatur ad tempus quo fieri potest brevius, quod quidem ex causae natura recte dimetitur, sed tamen spatium mensium sex nunquam excedere potest, nisi agatur de causa studiorum extra religionem perficiendorum: nam ad plus quam semestrem commorationem extra religionem concedendam, una Ap. Sedes competens est.

CAN. 607.

Antistitae et Ordinarii locorum serio advigilent ne religiosae, citra casum necessitatis, singulae extra domum pergant.

Canonis praescriptum respicit, uti patet, tantummodo religiones muliebres votorum simplicium, sive sint iuris dioecesani sive iuris pontificii.

Scilicet tum Antistitae tum loci Ordinario, a quo huiusmodi religiones in multis dependent, obligatio imponitur negandi sororibus licentiam e domo sine comite egrediendi; salvo casu necessitatis, quum, nempe, et egredi oportet et socia, seu religiosa seu saecularis, praesto non est.

Fertur autem haec lex in Congregationes muliebres (nam, ex silentio Legislatoris, Clementis Pp. VIII decretum *Nullus omnino,* 25 iul. 1599, viros post Codicem i. c. non amplius tenere censendum est), ad naturalem religiosarum infirmitatem periculis saeculi, quantum fieri potest, subtrahendam.

CAN. 608.

§ 1. *Curent Superiores ut religiosi subditi, a se designati, praesertim in dioecesi qua degunt, cum a locorum Ordinariis vel parochis eorum ministerium requiritur ad consulendum populi necessitati, tum intra tum extra proprias ecclesias aut oratoria publica, illud, salva religiosa disciplina, libenter praestent.*

§ 2. *Vicissim locorum Ordinarii ac parochi libenter utantur opera religiosorum, praesertim in dioecesi degentium, in sacro ministerio et maxime in administrando sacramento poenitentiae.*

Postquam de clausura religionum longe lateque tractavit, Legislator noster agit de ceteris religiosorum obligationibus. Et primum de sacro ministerio in subditos alienos.

Quocirca est in primis animadvertendum, sacrum ministerium, quum in utilitatem populi fidelis, etiam intra proprias ecclesias, a religiosis exercetur, in

alienos subditos semper exerceri. Quare ministerium huiusmodi, praeterquam auctoritati Superioris religiosi, Ordinarii quoque loci iurisdictioni et, praesertim si extra propriam ecclesiam exerceatur, parochi quandoque iuribus subiicitur. Hinc canon, nedum de loci Ordinariis, sed etiam de parochis loquitur.

Canonis autem haec summa. Si forte, ad consulendum populi necessitatibus (quae, tanquam suprema lex, salva interna disciplina, religiosos quoque tenent), a locorum Ordinariis vel parochis ministerium religiosorum, tum extra tum etiam intra proprias eorum ecclesias aut publica oratoria, requiratur, Superiores religiosi efficere tenentur ut religiosi eorum subditi, a se et nullo alio (internae disciplinae, cuius ipsi soli iudices sunt, habita ratione) designati, illud praestent: idque *praesertim* in dioecesi in qua degunt, quamvis, vi illius verbi *praesertim*, ad id eadem de causa conandum tum etiam teneantur, quum eadem praestatio in alia dioecesi requiritur.

Simul vero tum locorum Ordinariis tum parochis obligatio imponitur, opera religiosorum *libenter utendi* in universo sacro ministerio, sed praesertim (quod religiosos potissimum decet) id administrando poenitentiae sacramento.

Can. 609.

§ 1. *Si ecclesia, apud quam residet communitas religiosa, sit simul paroecialis, servetur, congrua congruis referendo, praescriptum can. 415.*

§ 2. *In ecclesia religiosarum a votis sive sollemnibus sive simplicibus paroecia erigi nequit.*

§ 3. *Advigilent Superiores ne divinorum officiorum in propriis ecclesiis celebratio, catecheticae instructioni aut Evangelii explanationi in ecclesia paroeciali tradendae, nocumentum afferat; iudicium autem utrum nocumentum afferat, necne, ad loci Ordinarium pertinet.*

Canon agit de casu quo ecclesia religiosorum paroecialis simul fuerit vel non: si fuerit paroecialis, paragraphus tertia huius canonis ad eam non pertinet; si vero paroecialis, ut plerumque accidit, non fuerit, tunc ad eam non pertinet paragraphus prima. Nunquam autem, ad normam paragraphi secundae, paroecia erigi potest (et ratio evidentissima est) in ecclesia religiosarum cuiuscumque generis.

Si igitur in ecclesia religiosorum erecta fuerit (et ipsis concredita) paroecia, tum quaenam sint iura paroecialia, quaenam vero religiosae communitatis, ex can. 415 apparet, congrua congruis referendo: quae, nempe, in eo canone iura Capitulo canonicorum tribuuntur, hic communitati religiosae tribuenda sunt; cetera ad parocum pertinent.

Si autem in ecclesia religiosorum paroecia erecta non fuerit, tunc in celebrandis divinis officiis aliqualis ratio habenda est ecclesiae paroecialis, in cuius territorio sita est domus religiosa. Ad rem, et merito, cl. Vermeersch (*Epitome*, ed. IV, tom. I, n. 710): *Canon iste prudentem explanationem requirit. Mens eius*

clara est. Parochus cuius munus est, post Episcopum, catechismum docere et evangelio pascere populum suum, quin id cum fructu faciat a regularibus (seu, exactius, a religiosis cuiuscumque generis) *impediendus non est. Rursus autem integrum est religiosis fideles ad suas Missas et praedicationes admittere, etsi, quo maior sit in una ecclesia frequentia populi, eo minor per se erit in aliis ecclesiis: quod tamen detrimentum multis bonis compensatur. Nam caput, tandem aliquando, est ut populus devotione crescat et audiat explicationem catechismi et evangelii; secundarium est, utilitatem istam hic potius quam alibi procurari.* Excessus, nempe, hinc inde vitandi sunt. Haec a loci Ordinario sunt perpendenda, eiusque iudicio subiiciuntur. Qui, si Superior religiosus, ab eo monitus, monitionem neglexerit, rem ad Ap. Sedem deferre potest.

CAN. 610.

§ 1. *In religionibus sive virorum sive mulierum, quibus est chori obligatio, in singulis domibus ubi quatuor saltem sint religiosi choro obligati et actu legitime non impediti, et etiam pauciores, si ita ferant constitutiones, debet ad normam constitutionum quotidie divinum officium communiter persolvi.*

§ 2. *Missa quoque officio diei respondens secundum rubricas quotidie celebrari debet in religionibus virorum et etiam, quoad fieri possit, in religionibus mulierum.*

§ 3. *In eisdem religionibus sive virorum sive mulierum, sollemniter professi qui a choro abfuerunt, debent, exceptis conversis, horas canonicas privatim recitare.*

1. *In religionibus* etc. — Paragraphus prima canonis (et consequenter etiam secunda) tenet omnes religiones, cuiuscumque generis, non exclusis domibus religiosarum votorum simplicium quibus ex probatis constitutionibus est obligatio chori (Pont. Commissio, 20 maii 1923); paragraphus vero tertia tenet, ut facile patet, tantummodo religiones votorum sollemnium. Quare sane non intelligimus quomodo cl. Vermeersch (*Epitome*, ed.4, I, n. 711) scribere possit: « Apud Congregationes religiosas obligatio chori *ex solis constitutionibus* metienda est ». Chori autem obligatio derivare potest ex constitutionibus, legitima consuetudine, tabulis fundationis domus, decreto Ap. Sedis. Illae igitur religiones, quae ex quacumque legitima causa tenentur ad chorum, obligationem huiusmodi ad normam huius canonis implere debent. Scilicet, vi iuris communis, in qualibet earum domo quotidie officium divinum communiter, ad normam constitutionum, persolvendum est, quoties quatuor saltem adsint religiosi choro obligati et actu legitime non impediti. Quocirca haec sunt animadvertenda: — 1. Obligatio chori, quando adest, domum in primis, sive formata sit sive informis (cfr. can. 488 n. 5), et quidem graviter, tenet, et consequenter Superiorem, qui et domus personam gerit et in ea regularem disciplinam servare debet. Hinc vero nulla obli-

gatio complendi numerum, de quo infra, per consodales qui eidem domui addicti non fuerint. — 2. Obligatio chori evanescit, si eidem domui addicti non fuerint saltem quatuor religiosi choro obligati. Excipitur casus, quo constitutiones religionis tenuiore numero (non tamen minus quam duo, nam secus *chorus* nec intelligitur) contentae sint: in hoc enim casu standum est constitutionibus. — 3. Tum vero religiosi domui addicti tanquam *choro obligati* habendi sunt, quum, vi constitutionum, officio divino recitando destinantur. Proinde choro non obligantur conversi, qui destinantur laboribus manualibus. Num obligentur novitii non conversi, doctores dissentiunt: unde dubium iuris, quo extante, lex non urget (can. 15). Verius tamen novitii ad chorum non obligantur, quum, utpote in religionem nondum incorporati, nulla status religiosi obligatione proprie teneri possint. — 4. Denique toties obligatio chori quoad domum suspenditur, quoties statutus choralium numerus ex eo attingi non possit, quod quis eorum sit actu legitime impeditus, nempe vel ex necessitate vel ex legitimo Superioris consensu; quod si legitimum non fuerit impedimentum, obligatio quidem chori suspenditur, at illegitime absens, eius suspensionis causa, legem graviter transgreditur. — 5. Haec ex iure communi. Praeterea vero domus religiosa a chori obligatione eximi potest per dispensationem Ap. Sedis; singuli autem religiosi, etiam extra casum de quo in can. 589 § 2, dispensari possunt, tacente iure communi, ex iusta et rationabili causa, a Superioribus religiosis ad normam constitutionum.

2. *Missa quoque* etc. — Ad substantiam divini officii in choro persolvendi pertinet Missa conventualis officio diei respondens, quae proinde per se quotidie, secundum rubricas, celebranda esset in omnibus domibus religiosis, in quibus officium divinum choraliter persolvitur. Jam vero, dum in religionibus clericalibus nulla, in laicalibus autem virorum parva, ex adverso in religionibus mulierum magna quandoque difficultas, ob celebrantium penuriam, intercedere potest ad sacrum quotidie celebrandum. Hinc praescriptum huius paragraphi, vi cuius in domibus quidem religionum virilium quoties urget obligatio chori, urget quoque obligatio Missae conventualis; in domibus vero religionum muliebrium eadem obligatio eatenus urget, quatenus adimpleri potest.

3. *In eisdem religionibus* etc. — Titulus, vi cuius ad divinum officium recitandum quis teneri potest, triplex est: ordo maior (can. 135), beneficium ecclesiasticum (can. 1475) et professio religiosa sollemnis, de qua hic agitur. Proinde regulares ac moniales post professionem sollemnem; itemque religiosi universi in sacris constituti vel qui beneficium, quod in saeculo habebant, nondum amiserint (cfr. can. 584): quoties officium divinum in choro non persolverint, ex iure communi semper tenentur, exceptis conversis, ad privatam eiusdem recitationem. Sed possunt religiosi ex alio quoque titulo, praeter professionem sollemnem, ad privatam divini officii recitationem teneri: nempe ex praescripto constitutionum, post emissam primam professionem, prouti supra vidimus (cfr. comment. ad can. 578),

CAN. 611.

Omnes religiosi, sive viri sive mulieres, libere possunt mittere litteras, nulli obnoxias inspectioni, ad Sanctam Sedem eiusque in natione Legatum, ad Cardinalem Protectorem, ad proprios Superiores maiores, ad Superiorem domus forte absentem, ad Ordinarium loci cui subiecti sint et, si agatur de monialibus quae sub regularium iurisdictione sunt, etiam ad Superiores maiores Ordinis; et ab istis omnibus praedicti religiosi, viri aut mulieres, litteras item nemini inspiciendas recipere.

Vi voti obedientiae religiosi universi legitimis Superioribus in omnibus subsunt. Quare, sicut hi invigilare debent ne inutili collocutione disciplina perturbetur et spiritus religiosus detrimentum patiatur, debent *a fortiori* invigilare ne effectus huiusmodi perniciosi e litterarum commercio exoriantur. Hinc in constitutionibus cuiusque religionis Superioribus facultas fit, plus minusve extensa, litteras subditorum inspiciendi et, si opportunum duxerint, intercipiendi.

Quocirca canon, quem explicamus, quasdam exceptiones statuit nempe pro litteris ad ipsos Superiores, necnon ad Ap. Sedis Legatum, ad Cardinalem Protectorem et quandoque ad loci Ordinarium transmittendis vel ab iisdem provenientibus. Nituntur autem exceptiones huiusmodi in facto, quod nulla hic adest ratio inspiciendi. Quoad quasdam alias, sed rarissimas, exceptiones a iure communi statutas, cfr. can. 2023, 2024, 2025 et 2037 de processibus beatificationis et canonizationis Sanctorum.

Quaeri autem potest quandonam vir religiosus loci Ordinario subiectus censendus sit ad effectum canonis. Et videtur respondendum, id tantummodo ac semper locum habere quum agitur de religione non exempta ab Ordinariorum potestate; religiosorum namque, quoad subiectionem Ordinario loci, duplex est genus: eorum qui loci Ordinariis subsunt et eorum qui hac subiectione exempti sunt. Quocirca cl. Fanfani (*De iure religiosor.* n. 321), quaerens utrum religiosi exempti habendi sint tanquam loci Ordinario subiecti, ait: « Respondendum videtur negative, *saltem* post religiosam professionem ». Sed quare verbum illud *saltem* fuerit interiectum, non apparet: quandoquidem eodem prorsus iure, quoad exemptionem a potestate Ordinariorum localium, censentur novitii ac professi religionum exemptarum (can. 567 et 615); statim, nempe, ac vir e saeculo in religionis exemptae novitiatum ingreditur ac per omne tempus quo in probatione manet, pertransire intelligitur e subiectione Praelati saecularis ad Praelati regularis subiectionem, idque plene, quamvis ad experimentum.

CAN. 612.

Praeter praescriptum can. 1345, si loci Ordinarius ob causam publicam sonitum campanarum, preces aliquas vel sacra sollemnia indicat, religiosi omnes, etiam exempti, obedire debent, salvis constitutionibus et privilegiis suae cuiusque religionis.

Canon respicit casus quosdam, in quibus religiosi exempti, et *a fortiori* ceteri, loci Ordinarii praecepto, perinde ac clerus saecularis, parere debent. Nullum inde vulnus in privilegio exemptionis: agitur enim de casibus, qui intersunt populi fidelis, Ordinarii localis iurisdictioni subiecti. Et ceterum sarta tectaque servantur, nedum apostolica privilegia domui vel religioni antea concessa, verum etiam integrae constitutiones religionis, quibus, utpote ab Ap. Sede probatis, loci Ordinarius contradicere non potest.

In primis igitur Legislator commemorat praescriptum can. 1345, vi cuius, si loci Ordinarius praeceperit ut in Missis, quae, *fidelibus adstantibus,* diebus festis de praecepto in ecclesiis et oratoriis *publicis* celebrantur, brevis Evangelii aut doctrinae christianae explanatio fiat, *hac lege tenentur... etiam religiosi, exempti quoque, in suis ipsorum ecclesiis.*

Deinde Legislator praecipit, ut eodem modo pareant religiosi omnes, etiam exempti, quoties loci Ordinarius *ob causam publicam* sonitum campanarum, preces aliquas vel sacra sollemnia indixerit. Hactenus de obligationibus religiosorum; modo de privilegiis videamus.

CAPUT II

DE PRIVILEGIIS.

CAN. 613.

§ 1. *Quaelibet religio iis tantum privilegiis gaudet, quae vel hoc in Codice continentur, vel a Sede Apostolica directe eidem concessa fuerint, exclusa in posterum qualibet communicatione.*

§ 2. *Privilegia quibus gaudet Ordo regularis, competunt quoque monialibus eiusdem Ordinis, quatenus eorum sint capaces.*

1. *Quaelibet religio* — Novam hanc paragraphum, celeberrimam atque vexatissimam, primum per partes explicabimus. Quaelibet igitur religio seu virilis seu muliebris, seu exempta seu non exempta, seu iuris pontificii seu (saltem hypothetice) iuris dioecesani, huius paragraphi praescripto comprehenditur.

2. *Iis tantum privilegiis* — Ad normam can. 63, § 1, privilegia ecclesiastica acquiri possunt per directam concessionem, per communicationem, per consuetudinem et per praescriptionem. Fontes huiusmodi privilegiorum patent, ex iure communi, universis personis ecclesiasticis, quatenus eorum sint capaces (cfr. comment. ad can. 63) ac proinde etiam religiosis. Quare, si quod privilegium religio aliqua, eiusve provincia aut domus per praescriptionem vel forte per consuetudinem acquisierit (de quibus privilegiis nihil in hac paragrapho quam explicamus), privilegium huiusmodi, utpote ius legitime quaesitum, post promulgationem Codicis i. c. ex praescripto can. 4 dimetiendum est.

3. *Gaudet* — Nempe post Codicis promulgationem et sub imperio iuris eo-

dem Codice contenti; idque secundum, praeter vel contra ius privilegiatum, quo ante Codicem nostrum religiosi gaudebant.

4. *Quae vel* — Haec paragraphus agit, ut supra innuimus, tantummodo de privilegiis religioni universae per directam concessionem vel per communicationem derivantibus, quaeque proinde ab una Ap. Sede provenire poterant vel in futurum provenient. Et quoad haec privilegiorum genera enumeratio, quae in paragrapho exhibetur, omnino *taxativa* est; scilicet agitur de enumeratione plena, quae omnia prorsus eius generis privilegia comprehendit.

5. *Hoc in Codice continentur* — Primus fons privilegiorum, quae religiosis post Codicis promulgationem iure et facto competere possunt, in ipso Codice positus est ac praesertim in hoc capite *De privilegiis,* quod modo explicare incepimus.

6. *Vel a Sede Apostolica directe* — Alter privilegiorum fons est Ap. Sedes, nempe quatenus privilegia religionibus directe concessit vel in posterum concedet: nam secus, quum et ipse Codex noster ab una Ap. Sede immediate processerit, alter hic privilegiorum fons idem esset cum primo.

7. *Eidem concessa fuerint* — Non scripsit Legislator *concessa sunt* vel *fuerunt* aut *concedentur* sed « concessa *fuerint* », idque fecit ut cuiusque temporis, tum praeteriti seu quod Codicem praecessit, tum futuri seu quod Codicis promulgationi subsequetur, privilegia comprehenderet directe concessa: verisimiliter namque Ap. Sedes nova in futurum privilegia huic vel illi religioni concedet et vetera beneficia novis cumulabit.

8. *Exclusa in posterum* — idest post momentum temporis, quo Codex i. c. tenere coepit, nempe post diem 18 maii 1918. Post hoc igitur temporis momentum, quaelibet privilegiorum inter religiones communicatio, habenda est tanquam exclusa, intercepta, suppressa, e medio sublata, ita ut e foro ecclesiastico omnino evanescat.

9. *Qualibet communicatione.* — Privilegii « communicatio » est factum, seu effectus quidam peculiaris, legi innixus, privilegii quibusdam personis directe concessi; factum, inquam, iuridicum, quod nempe, quousque legi innititur, iura parit aut adimit. Factum huiusmodi in posterum *excluditur,* hoc est amplius in posterum contingere non potest, perinde ac per can. 396 § 2 excluditur in posterum factum optionis capitularis. Quare, firmis manentibus privilegiis originariis ab Ap. Sede ante Codicem directe concessis aut in posterum directe concedendis, horum privilegiorum effectus, qui ante Codicem in eorum simultanea participatione consistebat, post Codicem omnino cessavit. Unde habes hic canonis paragraphum, vi cuius, ad normam can. 4 tandem aliquando *expresse revocantur* privilegia omnia, a Leonis Pp. X constit. *Dudum* (10 dec. 1519) usque ad Codicis nostri promulgationem, a religionibus per meram communicationem participata.

10. Quae quidem paragraphi interpretatio, nostra sententia evidens et certa, ob gravitatem consectariorum (quamvis in probandis constitutionibus, ad nor-

mam Codicis recognitis, verisimiliter minuendam ab Ap. Sede, quae plura fortasse privilegia ante Codicem per communicationem participata sponte largietur per directam concessionem) a nonnullis canonistis attenuata quandoque vel etiam explosa est. Horum doctorum argumenta cl. Vermeersch (*Epitome,* ed. 4, I, n. 713), ita perstringit: *Ut cessent privilegia a S. Sede concessa et quae in usu sunt, can. 4 expressam postulat revocationem, quae, in casu praesenti, eo magis formalis et perspicua expectanda esset, quo de re graviore et generaliore quaestio agitur. Non satis ergo expressa videtur revocatio, quae indirecte resultaret ex dispositione positiva can. 613 § 1, praesertim cum aliter intelligi queat. Atque a mente legislatoris prorsus alienum videtur, Ordines ab avita privilegiorum possessione (quae cum pluries centenaria sit, per se sola praesumptionem privilegii induceret) deturbare, et sic non modicas dubietates et molestias creare: non modicum enim negotium est originem (quae triplex esse potest: concessio, possessio, communicatio) accurate distinguere singulorum privilegiorum quibus utuntur. Id praecipue arduum fuerit, privilegia quae solo usu seu consuetudine nitantur ab iis quae a communicatione privilegiorum repetenda sunt, secernere. Jam vero, interpretatio ex contextu et ex mente legislatoris anteponenda est interpretationi quae inhaeret soli litterae, alterius expositionis capaci. Quare, nisi contraria intercesserit declaratio authentica, religiosi suis privilegiis tuto uti pergent. Quam sententiam in ipsa Urbe receptam esse novimus. « Monitore » 1918, p. 194 et 366, refert applicationem can. 613 esse suspensam, donec S. C. de Religiosis privilegia singularum religionum non recognoverit.* Sed haec omnia, minime facere videntur ad intentionem auctoris probandam. Et revera cl. Vermeersch primum obiicit quod *can. 4 expressam postulat revocationem:* sed verba can. 613 § 1 *iis tantum privilegiis gaudet* et *exclusa in posterum qualibet communicatione,* nempe factum communicationis, quod usque ad promulgationem Codicis i. c. semper contigerat, expressam et apertissima revocationem seu interceptionem continere videntur. Deinde obiicit, quod can. 613 (idest verba allata) *aliter intelligi queat.* Quam quidem assertionem cl. auctor nullo argumento probat, sed ex eo potissimum derivare videtur, quod contraria sententia non sit unanimis. Nos autem, post nostram nuper exhibitam primae paragraphi explicationem, huic obiectioni non aliter ac cl. Chelodi (*Jus de personis,* ed. I, n. 280) respondendum censemus, nempe: « Canonem 613 *ingenue legenti,* sensus verborum perspicuus elucet ». Tertio obiicit suffragare religiosis possessionem pluries centenariam, quae *per se sola praesumptionem privilegii induceret,* seu, ad normam can. 63 § 2, inducit praesumptionem *concessi* privilegii, nempe sub quolibet titulo ad probandum aptiore, ac proinde etiam sub titulo praescriptae consuetudinis vel directae concessionis. Hoc verum. Sed verum quoque est iuris praesumptionem, de qua hic agitur, veritati semper cedere oportere: ideoque privilegia per communicationem possessa nullimode converti possunt in privilegia possessa per directam concessionem aut consuetudinem legitime praescriptam. Quarto cl. auctor instando obiicit, *non modicum esse negotium originem... accu-*

rate distinguere singulorum privilegiorum, quibus huc usque usi sunt religiosi. Quod etiam verum est, imo haec proprie ratio, quare, ut infra videbimus, S. Congr. de Religiosis, Codice i. c. promulgato, omnium religionum privilegia perpendenda susceperit. Proinde haec quoque obiectio evanescit. Quinto obiicit, *interpretationem ex contextu et ex mente legislatoris anteponendam esse interpretationi quae inhaeret soli litterae, alterius expositionis capaci.* Sed ex adverso, videmur demonstrasse nos *litterae,* in casu de quo agitur, nullam inesse *alterius expositionis capacitatem,* ac propterea adamussim esse servandum praescriptum can. 18, vi cuius leges ecclesiasticae *intelligendae* sunt secundum propriam verborum significationem. Sexto denique cl. auctor affirmat posse religiones *suis privilegiis tuto uti..... nisi contraria intercesserit declaratio authentica.* Quod quidem et nos libenter admittimus, tamen ex alia prorsus causa quam ex obscuritate legis: quod, nempe, Ap. Sedes huius canonis observantiam hactenus urgere noluerit. Statim vero ac singularum religionum privilegia a S. Congr. de Religiosis diligenter fuerint perpensa, nequaquam *authentica declaratio,* qua opus non est, verisimiliter prodibit, sed potius *decretum,* quo privilegia per can. 613, § 1 suppressa recensebuntur: idque ita, ut quae recensita non fuerint, tanquam directe concessa exinde habeantur.

11. *Privilegia quibus* etc. — Moniales, quicumque fuerit Ordo regularis ad quem pertinent, unam cum eo familiam constituunt, sive Superioribus regularibus subsint, sive per exceptionem subsint Ordinario loci. Proinde, quum privilegia religioni universae concessa intelligantur, moniales quoque eadem, quatenus capaces sunt, privilegia participant. Quatenus capaces sunt: sunt enim plura privilegia regularium, quibus feminae non sunt capaces, veluti privilegia quae ad exercendam potestatem ordinis vel iurisdictionis spectant. Non restant agitur, nisi privilegia mere *passiva,* quae plerumque (ex. c. indulgentiae ceterique spirituales favores) ad propriam sanctificationem pertinent.

CAN. 614

Religiosi, etiam laici ac novitii, fruuntur clericorum privilegiis de quibus in can. 119-123.

Itaque gaudent in primis religiosi iis privilegiis, quibus clerici gaudent, nempe privilegio canonis (can. 119), fori (can. 120), immunitatis (can. 121), et competentiae (can. 122): hisce privilegiis religiosi, quo usque religiosi permanserint (cfr. can. 123), eodem prorsus modo iisdemque conditionibus ac clerici gaudent.

Quod religiosi laici (et ideo etiam religiosae), postquam professionem emiserunt, privilegiis clericalibus gaudeant, nihil mirum: eadem namque utrobique ratio subest, nempe quod Deo peculiari modo sint mancipati; clerici quidem per primam tonsuram, religiosi vero per votorum professionem. At non ita facile, prima fronte, id intelligitur de novitiis, nempe de iis qui religiosam professionem

nondum emiserunt. Si tamen res diligentius perpendatur, iam patet, novitiis, quo usque tales perseverant, suffragari praesumptionenem professionis in futurum peragendae, idest voluntatis, tum novitii tum religionis, in futurum protensae; novitius enim hanc voluntatem non fovens, recte praesumitur religionem dereliquisse; religio autem novitium dimisisse. Proinde in animo tum novitii tum religionis omnia adsunt, quae ad religiosum efficiendum substantialiter requiruntur, quamvis desint formae exterioris sollemnitates, ad validam professionem necessariae. Vel etiam, si magis placet, novitiorum conditio aequiparari potest conditioni foetus humani nondum in lucem editi: qui, quamvis, ut habet Papinianus, *homo non recte fuisse dicatur* (fr. 9, § 1, *ad legem Falcid.*, XXXV, 2), tamen, apud Paulum, *perinde ac si in rebus humanis esset, custoditur, quotiens de commodis ipsius partus quaeritur* (fr. 7, de statu homin., I, 5); scilicet interea maternis religionis privilegiis gaudet.

Can. 615

Regulares, novitiis non exclusis, sive viri sive mulieres, cum eorum domibus et ecclesiis, exceptis iis monialibus quae Superioribus regularibus non subsunt, ab Ordinarii loci iurisdictione exempti sunt, praeterquam in casibus a iure expressis.

1. Privilegii exemptionis nomine, venit hic subductio regularium a iurisdictione Ordinarii localis, cui antea regulares et subiecti fuerunt et subiici debebant. Ad rem cl. Wernz *(Ius decretal.*, III, n. 701), ex quo, ob leviorem horum commentariorum naturam, adminicula historica pro more desumimus: *Si de origine historica exemptionis regularium quaeratur,* ait, *profecto primis quinque vel sex saeculis regulares, qui plerumque erant laici atque monasteria independentia incolebant, iurisdictioni Episcoporum fuerunt subiecti. Quae regularium subiectio nonnisi paulatim atque per gradus commutata est in exemptionem. Crescente enim numero clericorum inter ipsos monachos, pronum fuit ut Abbates sacerdotio insigniti, ad instar parochorum et praelatorum inferiorum, ex ipsa concessione Episcoporum in suos monachos stabilem et immediatam obtinerent curam. Porro ex nativa indole monasterii independentis suadebatur, ut monachi liberum haberent ius sibi eligendi Abbatem atque ordinandi res domesticas. Quo in iure cum non raro etiam ab Episcopis perturbarentur, nihil mirum. quod sibi procurare studuerint R. Pontificis protectionem, tempore medii aevi adeo efficacem. Quae protectio et tutela Sedis Apostolicae certe saltem viam paravit privilegio exemptionis.*

At exemptio, ita pergit cl. auctor, *non illico per legem quandam generalem regularibus fuit concessa (huiusmodi enim lex generalis ne nostra quidem aetate existit); sed per indulta specialia monasteriis vel Ordinibus particularibus data et stricte probanda (cfr. c. 7 et 8 X, de dom. rel., III, 36; c. 7 X, de privil., V, 33; c. 7, de privil., V, 7, in Sext.), nonnisi paulatim in praxim quandam, commu-*

niter receptam, transiit. Cuius exemptionis regularium, saltem a iurisdictione Episcoporum, prima exempla saeculo sexto in Ecclesia Africana occurrunt, ubi tamen monachi ordinariae potestati Episcoporum subducti, non R. Pontifici, sed Primati Carthaginiensi fuerunt subiecti. Similis praxis iam inde ex saeculo septimo vigebat in Patriarchatu Constantinopolitano, ubi, teste Thomassino (l. c., P. I, l. 3, cap. 31, n. 15), qui exemptioni regularium parum favet, « bene multa coenobia ab Episcoporum dioecesanorum spirituali iurisdictione prorsus erant absoluta et uni immediate subiecta Patriarchae Constantinopolitano et Exarco patriarchali, quem ille ad omnium omnino monasteriorum administrationem delegabat ».

In Ecclesia quoque occidentali, subdit, *a tempore Gregorii M. exemptio per indulta Rom. Pontificum maiori minorive ambitu monasteriis fuit concessa; authentica vero documenta, quibus plena exemptio a iurisdictione episcopali cum immediato regimine Sedis Apostolicae comprobetur, illis saeculis post Gregorium M. non adeo frequenter reperiuntur. At saltem ex saeculo undecimo Instituta religiosa ita passim obtinuerunt privilegium exemptionis, ut nunc vera quaedam religio votorum solemnium non existat, quae ex iure speciali non gaudeat privilegio exemptionis. Cuius disciplinae immutatae et etiam abusuum monumenta in « Decreto » Gratiani et in collectionibus authenticis prostant; nam praeter titulum « de excessibus Praelatorum » (l. V, tit. 31) in « Corpore iuris canonici » existit titulus « de privilegiis et excessibus privilegiatorum » (l. V, tit. 33).*

Cum privilegia exemptionis genuina, concludit cl. auctor, *et saepe etiam ficta, praeter internum regimen monasteriorum extenderentur etiam ad externa ministeria, non paucarum controversiarum et querelarum data est occasio, quibus Concilium Tridentinum atque Rom. Pontificum constitutiones remedium attulerunt.*

Juxta igitur disciplinam ante Codicem i. c. vigentem, omnes religiones votorum sollemnium, ac praeterea quaedam religiones votorum simplicium perpetuorum (veluti religiones Passionistarum ac Redemptoristarum), ex peculiari privilegio sive directe ipsis ab Ap. Sede concesso, sive per communicationem quaesito, exemptae erant, tum quod personas, tum quoad earum ecclesias atque domos, a iurisdictione Episcoporum residentialium, exceptis quibusdam casibus a Conc. Tridentino vel ab Ap. Sede expresse definitis. Hisce in casibus, nempe, regulares loci Ordinario suberant, qui contra eos procedere poterat, vel ex potestate ordinaria, vel tamquam Ap. Sedis delegatus, vel ex utraque potestate simul. Codex i. c. ius vetus substantialiter recepit, privilegium exemptionis primo in legem universalem, ac proinde in ius singulare, convertit, casus omnes exceptos diligentissime definivit, ita ut iam sublatae censendae sint hac in re delegationes a iure.

2. *Regulares* etc. — Exemptionis privilegium solis regularibus (cfr. can. 348, n. 7) a iure conceditur: idcirco pro solis regularibus et praesumitur (arg. ex can. 79) et est late interpretandum (cfr. can.19), ex adverso, quoad religiones votorum simplicium, quibus forte concessum fuerit, et probandum est et stricte interpretandum. De monialibus ac novitiis, cfr. comment. ad can. 613, n. 11 et ad can. 614.

3. *Cum eorum domibus* etc. — Exemptionis privilegium nedum personas regularium afficit, sed eorum quoque loca, nempe domos atque ecclesias. Quanam ratione? Fuerunt Auctores qui censerent, huiusmodi loca ita exempta esse a potestate Ordinariorum localium, ut omnes qui ibidem consistunt, per tempus quo consistunt, et ipsi exemptione fruantur: agi nempe de mero ac genuino privilegio locali, a personali separato, vi cuius ea loca convertebantur in territorium *nullius*. Sed haec sententia probari non potest. Nam in primis ideo tantummodo concessum videtur privilegium locale, ut privilegium personale compleretur ac perficeretur in favorem regularium, non autem in aliorum favorem: quod quidem ad finem exemptionis consequendum necessarium non erat. Sed neque haec sententia videtur conciliari posse cum iurisprudentia Curiae Romanae. Nam S. Congr. de Sacramentis, rogata, *utrum ecclesiae regulares exemptae ad tenorem decreti* (idest « Ne temere ») *existimari possint et valeant tanquam territorium parochi seu Ordinarii, in quorum territoriali districtu sunt sitae, ad effectum adsistentiae matrimonii* - 12 mart. 1910 repondit: *Affirmative*. Si igitur *ecclesiae regulares* (ac proinde etiam domus) haberi possunt tanquam *territorium parochi seu Ordinarii*, absque dubio non possunt haberi tanquam territorium regularium, et ideo eatenus dicendae sunt a loci Ordinarii iurisdictione exemptae, quatenus regularibus inserviunt, non autem quatenus inserviunt ceteris: quatenus, nempe, privilegium locale necessarium est ad sartum tectum servandum in regularibus privilegium exemptionis personalis, et non ultra. Itaque ecclesiae ac domus regularium, per se et praecisione facta ab habitatione et usu eorundem regularium, partes sunt territorii dioecesani et paroecialis.

4. *Ab Ordinarii loci* etc. — E potestate episcopali subducti, regulares aliique, qui quoad exemptionem regularibus aequiparantur, uni R. Pontifici, extra religionem, subsunt. Intra autem religionem, locum Episcoporum tenent Superior Generalis ac provincialis, qui exinde iurisdictione quasi-episcopali gaudere dicuntur; locum vero parochi regulariter tenent Superiores locales.

5. *Praeterquam in casibus* etc. — Videamus ergo summatim et iuxta ordinem canonum quinam sint casus a iure expressi, in quibus regulares privilegio exemptionis non gaudent, ac proinde subsunt potestati ordinariae Episcoporum residentialium. Sunt autem (et hac in re ius novum a veteri aliquatenus discrepat) subsequentes: — 1. Ad normam can. 106, n. 6, ad loci Ordinarium pertinet componere controversias de praecedentia, etiam inter exemptos, quatenus hi collegialiter cum aliis procedant; — 2. ad normam can. 274 n. 6, ius est Metropolitis pontificalia peragendi in ecclesiis regularium suae provinciae; — 3. ad normam can. 286 § 4, Superiores maiores exempti in provincia residentes, ad Concilium provinciale invitati, interesse debent, aut impedimentum significare; — 4. ad normam can. 296 § 1, regulares *missionarii*, qua tales, subsunt iurisdictioni, visitationi et correctioni Ordinarii Missionis; — 5. ad normam can. 337 § 1, potest Episcopus residentialis, etiam in locis exemptis pontificalia peragere; — 6. ad normam can. 358 § 1 et 359 § 1, Abbates de regimine et

unus e Superioribus cuiusque religionis clericalis (exemptis non exceptis), invitati interesse debent Synodo dioecesanae aut impedimentum significare; — 7. ad normam can. 480, eodem fere modo subsunt loci Ordinario regulares, qui alicuius ecclesiae rectores sint; — 8. ad normam can. 497, ad erigendam domum regularium, ad aedificandam vel aperiendam scholam, hospitium aut similis rationis aedem a domo separatam, requiritur consensus Ordinarii loci in scriptis datus; — 9. ad normam can. 501 § 2, Superiores regulares sese intromittere non possunt in causis subditorum, quae ad S. Congr. S. Officii spectant, sed debent causam ad eandem S. Congregationem vel ad loci Ordinarium deferre; — 10. ad normam can. 603 § 1, clausura monialium, quamvis regularibus sint subiectae, est sub vigilantia Ordinarii loci, qui potest in regulares contra eam delinquentes censuris et poenis animadvertere; — 11. ad normam can. 608 § 1, regulares, quum a loci Ordinario vel parocho eorum auxilium requiritur in sacro ministerio ad consulendum populi necessitatibus, salva religiosa disciplina, id praestare tenentur; — 12. ad normam can. 609 § 3, Superiores regulares advigilare tenentur, iuxta Ordinarii loci iudicium, ne celebratio divinorum officiorum in propriis ecclesiis, nocumentum afferat catecheticae institutioni aut Evangelii explanationi in ecclesia paroeciali tradendae; — 13. ad normam can. 612, si loci Ordinarius, ob causam publicam, sonitum campanarum, preces aliquas vel sacra sollemnia indixerit, regulares, salvis constitutionibus privilegiisque suis, parere tenentur; — 14. ad normam can. 616, regulares extra domum illegitime degentes, etiam sub praetextu accedendi ad Superiores, exemptionis privilegio non gaudent, et ideo Ordinarii loci iurisdictioni per omnia subiiciuntur; si vero extra domum, etsi ibidem legitime degentes, delictum commiserint, nec a proprio Superiore praemonito puniantur, a loci Ordinario puniri possunt; — 15. ad normam can. 617, si in domibus vel ecclesiis exemptorum abusus irrepserint et Superior monitus prospicere neglexerit, Ordinarius loci rem ad Ap. Sedem deferre debet; si autem agatur de domo non formata, Ordinarius interim per se providere potest; — 16. ad normam can. 621, regulares, ad quaestuandum extra fines dioecesis ubi eorum domus constituta est, indigent licentia scripto data Ordinarii loci, in quo eleemosynas colligere cupiunt; — 17. ad normam can. 625, Abbates regulares de regimine, ad hoc ut ordines minores conferre et privilegiis honorificis sibi propriis frui possint, debent (intra tres menses ab electione) benedictionem recipere ab Episcopo dioecesis in qua monasterium situm est; — 18. ad normam can. 631 § 1, *parochus* seu *vicarius* regularis, qua talis, subest iurisdictioni, visitationi et correctioni Ordinarii loci; — 19. ad normam can. 690 et 703, regulares erigere non possunt in propriis ecclesiis sodalitates Tertii Ordinis saecularis, aut iisdem concedere usum vestium particularium publice deferendarum, sine praevio consensu Ordinarii loci, qui etiam potest apud eosdem sodalitates visitationem peragere, quod attinet ad bonorum temporalium administrationem; — 20. ad normam can. 708, 713 et 714, ad erigendam in ecclesiis regularium confraternitatem et, quandoque, piam unionem (sicuti cum agitur de

peculiari veste, ut supra n. 19, vel insignibus iisdem assignandis, supprimendis vel mutandis), requiritur vel formale decretum vel saltem consensus Ordinarii loci, cui etiam eaedem sodalitates plus minusve subsunt; — 21. ad normam can. 792, Episcopo ius est, intra fines suae dioecesis confirmationem administrandi in locis quoque exemptis; — 22. ad normam can. 804, regularibus servandae sunt normae, a loci Ordinario statutae, quoad admissionem sacerdotum extraneorum (qui, nempe, ad proprium Ordinem non pertineant) ad Missae celebrationem in suis ecclesiis; — 23. ad normam can. 831 § 3, regulares, quoad stipendia Missarum, subiacent praescriptionibus in dioecesi vigentibus; — 24. ad normam can. 874 § 4, ad audiendas confessiones saecularium vel religiosorum alterius religionis, regulares indigent iurisdictione delegata Ordinarii loci, qui etiam potest eosdem ad periculum subeundum adigere (can. 877) ac iurisdictionem coarctare (can. 878) vel revocare (can. 880); — 25. ad normam can. 876, regulares confessiones religiosarum quarumcumque (novitiis non exclusis) audire non possunt, absque peculiari iurisdictione a loci Ordinario collata; — 26. ad normam can. 915, regulares, benedictionem papalem impertiendi privilegium habentes, hoc privilegio uti nequeunt eodem die et loco quo Episcopus eam impertit; — 27. ad normam can. 919, regulares, nec possunt, in consulto loci Ordinario, promulgare indulgentias suis ecclesiis concessas, quae in Urbe promulgatae non fuerint; nec, absque praevia eiusdem Ordinarii licentia, edere libros, libellos, pagellas, quibus concessiones indulgentiarum recensentur; indulgentiae vero, qua loci Ordinario, sua iurisdictione territoriali innixus, ei parti dioecesis, in qua regulares degunt, concesserit, regularibus quoque prosunt; nec prohibetur idem Ordinarius indulgentias concedere ipsis regularibus eorumve ecclesiis (can. 349, § 2 n. 2); — 28. ad normam can. 938 § 2, illicitum est regularibus administrare infirmis extraneis sacramentum extremae unctionis, extra casum necessitatis, absque licentia, saltem rationabiliter praesumpta, parochi aut Ordinarii loci; — 29. ad normam can. 965, regulares (exceptis Ordinibus monasticis, in quibus Abbas de regimine, qui fuerit presbyter et abbatialem benedictionem receperit, suis, vi saltem simplicis professionis, subditis primam tonsuram et ordines minores conferre potest — can. 964) subduntur, quoad susceptionem ordinum, tum maiorum tum minorum ac primae tonsurae, Ordinario loci ubi sita est domus religiosa: qui proinde inquirere potest de requisitis (can. 997, § 2) et regularem ordinandum praevio studiorum periculo subiicere; — 30. ad normam can. 1155 et 1157, consecratio ecclesiarum regularium exclusive spectat ad Ordinarium loci, si Episcopus, nisi ipse alium delegaverit; nulla autem consecratio vel benedictio ab alio peragi potest, absque Ordinarii loci consensu; idemque de altaribus et campanis dicendum est (can. 1169); — 31. ad normam can. 1261 § 2, regulares tenentur legibus, quas loci Ordinarius tulerit ad cultum divinum sartum tectum ab abusibus servandum, et in hunc finem potest idem Ordinarius eorum ecclesias et publica oratoria visitare; — 32. ad normam can. 1265, 1267 et 1275, SS.mam Eucharistiam regulares (praeter quam in ec-

clesia domui adnexa) in oratorio principali, asservare; itemque, extra festum et octavam *Corporis Christi* inter Missarum sollemnia et ad Vesperas, publice exponere; denique supplicationem Quadraginta Horarum indicere non possunt, abque Ordinarii loci licentia; — 33. ad normam can. 1279 § 1, nequeunt regulares in suis ecclesiis aliisve locis sacris ullam insolitam imaginem exponere, sine Ordinarii loci approbatione; — 34. ad normam can. 1291, 1292 et 1293, tenentur regulares interesse unicae processioni, quae in festo *Corporis Christi* fit (nisi aliter ferat immemorabilis consuetudo, vel, Ordinarii loci iudicio, aliud exigant locorum circumstantiae) ab ecclesia digniori, sicuti et ceteris processionibus, sive consuetis sive, ex publica causa, extraordinariis a loci Ordinario indictis; praeterea vero propriam, intra octavam eiusdem festi, processionem extra suas ecclesias et claustra ducere non possunt (si tum plures processiones eo in loco fiant), nisi eo die et hora ac per vias quas loci Ordinarius praestituerit; denique indigent Ordinarii loci licentia, ut possint quocumque alio tempore quamcumque processionem extra suas ecclesias et claustra peragere; — 35. ad normam can. 1303 § 3, nequeunt regulares a sacerdotibus in suis ecclesiis celebrantibus maiorem, propter *sacrificalia,* stipem exigere, quam loci Ordinarius forte definiverit; — 36. ad normam can. 1334 et 1336, quoties loci Ordinarius petierit et fieri potest sine regularis disciplinae detrimento, tenentur regulares catecheticam institutionem populo tradere, etiam in alienis ecclesiis; quoties autem non exemptos doceant, tenentur insuper servare modum a loci Ordinario forte praestitutum; — 37. ad normam can. 1338 § 2 et 3, 1340 § 2 et 1341 § 1, regulares nequeunt coram non exemptis (exceptis iis, de quibus in can. 514 § 1) vel coram monialibus, quamvis sibi subiectis, concionari, nisi a loci Ordinario data facultate: quam facultatem potest Ordinarius, vel tantummodo post praevium coram se doctrinae periculum concedere, vel concessam revocare, vel, in dubio, adigere regularem ad periculum iterandum; praeterea nec possunt regulares vocare extraneum ad concionandum in suis ecclesiis, nec ipsi in suis ecclesiis, extra dioecesim sitis, concionari, nisi ex licentia vel approbatione Ordinarii eius loci, in quo conciones habendae sunt; — 38. ad normam can. 1343, Ordinarii locorum ius habent concionandi in ecclesiis exemptis sui territorii; dum autem Episcopus concionatur vel coram se concionandum curat, potest, sub certis conditionibus, interdicere ne in aliis eiusdem loci ecclesiis, etiam regularibus, conciones fiant; — 39. ad normam can. 1345, tenentur regulares, si id loci Ordinarius iusserit, diebus festis de praecepto in sua ecclesia vel publico oratorio brevem Evangelii aut doctrinae christianae explanationem coram populo peragere; — 40. ad normam can. 1349, regulares stare debent mandatis Ordinarii loci, quoad *sacras missiones* in suis paroecialibus ecclesiis habendas; — 41. ad normam can. 1386, regulares indigent consensu Ordinarii loci, ad hoc ut eis liceat libros quoscumque edere, in diariis vel periodicis scribere vel eadem moderari; — 42. ad normam can. 1406 n. 7, tenentur regulares ad emittendam coram loci Ordinario eiusve delegato professionem fidei, antequam ad subdiaconatum promoveantur;

sicuti antequam, vel ad sacras saecularium confessiones audiendas, vel ad coram extraneis concionandum, facultatem obtineant; — 43. ad normam can. 1491-1493, ius est loci Ordinario visitandi hospitalia, orphanotrophia ac cetera similia Instituta, quamvis regularibus concredita, quod spectat ad religionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administrationem; vel saltem, si iure quomodocumque legitime quaesito Institutum ab huiusmodi visitatione exemptus fuerit, ius tamen est Ordinario redditionem rationum a regularibus exigendi, sicut etiam invigilandi, ut piae fidelium voluntates in horum Institutorum fundatione expressae plene serventur; — 44. ad normam can. 1356 § 1, beneficia regularia et regularium domus, quibusdam exceptis, tenentur ad tributum pro Seminario dioecesano, quod loci Ordinarius forte imperaverit (can. 1355 § 3); — 45. ad normam can. 1427, regulares loci Ordinario subduntur etiam quoad divisionem paroeciae regularis, eiusve territorii dismembrationem; — 46. ad normam vero can. 1516, loci Ordinario subduntur quoad bona ipsis fiduciarie relictis in favorem dioecesis; — 47. denique, ad normam can. 1579 § 3, regulares loci Ordinario, tanquam iudici primae instantiae, subsunt quoad controversias inter personas regulares, seu physicas seu morales, diversae religionis, vel inter alumnos eiusdem Ordinis laicalis, vel inter regularem et clericum saecularem aut laicum exortas. — Casus a iure expressos, quos hic summatim recensuimus, suis locis aut explicavimus aut explicaturi sumus.

Can. 616

§ 1. *Regulares extra domum illegitime degentes, etiam sub praetextu accedendi ad Superiores, exemptionis privilegio non gaudent.*

§ 2. *Si extra domum delictum commiserint nec a proprio Superiore praemonito puniantur, a loci Ordinario puniri possunt, etsi e domo legitime exierint et domum reversi fuerint.*

1. *Regulares* etc. — Regulares extra domum illegitime degentes, religionis imperio sese, etsi ad tempus, subtraxerunt. Cuinam igitur, per hoc tempus, ecclesiastiae auctoritati subiicientur? Nulla alia suppetit auctoritas, nisi Ordinariorum localium, in quorum territorio degerint: nec enim intelligi potest, R. Pontifice excepto, persona ecclesiastica, quae, vel per temporis momentum, nulli ecclesiasticae auctoritati subsit. Quare Conc. Tridentinum (Sess. XXV, c. 4, *de regular.*) decreverat: *Nec liceat regularibus a suis conventibus recedere, etiam praetextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Qui vero sine praedicto mandato, in scriptis obtento, repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tamquam desertor sui Instituti puniatur.* Jus igitur vetus facultatem puniendi (in qua sane ceterae facultates necessariae et opportunae comprehendebantur: cui enim licet plus, licet etiam quod est minus) loci Ordinariis tribuebat, sed conditionem iuridicam regularis, extra domum illegitime degentis, non definiebat. Quod quidem Codex noster praestitit, exemptos, in casu, non exemptis aequipa-

rando. Quinam autem extra domum illegitime degere censentur? Sane in primis apostatae a religione (can. 644 § 1); deinde fugitivi (ibid. § 3); quibus aliquatenus aequiparari potest is, qui extra domum illegitime degit, etiam sub praetextu accedendi ad Superiores. In praxi vero praesumi potest a domo illegitime abesse eos, qui consuetis litteris testimonialibus, vulgo *Celebret,* praediti non sunt.

2. *Si extra domum* etc. — Altera haec canonis paragraphus agit de regularibus qui extra domum delictum commiserint. Itaque non amplius quaeritur, an regularis a domo legitime vel illegitime absit, sed tantummodo de delicto extra domum patrato. Quocirca prima fronte quis cogitari possit, quadrare hic praescriptum can. 1566 § 1: *Ratione delicti reus forum sortitur in loco patrati delicti;* sed principium huiusmodi hic aptari non potest. Siquidem, ut supra vidimus (cfr. comment. ad can. 502 n. 1), iurisdictio Superiorum regularium non territorialis est, sed personalis; non ergo religio exempta, qua talis, habet territorium a dioeceseon territorio distinctum; unde ipsa quoque ecclesia ac domus regularium, ad dioecesis territorium pertinent. Quum ideo nequeat regularis delictum committere nisi in territorio alieno, allatum antea principium nullimode haberi potest tanquam fundamentum ac distinguendum forum regulare a foro dioecesano. Et inde descendit, quod ius puniendi regularem delinquentem semper in primis et principaliter pertinet ad Superiorem regularem; et quod propterea ius puniendi, loci Ordinario in casu tributum, non est nisi ius suppletorium, nempe negligentiae Superioris regularis, ne delictum, contra iustitiae atque honestatis postulata, impunitum evadat. Est itaque dicendum, tum tantum loci Ordinarium posse regularem delinquentem punire, quum et delictum extra domum regularem commissum fuerit, et Superior regularis fuerit ab eodem Ordinario praemonitus, tum de patrato delicto, tum de obligatione puniendi, et post haec Superior regularis delinquentem punire neglexerit. Ceterum haec disciplina cum iure veteri substantialiter congruit, aiente Conc. Tridentino (Sess. VI, c. 3, *de reform.*): *Ecclesiarum Praelati ad corrigendum subditorum excessus prudenter ac diligenter intendant; et nemo saecularis clericus, cuiusvis personalis* (nempe *privilegii praetextu*), *vel regularis extra monasterium degens, etiam sui Ordinis privilegii praetextu, tutus censeatur, quominus, si deliquerit, ab Ordinario loci, tanquam super hoc a Sede Apostolica delegato, secundum canonicas sanctiones visitari, puniri et corrigi valeat.* Et alibi (Sess. XXV, c. 14, *de regular.*): *Regularis, non subditus Episcopo, qui intra claustra monasterii degit, et extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit: Episcopo instante, a suo Superiore intra tempus ab Episcopo praefigendum severe puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat; sin minus, a suo Superiore officio privetur, et delinquens ab Episcopo puniri possit.* Et inde patet novam cum veteri disciplina substantialiter convenire, quamvis non amplius, iure quo utimur, requiratur ut regularis *ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit,* sed tantummodo delictum certo commissum quodque in foro externo probari possit. Quandonam autem delictum dicitur *extra domum* commissum? Vel, generaliter, quinam patrati delicti *locus* censendus est?

Praetermissis quaestionibus subtilioribus, statim patet, potius quam ubi actus delictuosus initium capit, ibi delictum patratum esse dicendum, ubi idem actus suos naturales, substantiales ac immediatos effectus producit: ita, ex. c., si quis ex italico territorio contra civem Helveticum, intra Helvetiae fines exsistentem, sagittam proiecerit eumque hoc modo graviter vulneraverit, delictum recte haberetur in territorio Helvetico patratum. Contingere ergo potest (seposito elemento territoriali, quod ad rem non facit), ut regularis et intra domum degat et simul extra domum delictum committat, per quod subintret casus a iure exceptus, vi cuius plus minusve loci Ordinarii iurisdictioni subiicitur. Haec, horum commenriorum natura considerata, innuisse sufficiat.

Can. 617

§ 1. *Si in regularium aliorumve religiosorum exemptorum domibus eorumve ecclesiis abusus irrepserint, et Superior monitus prospicere neglexerit, Ordinarius loci obligatione tenetur rem ad Sedem Apostolicam statim deferendi.*

§ 2. *Domus autem non formata manet sub peculiari vigilantia Ordinarii loci, qui, si abusus irrepserint et fidelibus scandalo fuerint, ipse per se potest interim providere.*

1. *Si in regularium* etc. — Prior haec canonis paragraphus respicit tantummodo domus *formatas* (cfr. can. 488 n. 5) religionis exemptae, dum ex adverso paragraphus altera, cui prima contraponitur, respicit tantummodo domos informes. Species facti ex hoc igitur consistit, quod in domo formata et a loci Ordinarii iurisdictione exempta, vel in exemptorum ecclesia, abusus irrepserint. Quidnam abusus? Profecto aliud abusus, aliud legis transgressio: nam iugiter abusus quid habituale et commune secumfert, perinde ac si diceretur *usus*, mos, consuetudo legem transgrediendi. Agitur proinde, in specie, de communi, habituali, et gravi (ut patet), transgressione earum legum, seu disciplinarium seu liturgicarum, quas regulares in suis domibus atque ecclesiis servare tenentur. Si igitur irrepserint abusus huiusmodi, loci Ordinarius, qua custos naturalis ecclesiasticae disciplinae in dioecesi universa, et qua agitur de casu a iure expresso ad normam can. 615, rebus regularium sese immiscere potest, sed tantummodo tanquam consiliarius ac relator: potest, nempe, ac debet in primis, iuris communis auctoritate innixus, Superiorem monere; deinde vero, si Superior regularis ita monitus eosdem abusus reprimere neglexerit, potest ac debet rem ad Ap. Sedem statim deferre.

2. *Domus autem* etc. — Potiori auctoritate gaudet loci Ordinarius, si abusus irrepserint in domo regularium nondum formata, in qua, videlicet, sex ad minus regulares professi (quorum saltem quatuor ordine presbyterali aucti, si agatur de religione clericali) non degunt (can. 488, n. 5), quaeque proinde sub sua peculiari vigilantia manet. Quocirca praetermittendum non est, domos huiusmodi in-

formes, sub imperio veteris iuris, et ad normam constit. Urbani Pp. VIII *Cum saepe contingat* (21 iun. et 22 sept. 1625) et Innocentii Pp. XII constit. *Nuper* (23 dec. 1697), exemptionis privilegio caruisse, quamvis haec disciplina nequaquam esset ubique uniformis. Ad rem cl. Vermeersch (*De religiosis Instit.*, I, n. 365): *Si scriptum iuris consideras, numerus iste, ex C. « Nuper » Innoc. XIII, d. 28 dec. 1697, est in Italia et insulis adiacentibus, definiendus ad sex saltem religiosos, quod ad monasteria erecta ante decretum Urbani VIII, 21 iun,, 22 sept. 1625, et non suppressa C. « Instaurandae » Innocentii X; ad duodecim vero quod ad reliqua monasteria. Atque ita etiam habetur resp. S. Congr. Conc. 26 aug. 1873. Extra vero partes Italiae, nullus numerus requiritur monasteriis quae decretis Urbani VIII sunt tempore priora; in aliis autem videtur usus esse S. Congr. EE. et RR. ut iam pro exemptis habeat Regulares qui sex numero eandem insident domum, praesertim si quattuor ex illis sint sacerdotes. Sic iam 12 maii 1741, in causa Minorum Conventualium, declaravit « Episcopum posse visitare solum quando actu non adsint sex Religiosi »; et C. Leonis Pp. XIII « Romanos Pontifices » eandem videtur laudare sententiam, quam proponunt etiam Craisson (« Manuale iuris can. », n. 2564), Smith (« Compendium iur. can. », n. 455), Huguenin (« Jus canon., De regular. ». art. 15), C. Melchers (« De canon. dioecesium visitatione », p. 12, n. 17). Praeterea, nisi specialia inciderint adiuncta, Sacra Congregatio non instat ut Episcopi suo utantur iure visitandi minores conventus, imo ipsis interdum persuasit ut abstinerent; neque istas domus Episcopi visitare solent. Denique, nisi agatur de iis conventibus quos prius extinctos mox restituit Innocentius X, visitatio et ius Episcopi circumscribuntur iis quae ad ecclesiasticam pertinent disciplinam, exclusa regulari. Visitatio fit ab Episcopo, tamquam Apostolicae Sedis delegato (C. « Ut in parvis », 10 febr. 1654).* Haec ad normam veteris iuris. Codex autem noster, uti supra vidimus, per paragraphum quam modo explicamus, praecise definivit quaenam regularium domus habendae sint tanquam informes. Sed insuper pressius definivit conditionem iuridicam harum domorum. Scilicet, perinde ac domus *formatae,* gaudent exemptionis privilegio: ita ut discrimen inter utrumque domorum genus, positum sit dumtaxat in iure atque obligatione Episcopi, in eas *peculiariter invigilandi.* Sed quo usque pertingit huiusmodi vigilantia peculiaris? Quaenam peculiaria iura hac in re deferuntur Episcopis? *Nihil aliud sane,* ait recte Bondinius in suo egregio tractatu *De privilegio exemptionis* (pag. 68), *nisi quod in ipso canone edicitur.* Quod quidem, ex ipso huius paragraphi contextu, manifeste patet; postquam enim edixit, domum informem *manere sub peculiari vigilantia Ordinarii loci,* quasi ad explicandum quid haec verba significent, ita prosequitur: *qui, si abusus irrepserint et fidelibus scandalo fuerint, ipse per se potest interim providere* Aliis verbis erga domos informes, agendum est loci Ordinariis eodem modo, quo erga domos formatas, usque dum abusus, qui in illis forte irrepserint, *fidelibus* sibi subiectis *scandalo fuerint:* quo in casu loci Ordinarius, si Superior regularis ab eo monitus prospicere neglexerit, potest ac

debet: primum, rem ad Ap. Sedem statim deferre; deinde *potest,* idest si id ei opportunum videatur, *interim* (usquedum, nempe, per Ap. Sedem vel Superiorem regularem provisum fuerit) per se ipse providere, ne ex incuria Superiorum regularium, populus sibi concreditus detrimentum patiatur. Providere autem Episcopus potest per media quae, ad scandalum saltem praecidendum, aptiora videantur, non exclusis poenis ecclesiasticis (cfr. can. 619).

Can. 618

§ 1. *Religiones votorum simplicium exemptionis privilegio non gaudent, nisi specialiter eisdem fuerit concessum.*

§ 2. *In religionibus tamen iuris pontificii Ordinario loci non licet:*

1. *Constitutiones ullatenus immutare aut de re oeconomica cognoscere, salvo praescripto can. 533-535;*

2. *Sese ingerere in regimen internum ac disciplinam, exceptis casibus in iure expressis; nihilominus in religionibus laicalibus ipse potest ac debet inquirere num disciplina ad constitutionum normam vigeat, num quid sana doctrina morumve probitas detrimenti ceperit, num contra clausuram peccatum sit, num sacramenta aequa stataque frequentia suscipiantur; et, si Superiores de gravibus forte abusibus admoniti opportune non providerint, ipse per se consulat; si qua tamen maioris momenti occurrant, quae moram non patiantur, decernat statim: decretum vero ad Sanctam Sedem deferat.*

1. *Religiones votorum simplicium* etc. — Hactenus de religionibus ex Episcoporum residentialium iurisdictione exemptis; modo autem de potestate eorundem Episcoporum in religiones non exemptas. Quocirca in primis animadvertendum est, religiones votorum simplicium per se exemptionis privilegio non gaudere, quamvis quaedam earum (veluti Congregatio SS.mae Passionis et SS.mi Redemptoris) ex peculiari concessione hoc privilegio gaudeant. Proinde nulla in Superioribus huiusmodi religionum potestas iurisdictionalis, sed solummodo potestas dominativa, ex quasi-contractu religiosae professionis descendens: non ergo possunt aut genuinam legem ferre, aut exortas controversias, vel admissas transgressiones per genuinum processum definire, aut easdem transgressiones genuinis poenis ecclesiasticis plectere; sed regimen religionis universae privatim est administrandum, per praecepta, disceptationes ac decisiones *de plano* institutas ac datas et per poenas in constitutionibus sancitas. Si vero quandoque opus fuerit ecclesiastica iurisdictione, recursus fieri debet ad loci Ordinarium.

2. *In religionibus tamen* etc. — Cuius tamen Ordinarii potestas in hasce religiones, suos fines habet. Nam ante omnia, loci Ordinarius nulla in eas dominativa potestate gaudet (nisi forte quandoque, ex constitutionum praescripto, idem Ordinarius habendus fuerit tanquam verus Superior, cui per professionem religiosam obedientia promittatur), sed tantummodo publica iurisdictionis po-

testate, quam habet, et quidem in iure fundatam, in omnes personas, seu physicas seu morales, intra fines dioeceseos exsistentes ac per domicilium, quasi-domicilium vel (hisce deficientibus) meram commorationem dioecesi devinctas. Sed ne id quidem perpetuum est; nam quaelibet religio aut est iuris dioecesani aut pontificii (cfr. can. 488 n. 3): in illas loci Ordinarius eadem potestate iurisdictionali gaudet, qua in alias personas collegiales sibi subiectas, veluti in Capitula canonicorum et confraternitates per modum organici corporis constitutas; in has non item.

3. *Constitutiones ullatenus* etc. — Siquidem, in religionibus iuris pontificii, quibus per approbationem vel decretum laudis (cfr. can. 488 n. 3) R. Pontifex manus apposuit, tria sunt, quae a loci Ordinarii potestate ex iure communi omnino subducuntur. Scilicet in primis, ut patet, non potest immutare (ideoque nec aliquid addere) constitutiones ab Ap. Sede, etiam per merum decretum laudis, probatas. Deinde non potest de re oeconomica cognoscere, excepta collocatione pecuniae cuius dioecesis intersit, vel ad dotem quarumcumque religiosarum pertinentis; itemque contractibus aeris alieni monialium; ratione administrationis ab iisdem quotannis reddenda; alienationibus de quibus in can. 533-535: dum, scilicet, in hisce casibus, seu quia id diocesis interest, seu ob cautelam damni facilius vitandi a iure exceptis, exquirendus est Episcopi (imo quandoque Ap. Sedis) consensus, nihil loci Ordinarius habet videndum in ceteris negotiis, ad bonorum administrationem spectantibus, in religionibus non exemptis iuris pontificiis. Tertio non potest sese ingerere in regimen internum ac disciplinam religiosam, *exceptis casibus in iure expressis.* Casus pro regularibus a iure expressi, quos supra (cfr. comment. ad can. 615, n. 5) recensuimus, respiciunt quoque, quatenus rerum natura patitur, religiosos non exemptos, at alia ratione: siquidem, dum ad exemptos spectant tanquam casus, in quibus normalis exemptio non applicatur, idest tanquam genuini casus *excepti,* ex adverso ad non-exemptos spectant tanquam casus, in quibus applicatur normalis auctoritas Ordinariorum localium, ac proinde quamvis *a iure expressi,* veri casus *excepti* dici non possunt: genuini namque casus excepti pro non-exemptis, sunt tantummodo hi tres, quorum ultimum nunc explicamus. Casus autem *a iure expressi* quoad internum regimen ac disciplinam, reduci posse videntur ad duplicem casum, de quo in § 1 et 2 can. 617: videlicet ad casum, quo in domibus *formatis* aut informibus vel ecclesiis non-exemptorum abusus irrepserint; ceteri casus a iure expressi quoad religiosos exemptos et a nobis, uti diximus, supra recensiti, magis spectare videntur disciplinam externam.

4. *Nihilominus in religionibus* etc. — Peculiaris omnino est conditio iuridica religionum laicalium iuris pontificii, tum virilium tum muliebrium: huiusmodi enim religiones, quia laicales, peculiari Episcoporum residentialium vigilantiae subsunt, quoad internum regimen ac disciplinam. Scilicet loci Ordinarius potest ac debet inquirere de observantia constitutionum, de sana doctrina ac morum probitate, de custodia clausurae, denique de susceptione sacramentorum.

Quod si gravem hisce in rebus abusum forte detexerit, ipsius est eundem quam primum praecidere. Sed alia atque alia ratione pro rerum adiunctis: vel enim irreptus abusus non est magni momenti, et tunc per se omnino consulere potest ac debet, omnia, quae ad casum faciunt et sunt in sua potestate, remedia, etiam poenalia, adhibendo; vel abusus est magni momenti et tunc, si res moram patiatur, negotium universum ad Ap. Sedem deferendum est eiusque mandata expectanda; si vero nullam res patiatur moram, agendum est loci Ordinario et decernendum ut antea vidimus, sed quae decreverit, statim ad Ap. Sedem sunt deferenda. Haec verborum contextu profluere videntur. Codex vero noster ius vetus (quod hic non referimus quia nimis prolixum) in hac provincia et substantialiter servavit et diligentius definivit.

Can. 619

In omnibus in quibus religiosi subsunt Ordinario loci, possunt ab eodem etiam poenis coerceri.

Nec aliter esse poterat: nam eius est punire, cuius est praecipere; vel, si magis placet, qui in me potestatem habet et cui proinde subsum, iugiter punire me potest, ad normam iuris, pro natura potestatis suae. Eatenus igitur possunt religiosi, seu exempti seu non exempti, a loci Ordinario poenis coerceri, quatenus ipsi plus minusve subsunt. Idcirco alumni religionum exemptarum ab eadem Ordinario poenis coerceri non possunt, nisi in casibus *a iure expressis;* alumni autem religionum non exemptarum iuris pontificii, nisi agatur de externa disciplina aut de casibus item a iure expressis disciplinae interioris; dum, e contra, amplissima est potestas Episcoporum in religiones iuris dioecesani, quae, in omnibus quae ad iurisdictionem ecclesiasticam spectant, Ordinario dioecesano *pro tempore,* subsunt. Canon ex iure veteri integre desumptum est.

Can. 620

Per indultum ab Ordinario loci legitime concessum, obligatio legis communis cessat quoque pro religiosis omnibus in dioecesi commorantibus, salvis votis et constitutionibus propriis cuiusque religionis.

Agitur hic de indultis generalibus, quae loci Ordinarius pro dioecesi universa eiusve parte concesserit. Haec indulta, sive a lege dioecesana eximant, sive, ex facultate ab Ap. Sede habita, a lege aliqua iuris communis, ex. c. a lege ieiunii ecclesiastici, religiosis quoque prosunt, non exclusis exemptis: iniquum namque esset, si ex privilegio exemptionis, sicuti ex quolibet alio privilegio, privilegiatus detrimentum capere deberet, quod non perciperet si exemptione careret. Indulta igitur huiusmodi prosunt quoque religiosis universis in dioecesi *commorantibus,* quin necesse sit ut ibi domicilium vel quasi-domicilium habeant:

nemo enim tenetur obligatione *iuris communis,* quae in territorio, ubi actu degit, non viget (can. 14, § 1, n. 3).

Siquidem agitur in hoc canone de dispensatione a lege iuris communis, ad quam (dum obligat) servandam religiosi quoque, ex suarum constitutionum praescripto, teneantur. Ex adverso non agitur de praescripto constitutionum cuiusque religionis, in quas constitutiones, postquam ab Ap. Sede approbatae fuerint, nullam loci Ordinarius potestatem habet. Haec ratio quare canon expresse reservat, contra usum indulti episcopalis, emissa in religione vota et constitutiones cuiusque religionis proprias, quae forte in casu impediant, quominus indultum religiosis prodesse possit.

CAN. 621

§ 1. *Regulares, qui ex instituto mendicantes vocantur et sunt, eleemosynas in dioecesi, ubi eorum religiosa domus est constituta, quaerere valent de sola Superiorum suorum licentia; extra dioecesim vero indigent praeterea licentia scripto data ab Ordinario loci in quo eleemosynas colligere cupiunt.*

§ 2. *Hanc licentiam Ordinarii locorum, praecipue dioecesium finitimarum, nisi gravibus et urgentibus de causis, ne denegent neve revocent, si religiosa domus ex mendicatione in sola dioecesi, in qua est constituta, vivere nullo modo possit.*

1. Agitur in canone de iis tatummodo regularibus, qui *ex instituto mendicantes vocantur et sunt.* Quocirca haec sunt in primis animadvertenda. Initio saec. XIII, ad ecclesiasticam disciplinam, ob congestas praesertim divitias haud parum collabefactam, instaurandam, plures in Ecclesia exortos esse constat Ordines religiosos (inter quos praecipuos Ordinem Praedicatorum et Ordinem Minorum), qui, quoniam nedum individuali sed communi quoque rerum dominio renuntiabant, ac proinde ex eleemosynis ostiatim quaesitis vivebant, Ordines *mendicantes* appellati sunt. Quum autem progressu temporis, ut in humanis evenire solet, hoc quoque sanctissimum perfectae paupertatis institutum ex introductis abusibus plus minusve corruerit, Conc. Tridentinum (Sess. XXI, c. 9, *de reform.*) haec decrevit: *Cum multa a diversis antea Conciliis... adversus pravos eleemosynarum quaestorum abusus remedia tunc adhibita, posterioribus temporibus reddita fuerint inutilia, potiusque eorum malitia ita quotidie magno fidelium omnium scandalo et querela excrescere deprehendatur, ut de orum emendatione nulla spes amplius relicta videatur: statuit ut posthac, in quibuscumque christianae religionis locis, eorum nomen atque usus penitus aboleatur... non obstantibus privilegiis... concessis aut consuetudinibus etiam immemorabilibus.* Celebrata est haec Sessio die 16 iul. 1562. At paullo post (16 maii 1567) Pius Pp. V, hoc Conc. Tridentini decretum authentice interpretando, per suam constit. *Etsi mendicantium,* postquam animadvertit plerosque locorum Ordinarios, *Concilii Tri-*

dentini decretis in pravum sensum retortis,... pauperes Mendicantes eleemosynas petere prohibere pro eorum dumtaxat sustentatione,... haec decrevit: *Quod vero de usu quaestorum eleemosynarum auferendo loquitur,* nempe Tridentinum, *sess. 21, cap. 9, id ad Mendicantium Ordines nullo modo referri posse... decernimus, quin potius cum eleemosynis huiusmodi vivere cogantur, eis id facere liberum omnino esse declaramus.* Post hanc Pii Pp. V constitutionem, amplissima Ordines mendicantes facultate stipem quaerendi usi sunt, usque ad decretum S. Congr. de Religiosis, 21 nov. 1908 editum, in quo S. Congregatio, quia *de eleemosynis colligendis quaestio..... hodie..... ob peculiaria rerum ac temporum adiuncta, in praxi maiores ac frequentiores praesefert difficultates,* ad has praecavendas, ius quaestuationis certis finibus conclusit ac nonnullis cautelis munivit. Ut de appositis tantummodo limitationibus loquamur, Mendicantes suo iure uti non possunt, nisi per Ordinis alumnos, authenticis Superioris litteris praeditos, stipem quaerant, exclusis extraneis (I, n. 5 et 6); item uti non possunt extra dioecesim, ubi eorum domus erecta est, absque scripto consensu Ordinarii eius loci in quo eleemosyna est colligenda (ibid. n. 2): qui tamen consensus, si iuste postulatus, a loci Ordinariis, praesertim finitimis, nonnisi ex graviori et urgentiori causa negari potest (ibid. n. 3); estque habitualis, nempe perdurat usque ad legitimam revocationem (ibid. n. 4). Codex noster hanc disciplinam integre recepit.

2. *Qui ex instituto* etc. — Huius igitur canonis dispositiones respiciunt, ut supra innuimus, solummodo *regulares qui ex instituto mendicantes vocantur et sunt :* extant enim regulares, qui neque sunt, neque ex instituto mendicantes vocantur, veluti religiosi Regulam monasticam S. Benedicti sectantes; extant deinde regulares, qui ex instituto quidem (nempe ex primaeva institutione) mendicantes vocantur, et tamen mendicantes non sunt, scilicet illi, qui, quum Codex i. c. obligare coepit, ex dispensatione Ap. Sedis, ius communis dominii iam obtinuerant, veluti ex. c. Ordinis Praedicatorum alumni; extant denique regulares, ex. c. alumni Ordinis Minorum, antea *de observantia* appellati, et Ordinis Minorum Capulatorum, qui mendicantes et ex instituto vocantur et actu sunt: ad regulares huiusmodi pertinet canon quem modo explicamus (cfr. Pont. Commissionis respons., 16 oct. 1919).

3. *Eleemosynas in dioecesi* etc. — Eleemosynae quaeri praesupponuntur in regionibus, ubi constituta est ecclesiastica hierarchia: nam in ceteris regionibus, peculiaribus rerum adiunctis peculiares normae respondent; praeterea vero, vel ad finem victus quotidiani, vel ad alios fines domus religiosae *proprios,* ceteris exclusis (cfr. Pont. Commissionis respons., 16 oct. 1919). Itaque, quoad quaestuationem quae in *dioecesibus* fit, alio atque alio iure regulares mendicantes utuntur, prouti quaestuatio peragitur in dioecesi ubi eorum domus est constituta, vel extra eandem dioecesim. Si primum, sufficit ad legitime questuandum licentia Superioris regularis competentis; nec refragari potest loci Ordinarius: simul enim cum consensu, ad normam can. 497 § 1 pro domo erigenda in scriptis concesso, censetur loci Ordinarius *pro tempore* omnia ea iura ac privilegia implicite reco-

gnovisse, quae erigendam domum necessario sequuntur; si alterum, opus est, ad legitime quaestuandum, consensu scripto Ordinarii eius dioecesis, in qua eleemosyna est colligenda: hoc consensu deficiente, ius est iis omnibus quorum interest, se gerendi erga quaestorem, tanquam erga illegitime stipem quaerentem.

4. *Hanc licentiam* etc. — Consensus, de quo supra, pendet omnino a voluntate Ordinarii loci. Qui tamen non potest pro mero arbitrio eum denegare, nam ius commune, cui et ipse plenissime subest, quanam ei ratione hac in re agendum sit, taxative definit. Scilicet duplex domorum genus est distinguendum: aliae enim ex mendicatione in sola dioecesi, in qua erectae sunt, vivere possunt; aliae (ob dioecesis inopiam vel exiguam extensionem) non possunt. Si primum, semper ius est loci Ordinario consensum denegandi; si alterum, consensum denegare non potest, nisi gravibus et urgentibus de causis, de quibus iudicium ad loci Ordinarium quidem pertinet, sed contra illud semper patet recursus in devolutivo ad Ap. Sedem. Quum vero a iure communi requiratur causa gravis et urgens, inde sequitur denegatio consensus non amplius sustineri, quum causa vel gravitatem amiserit vel urgere cessaverit. Suntque, uti liquet, verba *ne denegent neve revocent* praeceptiva natura sua, non autem exhortatoria. Denique verba *ne revocent,* exprimunt naturam per se habitualem consensus semel concessi.

CAN. 622

§ 1. *Alii omnes religiosi Congregationum iuris pontificii, sine peculiari Sanctae Sedis privilegio, stipem petere prohibentur; quibus, si hoc privilegium impetraverint, opus erit praeterea licentia scripto data ab Ordinario loci, nisi aliter in ipso privilegio cautum fuerit.*

§ 2. *Religiosi Congregationum iuris dioecesani stipem quaeritare nequaquam possunt sine licentia scripto data tum ab Ordinario loci in quo sita est eorum domus, tum ab Ordinario loci in quo stipem quaerere cupiunt.*

§ 3. *Religiosis, de quibus in §§ 1 et 2 huius canonis, Ordinarii locorum licentiam quaeritandae stipis ne concedant, praesertim ubi sunt conventus regularium nomine et re mendicantium, nisi sibi constet de vera domus vel pii operis necessitate, cui alio modo occurri nequeat; quod si necessitati provideri possit stipe quaerenda intra locum seu districtum vel dioecesim in qua iidem commorantur, ampliorem licentiam ne largiantur.*

§ 4. *Sine authentico et recenti rescripto Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, Ordinarii latini nec sinant orientalem ullum cuiusvis ordinis et dignitatis in proprio territorio pecuniam colligere, nec suum subditum in orientales dioeceses ad eundem finem mittant.*

1. *Alii omnes religiosi* etc. — Supra actum est de regularibus, qui ex instituto mendicantes vocantur et sunt; hic agitur de religiosis Congregationum iuris pontificii. Codex proinde nihil expresse statuit de regularibus, qui nequaquam sunt re ac nomine mendicantes, nec de iis qui, quamvis de facto non amplius sint,

nihilominus tamen mendicantes vocantur. Quocirca probe est distinguendum, nam alia istorum, alia illorum est conditio iuridica: dum enim illi (ex. c. Ordinis S. Benedicti sodales) in nulla dioecesi quaestuationem instituere possunt, nisi loci Ordinario privilegii apostolici, in hunc finem sibi concessi, testimonium exhibeant ac praeterea (nisi in privilegio aliter caveatur) in usum privilegii ipse consentiat; ex adverso, qui mendicantes vocantur ex instituto (nempe ex primaeva origine atque regula et constitutionibus ab Ap. Sede probatis), quamvis nunc temporis de facto mendicantes non sint (veluti ex. c. alumni Ordinis Praedicatorum), privilegium apostolicum quaestuandi nunquam amiserunt, non obstante facultate a Conc. Tridentino (Sess. XXV, c. 3, *de regular.*), *exceptis domibus fratrum Sancti Francisci Capucinorum, et eorum qui Minorum de observantia vocantur,* ipsis facta, in communi possidendi: nam hac facultate uti non tenentur; et, si ea utantur, nihilominus quaestuandi privilegium eatenus adhuc prodesse potest, quatenus bona quae in eorum possessione sunt, ad eos alendos non sufficiant. Non igitur tenentur ad exhibendum loci ordinario testimonium concessi sibi privilegii apostolici: sufficit nomen et Ordinis mendicantis insignia. Et tamen absque Ordinarii loci consensu, ne in dioecesi quidem ubi sita est eorum domus, quaestuare possunt (cfr. responsum Pont. Commissionis, 16 oct. 1919): hoc enim consensu non eximuntur, nisi regulares, qui ex instituto mendicantes vocantur et sunt (can. 621, § 1), quibus (quoniam *nonnisi ex quaestuatione* sese alere possunt) tum loci Ordinarius censetur exercitium privilegii quaestuationis implicite consensisse, quum consensit in erectionem domus. Haec de regularibus in § 1 can. 621 non comprehensis. Et veniamus ad ceteros religiosos, qui vota simplicia profitentur, et in primis ad Congregationes iuris pontificii. Hi, ex eo praecise quod iuris pontificii sunt, absque privilegio apostolico stipem quaeritare non possunt. Sed insuper concesso sibi privilegio uti nequeunt, nisi accedat consensus Ordinarii eius dioecesis, intra cuius fines quaestuare cupiunt. A qua tamen obligatione Ap. Sedes, ut patet, dispensare potest: quare in casu tenor privilegii inspiciendum est.

2. *Religiosi Congregationum iuris dioecesani* etc. — Alia est conditio Congregationum iuris dioecesani, quibus, nempe, nondum Ap. Sedes per decretum laudis manus apposuit: nam Congregationes huiusmodi Ap. Sedes ignorare censetur, nec proinde privilegium quaestuandi iisdem concedit aut negat, sed, sicuti cetera, iuri dioecesano concedendum aut negandum relinquit. Huiusmodi igitur Congregationes, quousque iuris dioecesani esse pergunt, stipem quaeritare possunt ex consensu solius Ordinarii cuius interest, sive ex eo quod domus religiosa, qua de agitur, subiecta ipsi fuerit, sive ex eo quod eleemosynae intra fines suae dioeceseos sint colligendae. Quocirca S. Congr. de Religiosis (*Normae* post Cod. i. c. recognitae, cap. II, n. 14) ita locorum Ordinarios graviter monet: *Cautissime procedendum est in approbandis novis Congregationibus, quae non vivunt nisi ex eleemosynis atque stipe ostiatim collecta. Approbatis* vero *inculcanda est fidelis observantia can. 622, 623 et 624.*

3. *Religiosis de quibus* etc. — Mens Legislatoris ea fuit in hac conflanda paragrapho, ut religiosorum non-regularium quaestuatio ad casus verae necessitatis coarctetur, utque sarta tecta serventur iura regularium, nomine ac re mendicantium, qui nonnisi eleemosynis ali possunt. Quare praecipitur locorum Ordinariis, ne licentiam quaestuandi concedant religiosis huiusmodi, nisi sibi antea constiterit, eos necessitatibus domus vel operum legitime susceptarum alia via occurrere non posse; imo, etiamsi haec necessitas fuerit probata, in quaestuationem extra locum (nempe urbem, oppidum, aut pagum), ubi iidem religiosi commorantur, loci Ordinarius consentire non debet, si per quaestuationem in loco, satis necessitati occurri possit; neque extra districtum ecclesiasticum (nempe extra fines vicariatus foranei) aut denique (quum, nempe agitur de Congregatione iuris dioecesani) extra dioecesim, si ad necessaria suppeditanda districtus vel saltem universae dioecesis territorium sufficiat. Idque locorum Ordinarii ibi praesertim praestare debent, uti sunt conventus regularium nomine et re mendicantium. Quod si utrinque necessitas premat, loci Ordinarius, quantum fieri potest, utrisque de bono et aequo consulere tenetur in licentiis concedendis. Utcumque, negotium universum prudenti Ordinariorum iudicio committitur, qui proinde etiam possunt ac debent, novis rerum adiunctis ita postulantibus, concessas licentias moderari.

4. *Sine authentico* etc. — In paragrapho agitur praesertim de pecunia in dioecesibus latinis ab Orientalibus non colligenda. Extat ha de re decretum, a S. Congr. pro Ecclesia Orientali 7 ian. 1930 editum, quod et quia paragraphum quam optime explicat, et propter eius gravitatem, fere ex integro hic afferendum est: *Saepenumero Apostolica Sedes,* ait S. Congregatio, *normas et decreta edidit de iis rebus... quae vel ad clericos orientales pertinent, vel ad eos, qui huiusmodi titulum usurpantes... domo demigrant et, per exteras regiones cursitantes, eleemosynas quaerunt... clerum et fideles... saepe decipientes.* Post hoc exordium, S. Congregatio commemorat *Epistolam circularem* S. Congr. de Prop. Fide, 1 ian. 1912 datam, necnon *Monitum* quod S. Congr. pro Ecclesia Orientali edidit 2 apr. 1928, et hanc, quam modo explicamus, Codicis paragraphum; et ita prosequitur: *Quoniam gravissimae eiusmodi fallaciae non raro, etiam nunc, ab iis praesertim..... struuntur qui, cum neque clerici, neque Orientales, neque catholici sint, dolo sibi rem atque nomen assumunt: ad fraudes praecavendas et ad consulendum, pro viribus, bonae aestimationi Orientalium, normae alias datae, per hoc decretum... confirmantur atque enucleantur.* Pars autem dispositiva decreti, quae sequitur, sic se habet: — *1. Ad quamlibet in latina dioecesi collectam, sive pecuniae sive stipendiorum Missarum, a quocumque clerico orientali, cuiusvis ordinis et dignitatis, faciendam, omnino necessaria est licentia Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali. — 2. Sacra Congregatio... hanc legem sequetur, ut nunquam licentiam concedat, sive pecuniam quaeritandi sive stipendia Missarum colligendi, pro quovis loco ac quaecumque adducatur causa. — 3. Quod si aliquando, propter adiuncta omnino particularia et ex causa prorsus extraordinaria, hoc permittere iudicaverit, huiusmodi peculiaris concessio ad loca nomi-*

natim determinanda praefinita erit et coarctata; ac simul ipsa Sacra Congregatio Episcopos locorum singillatim et expresse certiores faciet de hac licentia ac de ratione tributae concessionis; firma lege, ut etiam in hoc casu collecta fieri nequeat, nisi de consensu Episcopi. — 4. Nullus ideo Ordinarius, extra casum quo ipsemet a Sancta Sede, vel directe vel per Legatum Romani Pontificis (sive Nuntium sive Delegatum Apostolicum), uti supra statuitur, praemonitus fuerit,... ullo modo concedere poterit vel permittere, ut quaelibet collecta in sua dicione fiat,.., ne in casu quidem, quo stipem quaeritans... quaelibet documenta... cuiusvis dignitatis ecclesiasticae exhibeat, non exclusis iis,... quae exhibeantur uti ab hac Sacra Congregatione prolata. Itemque, neque Ordinarii, neque ecclesiarum rectores poterunt istiusmodi Orientalibus... stipes Missarum suppeditare seu quomodolibet concedere. Quod si fecerint, ipsi respondere tenentur de Missarum celebratione et, pro modo culpae, de auxilio iis praestito quoad pecuniam et stipendia seu intentiones Missarum collecta. — 5. Praesens decretum ad omnes Orientales ubique locorum spectat, iis tamen exceptis, qui in proprio territorio orientali versantur (nempe, exceptis locis, in quibus latina ecclesiastica hierarchia simul cum orientali legitime consistit). — *6. ....Quod si similes casus seu abusus accidant in suis dioecesibus, nomina istorum, qui se esse Orientales dicunt, referant ad hanc Sacram Congregationem et, si res urgeat ac suadeat, deferant quoque ad Magistratus seu Auctoritates civiles loci.* Hucusque de Orientalibus S. Congregatio. Sed, vicissim, Ordinarii latini obligatione tenentur, neminem ex suis subditis in dioeceses orientales ad eundem finem mittendi.

Can. 623

Non licet Superioribus stipem colligendam committere, nisi professis aetate animoque maturis, maxime si de mulieribus agatur, nunquam autem iis qui in studia adhuc incumbunt.

Ji, quibus colligendae stipis munus committitur, et fidelibus exemplum religiosae virtutis esse debent, et vicissim nullum ex quaestuatione detrimentum capere; praeterea vero, ad normam can. 589, religiosis qui in studia incumbunt nullum imponi licet officium, quod eos a studio perturbet: hinc derivare videntur normae in hoc canone contentae, ad quasque servandas Superiores religiosi expresse tenentur, saltem quantum sinunt rerum adiuncta. Ad quaestuandum igitur mitti non possunt nisi ii, qui professionem saltem temporariam emiserint, quique simul, Superioris iudicio, nedum aetate sint, sed animo quoque maturi atque, si de clericis agatur vel laicis ecclesiasticis disciplinis utcumque addictis, universum studiorum curriculum expleverint (cfr. can. 589 § 1).

CAN. 624

Quod vero attinet ad modum in quaeritanda stipe servandum et ad disciplinam a quaestuantibus custodiendam, religiosi utriusque sexus stare debent instructionibus a Sede Apostolica hac de re datis.

Quae Instructiones, per decretum *De eleemosynis colligendis,* 21 nov. 1908 a S. Congr. de Religiosis editum, innovatae, confirmatae atque religiosis viris aptatae, ita resumi possunt: Religiosi quaestuantes semper secum habere debent litteras authenticas de officio quaestuandi sibi commisso, easque, locorum quidem Ordinariis, quoties requirantur, parochis vero ultro exhibere tenentur; non singuli, sed bini, ire debent; si agatur de loco, ubi eorum domus sita est, noctu extra domum manere vetantur; si extra eum locum quaestuationem peragant, apud parochos aliosve clericos vel religiosos, iisque deficientibus apud pium benefactorem, divertere iubentur; extra domum ultra mensem, si in propria dioecesi, vel duos menses, si in alia stipem quaerant, manere prohibentur: nec iterum ad quaestuandum mitti possunt, nisi post transactum in domo tantum temporis, quantum in quaestuatione antea insumpserunt; humilitate, modestia, munditie nitere debent, noxia vitare, pietatem fovere, consueta exercitia pietatis pro viribus adimplere; servandaeque sunt peculiares normae, quas ipsis Superiores praestituere tenentur. Quod si in quaestuando delictum commiserint, locorum Ordinarii in eos animadvertere possunt ad normam can. 616 § 2.

Easdemque fere normas continebat decretum *Singulari quidem,* a S. Congr. Episc. et Regular. die 27 mart. 1896 editum pro religiosis dumtaxat mulieribus. Ambo igitur decreta, quatenus iis per Codicem nostrum derogatum aut aliquid subrogatum non sit, nunc quoque vigere pergunt.

CAN. 625

Abbates regulares de regimine, legitime electi, debent intra tres menses ab electione benedictionem accipere ab Episcopo dioecesis in qua monasterium situm est; postquam vero benedictionem receperint, praeterquam potestate conferendi ordines ad normam can. 964, n. 1, fruuntur privilegiis de quibus in can. 325, excepto pileolo violaceo.

1. *Abbates regulares* etc. — Canon definit quaenam sint privilegia Abbatum regularium de regimine, et conditionem cui, ut prosint, subiiciuntur. Merito igitur canon continetur hoc capite, in quo agitur de privilegiis religiosorum. Itaque Abbas de regimine, seu qui praeest monasterio sui iuris, postquam fuerit legitime electus, obligatione tenetur, salvis privilegiis ab Ap. Sede hac in re concessis, recipiendi intra tres menses, a die electionis supputandos ad normam can. 34 § 3, n. 3, benedictionem abbatialem, et quidem a loci Ordinario, nisi is episcopali dignitate careat aut a dioecesi eo tempore absit.

2. *Postquam vero* etc. — Abbatiali benedictione accepta, Abbas regularis de regimine, ipso iure gaudet potestate conferendi, ad normam can. 964 n. 1, iis qui vi professionis ei subditi sunt, primam tonsuram et ordines minores; praeterea vero, qua Abbas regularis, fruitur, excepto pileolo violaceo, omnibus privilegiis honorificis, quae in can. 325 recensentur, nempe: utendi in locis suae iurisdictionis insignibus pontificalibus cum throno et baldachino, necnon iure ibidem officia divina pontificali ritu celebrandi; insuper deferendi ubique crucem pectoralem et annulum gemmatum.

CAPUT III

DE OBLIGATIONIBUS ET PRIVILEGIIS RELIGIOSI AD ECCLESIASTICAM DIGNITATEM PROMOTI VEL PAROECIAM REGENTIS

Can. 626

§ 1. *Religiosus nequit, sine Sedis Apostolicae auctoritate, ad dignitates, officia aut beneficia promoveri, quae cum statu religioso componi non possint.*

§ 2. *Legitime ab aliquo collegio electus, nequit electioni assentiri sine licentia Superioris.*

§ 3. *Si voto teneatur non acceptandi dignitates, specialis Romani Pontificis dispensatio est necessaria.*

1. *Religiosus nequit* etc. — Religiosus, seu vota sollemnia seu simplicia, etiam temporaria, professus fuerit, quousque talis permanserit, vi voti obedientiae suae voluntatis dominio caret. Praeterea vero dignitates et officia, quae extra religionem conferuntur (veluti Cardinalatus, officium Legati, Vicarii, Praefecti Ap. etc.), cum statu religioso plerumque componi non possunt. Idque etiam de beneficiis (veluti Episcopatus, canonicatus, paroecia) dicendum est. Aliquando denique religiosus, vi ipsarum constitutionum religionis, obligatione tenetur non acceptandi, extra religionem, dignitates, officia, beneficia ecclesiastica; imo etiam (veluti ex. c. apud Carmelitas Discalceatos) id quandoque ex addito voto facere tenetur. Hae rationes, quare dignitates, officia atque beneficia ecclesiastica sunt generatim a religiosa professione aliena et clero saeculari reservata (cfr. can. 1442), nisi forte agatur de dignitatibus, officiis aut beneficiis, maioribus vel minoribus, quae ad religionem pertinent (ibid. et can. 367, § 2) quaeque, ut patet, usquedum legitime renuntiaverit, ipsa religio administrare debet. Exinde descendunt huius et subsequentium canonum praescripta; qui canones, quum quorundam religiosorum et obligationes et privilegia contineant, merito sub titulo de obligationibus et privilegiis religiosorum positi sunt. In primis igitur religiosus nequit, sine Ap. Sedis auctoritate, ad dignitates, officia aut beneficia ecclesiastica pro-

moveri, quae cum statu religioso componi non possunt. Quocirca animadvertendum est, nullas dignitates extare extra religionem, nullaque per se beneficia, quae cum statu religioso ex integro possint componi: nam ipsa beneficia paroecialia, quae nunc temporis religiosis, publica animarum utilitate id postulante, haud raro conferuntur, vitae religiosae coarctationem secumferunt (cfr. can. 630, § 1). Ex adverso plura officia extant, quae cum statu religioso optime componi possunt, veluti ex. c. officium Praedicatoris Apostolici; Consultoris, Qualificatoris vel Theologi in Curia Romana; magistri in scholis ecclesiasticis; examinatoris synodalis vel prosinodalis; censoris librorum etc. Quoties ergo agitur de dignitate, officio aut beneficio cum statu religioso incompatibili, intercedat oportet auctoritas Ap. Sedis, cui, vi quoque voti obedientiae, omnes religiosi tanquam supremo Moderatori subduntur (can. 499, § 1), quaeque proinde, etiam vi unius potestatis dominativae, obligationes ex quasi-contractu professionis religiosae enascentes, mitigare potest; sicuti potest, renuente religioso, officii, beneficii vel dignitatis acceptationem praecipere: et tunc religiosus obtemperare tenetur.

2. *Legitime ab aliquo collegio* etc. — Secus ac antiquitus evenire solebat, nostra aetate exigui sunt casus, in quibus beneficium episcopale per viam electionis vel postulationis confertur. Et hoc modo in Episcopum eligi vel postulari potest vir religiosus. *Eligi* diximus: nam, quum Codex loquatur de *legitime electo,* videtur Legislator sustulisse veterem praxim, per quam religiosi (nempe quia tales, utpote qui suae voluntatis dominium non haberent) ad beneficium episcopale nunquam eligi, sed solummodo *postulari* poterant: scilicet per postulationem, quae *simplex* dicebatur, ut secerneretur a postulatione sollemni, adhibita quoties genuinum impedimentum canonicum electioni obstaret. Nequit igitur religiosus huiusmodi electioni assentiri sine licentia proprii Superioris, ad normam constitutionum religionis; sicuti generatim facere tenetur post quamlibet aliam electionem ad dignitatem vel officium, seu intra seu extra religionem. Quum autem postulatio, non quidem ad postulatum, sed ad eius Superiorem, impedimentum auferendi potestatem habentem, transmittenda sit (can. 181, § 1), nullam Codex de postulatione mentionem facit. Denique si religiosus obstrictus fuerit voto extraordinario de dignitatibus ecclesiasticis non acceptandis, patet, ecclesiasticam eum dignitatem acceptare non posse, nisi prius per R. Pontificem ab eius voti vinculo dispensatus fuerit.

CAN. 627

§ 1. *Religiosus, renuntiatus Cardinalis aut Episcopus sive residentialis sive titularis, manet religiosus, particeps privilegiorum suae religionis, votis ceterisque suae professionis obligationibus adstrictus, exceptis iis quas cum sua dignitate ipse prudenter iudicet componi non posse, salvo praescripto can. 628.*

§ 2. *Eximitur tamen a potestate Superiorum et, vi voti obedientiae, uni Romano Pontifici manet obnoxius.*

1. *Religiosus, renuntiatus* etc. — Canon, una cum duobus subsequentibus, agit de obligationibus ac privilegiis religiosi ad dignitatem cardinalitiam vel episcopalem promoti: et quum episcopatum quoque titularem comprehendat, complectitur implicite omnes Vicarios Apostolicos. Narrat cl. Vermeersch, in audientia diei 2 dec. 1920, R. Pontificem declarasse, can. 627 valere quoque, durante munere, de Praefecto Apostolico. Et sane non solum Vicarii, sed etiam Praefecti Apostolici, quoad officii naturam ac potestatem, Episcopis residentialibus in omnibus aequiparantur (can. 293-311); quare prima fronte non videretur alienum a mente Legislatoris, ut etiam Praefecti huiusmodi, durante munere, in canone comprehenderentur, atque ita eorum conditioni de facto, conditio iuridica responderet. At, praeterquam quod oralis nec promulgata legis interpretatio a R. Pontifice facta, ad normam can. 9 et motuproprio *Cum iuris* (15 sept. 1917, I), et neminem tenet et nullam habet vim authenticae interpretationis, praetermittendum non est, can. 627 consulere praesertim voluisse (uti patet ex inclusis Episcopis titularibus) *dignitati personae,* dum in Praefectis Apostolicis non extat nisi dignitas officii, et quidem amovibilis ad nutum Ap. Sedis, cuius nomine potestatem exercent: quae officii dignitas ac libertas sarta tectaque manet, durante munere, vi litterarum deputationis, quin necesse sit officium natura sua transitorium, in gravissimo can. 627 inclusum censeri. Idque confirmatur ex eo, quod mentio Praefecti Ap., dum, ne implicite quidem, in can. 627 recurrit, recurrit e converso, et explicite, in can. 628, ubi agitur de evectis ad dignitatem episcopalem *vel aliam,* nempe ad qualemcumque dignitatem. Religiosus igitur ad cardinalatum vel episcopatum promotus, qualis erat ante promotionem esse perseverat: proinde omnibus religionis privilegiis frui pergit et obligationibus teneri. Duo tamen excipiuntur, neque levis momenti: in primis illae professionis obligationes, quae cum cardinalitia vel episcopali dignitate, ipsius Episcopi vel Cardinalis iudicio, componi non possunt. Quaenam autem obligationes huiusmodi? Absque dubio quae spectant ad victum, vestes, domesticam supellectilem, quandoque chorum et similia. Itaque statuere quo usque hae obligationes post promotionem teneant, ipsius promoti iudicio remittitur.

2. *Eximitur tamen* etc. — Altera exceptio respicit religionem, et obedientiam vi religiosae professionis ipsi debitam: nam religiosus ad cardinalitiam vel episcopalem dignitatem promotus, vi huius canonis, eximitur a potestate superiorum, vel, quod in idem recidit, a potestate religionis; quae proinde in eum, non solum (si exempta) iurisdictionis, ut patet, potestatem amittit, sed quamcumque potestatem dominativam ex religiosa professione enascentem: in locum autem religionis subintrat R. Pontifex, cui soli promotus subiicitur, etiam vi voti obedientiae. Post promotionem igitur religio rogare quidem potest, sed praecipere non potest: quare, ex hac parte, promotus habendus est tanquam e religione avulsus, in utilitatem Ecclesiae universalis.

CAN. 628

Religiosus ad dignitatem episcopalem vel aliam extra propriam religionem evectus :

1. *Si per professionem dominium honorum amiserit, bonorum quae ipsi obveniunt, habet usum, usufructum et administrationem ; proprietatem vero Episcopus residentialis, Vicarius Apostolicus, Praefectus Apostolicus, acquirit dioecesi, vicariatui, praefecturae ; ceteri, Ordini vel Sanctae Sedi, ad normam can. 582, salvo praescripto can. 239, § 1, n. 19 ;*

2. *Si per professionem dominium bonorum non amiserit, bonorum quae habebat, recuperat usum, usufructum et administrationem ; quae postea ipsi obveniant, sibi plene acquirit ;*

3. *In utroque autem casu de bonis, quae ipsi obveniunt non intuitu personae, debet disponere secundum offerentium voluntatem.*

1. *Religiosus ad dignitatem* etc. — Dum canon qui praecedit, ad dignitatem tantum cardinalitiam et episcopalem generaliter spectabat, hic canon definit conditionem iuridicam religiosi ad quamlibet dignitatem ecclesiasticam extra religionem promoti : sed tantummodo quoad proprietatem, usum, usufructum et administrationem bonorum temporalium. Idque primum in religioso, qui per professionem omne bonorum dominium amiserat. Porro, ad normam can. 579, sola professio sollemnis dominii capacitatem perimit. Regulares ergo, ad quamcumque dignitatem ecclesiasticam extra religionem promoti, incapaces esse pergunt cuiuscumque dominii quoad bona ipsis obvenientia ; unde : si agatur de bonis quae non personae, sed alius causae intuitu obveniant, disponere debent, ut patet, secundum voluntatem offerentium ; si vero agatur de bonis quae obveniunt personae, huiusmodi bonorum ipsi habent solummodo administrationem, usum et usufructum : proprietas autem, tum bonorum tum fructuum ex bonis quomodolibet perceptorum, pertinet vel ad sedem promoti, si agatur de Episcopo residentiali aut Vicario vel Praefecto Apostolico ; ad religionem vel ad Ap. Sedem si agatur de ceteris. Qui sunt : Cardinales titulum presbyteralem vel diaconalem habentes, Nuntii vel Internuntii (si forte, ut quandoque factum est, tale officium religioso committatur), Episcopi titulares, Abbates vel Praelati *nullius ;* videlicet, ad normam can. 582, hi omnes, si eorum religio habeat capacitatem possidendi, religioni acquirunt ; si non habeat, acquirunt Ap Sedi. Excipiuntur tamen S. R. E. Cardinales beneficium habentes, qui, quamvis regulares, ex can. 239, § 1, n. 19, de reditibus beneficiariis libere, etiam per testamentum, disponere possunt.

2. *Dominium bonorum non amiserint,* etc. — Hactenus de regularibus. Ceteri religiosi, qui nempe simplicem (temporariam vel perpetuam) professionem peregerunt, quique proinde bonorum dominium non amiserunt (can. 579), ad dignitatem ecclesiasticam promoti, recuperant ipso iure bonorum suorum usum, usufructum atque administrationem, quam, ad normam can. 569 § 1 et 2, in alium

transtulerant. Quoad bona vero quae postea ipsis obveniant, si obvenerint non intuitu personae, debent et ipsi disponere iuxta offerentium voluntatem; si autem agatur de bonis personalibus, sibi acquirunt in proprietatem, sublato in casu impedimento professionis religiosae.

Can. 629

§ 1. *Dimisso cardinalatu vel episcopatu vel expleto munere extra religionem sibi a Sede Apostolica commisso, religiosus ad religionem redire tenetur.*

§ 2. *Potest tamen Cardinalis et Episcopus religiosus quamlibet suae religionis domum eligere in qua degat; sed caret voce activa et passiva.*

1. *Dimisso cardinalatu* etc. — Canon agit de conditione iuridica religiosorum, qui dignitatem vel munus ecclesiasticum, extra religionem antea susceptum, quacumque de causa deposuerint: nempe de obligationibus, inhabilitationibus ac privilegiis, quae ex huiusmodi actu iuridico subintrant in religiosos, dignitatem vel munus deponentes. Obligationes autem ad unam reducuntur: idest redeundi ad suam religionem, ad quam, a momento quo dignitatem munusve ecclesiasticum deposuerunt, pleno iure pertinent. Scilicet, munere vel dignitate deposita, nihil ex eis superest, nisi agatur de Episcopo, cuius dignitas, ob indelebilitatem characteris, integra manet, quamvis a munere episcopali separata. Sed reditus ad religionem, ipso iure secumfert resumptionem omnium obligationum, quae vel superstitem dignitatem vel munus antea susceptum non dedeceant. Quocirca, si religionis constitutiones nihil caveant, negotium committitur prudenti Superiorum arbitrio.

2. *Potest tamen Cardinalis* etc. — Nullum autem privilegium hoc in casu ius commune concedit, nisi agatur de religioso qui cardinalatum vel episcopatum dimiserit: huic enim tantummodo, propter characteris vel muneris amplitudinem, privilegium conceditur domum, in qua degat, libere eligendi; simul vero, eademque de causa, et ut personae moralis libertas agendi integra servetur, huiusmodi religiosus ad vocem tum activam tum passivam inhabilitatur. Quare qui aliam dignitatem deposuerint, post ad religionem reditum, non differunt, saltem ex iure communi, a ceteris religiosis.

Can. 630

§ 1. *Religiosus qui paroeciam regit sive titulo parochi sive titulo vicarii, manet adstrictus ad observantiam votorum et constitutionum, quatenus haec observatio potest cum muneris sui officiis consistere.*

§ 2. *Quare, in iis quae ad religiosam disciplinam attinent, subest Superiori, cuius proinde est, et quidem privative respectu Ordinarii loci, in eius agendi rationem circa haec omnia inquirere eumque, si casus ferat, corrigere.*

§ 3. *Bona quae ipsi obveniunt intuitu paroeciae cui praeficitur, ipsi paroeciae acquirit; cetera acquirit ad instar aliorum religiosorum.*

§ 4. *Non obstante voto paupertatis, eidem licet eleemosynas in bonum paroecianorum, vel pro scholis catholicis aut locis piis paroeciae coniunctis, quovis modo oblatas accipere aut colligere, et acceptas sive collectas administrare, itemque, servata offerentium voluntate, pro prudenti suo arbitrio, erogare, salva semper vigilantia sui Superioris; sed eleemosynas pro ecclesia paroeciali aedificanda, conservanda, instauranda, exornanda accipere, apud se retinere, colligere aut administrare pertinet ad Superiores, si ecclesia sit communitatis religiosae; secus ad loci Ordinarium.*

1. *Religiosus qui paroeciam* etc. — Legislator, in hoc et subsequente canone, agit de religioso qui paroeciam regat. *Religiosus parochus,* ait merito Chelodi (*Jus de personis,* n. 284, *b.*), *duplicem induit personam et utriusque adimplere tenetur officia, qua religiosus Superioribus, qua parochus Ordinario obnoxius. Quoad hoc nihil refert, utrum paroecia sit religioni incorporata, an non incorporata; utrum ipse titulo parochi, an vicarii eam regat; utrum ministerium exerceat in domo seu loco, ubi maiores Superiores resident, necne.* Et iuxta duplicem personam, quam sortitur, hinc quidem tenetur universis obligationibus religiosorum, illinc omnibus obligationibus cum paroeciali officio coniunctis; quoties autem hae cum illis componi non possint, praevalent obligationes paroeciales: siquidem iis qui curam animarum gerunt, *salus popoli suprema lex.*

2. *Quare, in iis* etc. — Quare parochus vel vicarius religiosus qui paroeciam regit, duplicem Superiorem sortitur: alium in religione, qua religiosus; alium extra religionem, nempe loci Ordinarium, qua parochus vel vicarius. Qui uterque Superior, iuxta ambitum suae in parochum vel vicarium potestatis, praecipere, in praecepti implementum invigilare, corrigere et, si casus ferat, animadvertere potest ac debet.

3. *Bona quae ipsi* etc. — Eodemque modo diiudicandum est de bonis temporalibus, quae ipsi obveniunt. Videlicet bona quae ipsi obvenerint intuitu paroeciae cui praeficitur, paroeciae, non religioni acquirit; cetera bona temporalia acquirit ad instar aliorum religiosorum: idest, si non intuitu personae obvenerint, de iis disponere debet, sub Superiorum religiosorum vigilantia, secundum offerentium voluntatem; si autem ei obvenerint intuitu personae, tum in religione possidendi capaci, religioni acquirit; in religione vero, quae possidendi capacitatem non habet, Ap. Sedi, ad normam can. 582, n. 2.

4. *Non obstante voto paupertatis* etc. — Vi voti paupertatis, seu sollemnis seu simplicis, religiosus obligatione tenetur deferendi ad Superiorem pecunias quocumque modo sibi obvenientes et, quoad earum acceptationem, conservationem, administrationem et usum, standi eius mandatis. Hac itaque obligatione eximitur religiosus, qui paroeciam regit: nam iure ipso communi facultas ei fit, nedum pecunias in bonum paroecianorum, pro scholis catholicis vel piis locis paroeciae coniunctis, sponte oblatas libere acceptandi, verum etiam, si opus fuerit, libere colligendi; acceptatas vero vel collectas administrandi atque, ser-

vata offerentium voluntate, pro suo prudenti arbitrio erogandi in paroeciae utilitatem. Superiori igitur, hac in re, non superest nisi ius invigilandi, ut haec omnia recte prudenterque fiant; quod tamen ius necessario facultatem secumfert, interveniendi, si negotium minus recte prudenterve geratur; sed in casu conflictus, praesertim si loci Ordinarius parochi vel vicarii gestionem probaverit, hic quoque praevalere videtur ius paroeciae: nam tandem aliquando agitur de pecuniis paroeciae non religioni datis. At, ex adverso, pecunias ad ecclesiam paroecialem aedificandam, conservandam, instaurandam vel adornandam, seu sponte oblatas acceptare, seu colligendas curare et in utroque casu apud se retinere atque administrare, ad Superiorem religiosum vel ad loci Ordinarium pertinet: ad Superiorem, nempe, si ecclesia de qua agitur sit pleno iure religioni unita vel utcumque ex privilegio ad religionem pertineat; secus ad Ordinarium, qui, uti patet, potest ad hoc munus delegare religiosum qui eandem paroeciam regit. Ratio autem huius exceptionis requirenda videtur, non solum in quantitate insolita pecuniae, quae in hunc finem plerumque destinatur, sed etiam in insolitis difficultatibus, quibus scatet negotium huiusmodi.

Can. 631

§ 1. *Idem parochus vel vicarius religiosus, licet ministerium exerceat in domo seu loco ubi maiores Superiores religiosi ordinariam sedem habent, subest immediate omnimodae iurisdictioni, visitationi et correctioni Ordinarii loci, non secus ac parochi saeculares, regulari observantia unice excepta.*

§ 2. *Ordinarius loci, ubi eum suo muneri defecisse compererit, opportuna decreta condere ac meritas in eum poenas statuere potest; in quo nihilominus Ordinarii facultates minime privativae sunt, sed Superior ius cumulativum cum ipso habet, ita tamen ut, si aliter a Superiore, aliter ab Ordinario decerni contingat, decretum Ordinarii praevalere debeat.*

§ 3. *Quod attinet ad parochi vel vicarii religiosi remotionem e paroecia, servetur praescriptum can. 454, § 5; et quod ad bona temporalia, praescriptum can. 533, § 1, n. 4, et can. 535, § 3, n. 2.*

1. *Idem parochus vel vicarius* etc. — De exemptione regularis, qui paroeciam regit in loco residentiae supremi Ordinis Moderatoris, ab Ordinarii loci iurisdictione, Benedictus Pp. XIV in const. *Firmandis* (6 nov. 1744, § 2 et 13-16) haec habet: *Animarum curam in saeculares personas exercentes in iis ecclesiis, quae monasteriis... adnexae sunt, sive ipsi regulares sint sive saeculares, sacri Tridentini Concilii praescripto* (*Sess. XXV, cap. 11, de regularibus*) *subesse debent* « *immediate in iis quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi, in cuius dioecesi* » *praedicta monasteria* « *sunt sita* », *exceptis dumtaxat iis monasteriis seu locis* « *in quibus Abbates Generales aut Capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent* ». *Quae exceptio... pluribus controversiis occasionem praebuit* (§ 2 et 13).

Harumque controversiarum occasione capta, Pontifex haec decernit: — 1. Soli Abbates Generales, non autem simplices Abbates, in decreto Trid. Concilii comprehenduntur (§ 13); — 2. Sufficit ut monasteria, de quibus in eodem decreto, sedes ordinaria et principalis existant supremi Moderatoris, neque requiritur ut ipsum monasterium seu domus sit caput Ordinis (§ 14); — 3. Privilegium non extenditur ad ecclesias paroeciales a praedictis monasteriis dependentes (§ 15); — 4. Privilegium denique huiusmodi, nullam omnino confert supremis iisdem Moderatoribus iurisdictionem, in subditos saeculares praedictarum paroeciarum (§ 16). En igitur privilegium, quod, per paragraphum primam canonis quem explicamus, expresse et ex integro revocatum est. Proinde minus recta videtur sententia in quam propendit cl. M. a Coronata (*Institutiones i. c.*, n. 624, ε, in fine): nempe, non eatenus sublatum esse privilegium, ut videatur *concedi Ordinariis locorum ius visitandi ipsam ecclesiam, ubi sedes est ordinaria Moderatoris supremi Ordinis regularis exempti; sed solum ius personalis visitationis relate ad parochos et vicarios*. Scilicet, nostra sententia, eousque extenditur, quoad huiusmodi ecclesias paroeciales, ante Codicem exemptas, iurisdictio Ordinariorum localium, quousque se extendit quoad ceteras paroecias regulares: idest, ut verbis Benedicti Pp. XIV (constit. *Firmandis*, supra allata, § 7) iterum utamur, *in exequenda... pastorali visitatione ecclesiarum parochialium quae a regularibus administrantur, minime quidem licet Episcopo omnia... altaria visitare, sed illud dumtaxat in quo sanctissimum Eucharistiae sacramentum asservatur, et consequenter sacrum ipsum tabernaculum; fontem quoque baptisterii, si adsit; item confessionale, in quo parochus... residere solet; pulpitum..., e quo parochus ius habet verbi Dei... annunciandi; sacrarium... ad inspiciendum locum in quo asservatur sacra supellex pro sacramentis... decenter administrandis;... coemeterium parochianorum humandis cadaveribus destinatum; turrim campanariam, dummodo in ea sint campanae ad parochiam proprie spectantes; demum... omnia sacra vasa, quibus vel particulae consecratae servantur, vel sacra olea..., vel aqua baptisterii vel alia rite benedicta, quae... ad ecclesiae fores poni consuevit*. Haec quoad visitationem *localem* paroeciae regularis cuiuscumque, nulla post Codicem excepta; cui sequi debet visitatio *personalis*. Sed praeterea religiosus qui paroeciam regit subest, qua parochus, omnimode correctioni Ordinarii loci: *uno verbo*, ut ait Benedictus XIV (ibid. § 10, e qua paragrapho desumptae sunt fere ad verbum §§ 1 et 2 can. 631), *quidquid Episcopus a parocho saeculari exquirere atque exigere solet ac debet, id omne, regulari observantia unice excepta, a parocho regulari exquirere et exigere potest*.

2. *Ordinarius loci* etc. — Et hinc, vi nempe suae iurisdictionis, potest loci Ordinarius in religiosum qui paroeciam regit, quaecumque haec fuerit et quicumque fuerit religiosus, poenis ecclesiasticis, nulla exclusa, saltem ex iure communi, animadvertere, et, si hac de causa cum Superiore religioso (qui cum loci Ordinario hac in re ius cumulativum habet), seu quoad factum seu quoad poenam, conflictus oriatur, Ordinarii auctoritas praevalere debet: in rebus nam-

que *paroecialibus,* agitur in primis et ante omnia, non quidem religionis, sed *populi* causa, quae ad loci Ordinarium potissimum spectat.

3. *Quod attinet* etc. — Quod attinet ad parochi vel vicarii religiosi remotionem e paroecia, servandum est praescriptum can. 454, § 5; et quod attinet ad bona temporalia, praescriptum can. 533, § 1, n. 4 et 535, § 3, n. 2: quos omnes canones supra explicavimus. Quocirca praetereundum non est responsum Pont. Commissionis ad Cod. authent. interpr., 25 iul. 1926 editum, vi cuius loci Ordinarius ius habet exigendi rationes de administratione fundorum legatorumque paroeciae religiosae, idest pleno iure domui religiosae unitae ad normam can. 1425, § 2. Idemque, igitur, et *a fortiori,* dicendum est de paroecia quae religioni pleno iure unita non fuerit.

TITULUS XIV

DE TRANSITU AD ALIAM RELIGIONEM

Can. 632

Religiosus nequit ad aliam religionem, etiam strictiorem, vel e monasterio sui iuris ad aliud transire sine auctoritate Apostolicae Sedis.

1. Praxim ante Codicem nostrum vigentem quoad transitum ad aliam religionem, sic describit cl. Goyeneche (*Comment. pro relig.,* 1920, p. 222): *In primis iuvat recolere, in primodiis status religiosi, stabilitatis vinculum valde tenue fuisse et potius ex quadam morali decentia, quam ex vera obligatione iuridica, fuisse illos monachos et eremitas in statu semel assumpto ad perseverandum obstrictos. At omnimoda videtur illis libertas fuisse recognita, non solum a monastica vita ad eremiticam transeundi (... ex quo vita eremitica perfectior... dicebatur), sed etiam ab eremitica ad monasticam, teste Cassiano* (Collat., 19). *Stabilitatis vinculum, tam in Orientis partibus quam... Occidentis, opera praesertim S. Basilii (a. 331-379) et S. Benedicti (a. 480-542), firmius in vita religiosa devenit: imo, ex instituto S. Benedicti, monachus monasterio speciali promissione irrevocabiliter devinciebatur* (Reg. S. Bened., 58). *Nihilominus, in ipsa* Regula *benedictina videtur praesupponi libertas transeundi ad aliud monasterium, nam, loquens de monachis peregrinis ad monasterium appellentibus, ait: « Si vero postea voluerit* (monachus peregrinus) *stabilitatem suam firmare* (in monasterio), *non renuatur talis voluntas: et maxime quia tempore hospitalitatis potuit eius vita dignosci (ibid., 61). Veruntamen, transitus improbari coepit et limitationibus cohiberi. Gregorius I scribebat Anthemio (c. 5 X, de regular. et transeunt. ad al. rel., III, 31): « Mandamus ut, neque monachum... de monasterio in monasterium temere migrare liceat, nec... Sed si hoc praesumpserit, monasterio in quo ab initio conversatus est, sub abbatis sui regula... competenti coercitione reddatur ». Ipsemet Justinianus, in suis* Novellis constitutionibus (Novell. *V, c. 7*) *commendat Epi-*

scopis et Archimandritis, ut tales transitus prohibeant « monachicam honestatem secundum sacras regulas conservantes »; et iubet « quascumque res tempore quo monasterium dereliquit habere videbitur, proprio monasterio, in quo ab initio ingressus est, eas competere » (ibid., CXXIII, c. 42). Novis formis vitae religiosae exortis, praesertim Canonicorum Regularium (saec. XI), quaestio de transitu maiori ambitu proponitur: an, nempe, canonicis liceat ad monasteria permeare et monachis regulam canonicorum petere. Non constat, revera, de lege universali, transitum, prout in quaestione proponitur, regulante; attamen ex casuistica, in fontibus proposita, deducitur, non fuisse generaliter permissum transitum canonicorum ad conversationem monasticam, absque Superioris licentia et litterarum cautione (c. 3, C. XIX, q. 3), nisi forte publice lapsis (ibid., c. 2), et illi qui ad monasterium confugerat, « in quo maior religio exsistat, quam in ecclesia in qua professionem fecerat », ut rescripsit Alexander III ad Ambianen. Episcopum a. 1180 (c. 10 X, de regular., et trans. ad al. relig., III, 31). E contra, monachis non videtur fuisse occlusus aditus ad vitam canonicalem... Ex monumentis... erui videtur, rationem decisionum invenisse iudicem ecclesiasticum in natura professionis vitae canonicalis, quae, tota ad cultum Dei intenta, non cedit perfectione vitae monachorum, sed ei praestat (c. 1-2, C. XIX, q. 3). Et profecto, his principiis innixum, ius Decretalium disciplinam de transitu, universali et absoluto modo proponit, concedens omnibus qui « non in iacturam vel iniuriam sui ordinis, neque ex temeritate nec levitate », sed « vere ad frugem melioris vitae » id agunt, ut valeant ad « arctiorem » religionem transire, demandata licentia Superioris, licet non obtenta (c. 18 X, III, 31). De transitu ad « laxiorem » vel ad « aequalem », non loquitur decretalis; sed nec opus erat: abunde enim deducitur, tales transitus non licuisse absque Superiorum dispensatione. Quaestiones plurimae facta sunt... super significatione nominis « Superioris »... Nos premit notare, libertatem ad transeundum in religionem perfectiorem, fuisse pro omnibus lege universali sancitam; quae lex, theoretice saltem, usque ad novissimam iuris codificationem vigere perrexit. Diximus « theoretice saltem »: quia eius efficacia realis, tum opera privilegiorum religionum, tum etiam opera ipsius iuris communis, restringi coepit et fere evanuit... Ipso iure Decretalium restrictiones apponi... coeperunt... Conc. Tridentinum districte prohibuit omnibus Regularibus ad laxiorem religionem transitum (Sess. XXV, de regular., 19)... Pius V « revocat omne privilegium recipiendi religiosos alterius Ordinis, praeter privilegia in iure communi concessa »... Praeterea duriores restrictiones factae sunt: — 1. quoad religionem ad quam fit transitus.., nisi... observantia in ea vigeat; — 2. quoad causas... transeundi... — 3. quoad licentiam petendam. Huius necessitas urgetur; reservatur Sedi Apostolicae, quando transitus fit ad laxiorem religionem (S. C. Conc., 20 ian. 1651; 26 ian. 1675); quando dubium suboritur de legitimitate vel sufficientia causae ad « arctiorem » transeundi, praxis... iudicium Sedis Apostolicae requirit. Et S. Congregatio, tempore iam acto et quotidie, « nomine Pontificis » precibus religiosorum... « benigne annuit pro gratia petiti transitus ».

Codex... noster... negotium de transitu... uni Apostolicae Sedis iudicio commisit... Nihil innovavit, sed quod praxi vigebat, scripta lege sancivit.

2. *Religiosus nequit* etc. — Nullus igitur transitus de religione ad religionem, sive aequalem, sive laxiorem, sive strictiorem fieri potest, nisi per rescriptum Ap. Sedis, quae, causis ac rerum adiunctis aeque perpensis, consensum aut concedet aut negabit. Monasterium vero *sui iuris* ideo eodem hic, quoad necessitatem apostolicae dispensationis, iure censetur ac singulae religiones, quia, quamvis eadem sit religio, obstat tamen transitui peculiare vinculum *stabilitatis,* cum monasterio per professionem a monachis contractum. Agitur autem hoc in canone de lege irritanti: si enim sine auctoritate Ap. Sedis *religiosus nequit ad aliam religionem transire,* profecto, hac auctoritate neglecta, quidquid egerit, priori iugiter religioni adstrictus manebit. Agitur praeterea de reservatione, quae ante Codicem lege universali non sanciebatur ac proinde de lege nova, contra quam ad vetera privilegia provocari non potest.

Can. 633

§ 1. *Transiens ad aliam religionem novitiatum peragere debet; quo durante, manentibus votis, iura et obligationes particulares, quas in religione derelicta habuit, suspensa manent, et ipse obligatione tenetur Superioribus novae religionis et ipsi novitiorum Magistro parendi etiam ratione voti obedientiae.*

§ 2. *Si in religione ad quam transiit, professionem non edat, ad pristinam religionem redire debet, nisi interim votorum tempus expiraverit.*

§ 3. *Transiens ad aliud monasterium eiusdem Ordinis nec novitiatum peragit nec novam emittit professionem.*

1. *Transiens ad aliam* etc. — Genuinus ad aliam religionem transitus, praesupponit professionem, seu sollemnem seu simplicem, saltem temporariam: nam novitiorum, qui *nondum ad religionem pertinent,* transitus *ad aliam religionem* nec intelligitur. Canon autem diligenter definit conditionem iuridicam illius religiosi, qui, pristina religione relicta, ad aliam pertransit, in eaque ingreditur novitiatum, ad normam iuris iterandum, ut et religiosus et religio invicem sese experiri possint. Haec est igitur, statim ac fuerit novitiatum ingressus, iuridica eius conditio: vota antea emissa integre supersunt; peculiares obligationes et iura peculiaria, ex prima professione exorta vi constitutionum prioris religionis, suspensa manent; vicissim, ex Ap. Sedis voluntate, cui religiosus, post professionem, tanquam supremo Moderatori, vi quoque voti obedientiae subesse debet (can. 499 § 1), subintrat in religioso obligatio Superioribus novae religionis et ipsi novitiorum Magistro parendi, idque tandem aliquando vi voti obedientiae in altera religione peracti: perinde ac si Ap. Sedes, perdurante experimento, potestatem suam dominativam, supra religiosum ex prima eius professione exortam, in Superiores novae religionis transtulerit.

2. *Si in religione* etc. — Exacto novitiatu, vel ad summum altero post

novitiatum anno (ut habet subsequens canon), si religiosus in religione ad quam transierat, quacumque de causa (sive ex sua sive ex novae religionis voluntate derivante) professionem non emiserit, ad pristinam religionem redire tenetur; et tunc, reviviscentibus pristinis iuribus atque obligationibus, evanescit facto ipso obligatio parendi Superioribus alterius religionis. Excipitur casus, quod agatur de religioso, qui vota temporaria in pristina religione emiserat, et tempus horum votorum, durante probatione, expiraverit: tunc enim, ut patet, a momento expirationis professionis temporariae, nullo amplius vinculo obligatus, integram religiosus libertatem recuperat; nec proinde tenetur, exacto tempore probationis, ad priorem religionem redire.

3. *Transiens ad aliud* etc. — Ratio novitiatum, et consequenter professionem, iterum perficiendi, in diversitate religionum singularumque constitutionum posita est. Hinc patet, novitiatus ac professionis iterationem, quum agitur de transeundo ad aliud monasterium *eiusdem Ordinis,* quovis rationali fundamento carere. Et ideo, ad legitimitatem transitus, sufficit dispensatio Ap. Sedis.

CAN. 634

Sollemniter professus aut professus a votis simplicibus perpetuis, si transierit ad aliam religionem cum votis sollemnibus vel simplicibus perpetuis, post novitiatum, praetermissa professione temporaria, de qua in can. 574, vel admittatur ad professionem sollemnem aut simplicem perpetuam vel ad pristinam redeat religionem; ius tamen est Superiori eum probandi diutius, sed non ultra annum ab expleto novitiatu.

1. *Sollemniter professus* etc. — Definitis iis quae spectant ad novitiatum, Legislator agit de professione emittenda in religione ad quam quis transierit: per quam professionem et novitiatus completur, et transitus, nedum facto, sed iure quoque perficitur. Quocirca contingere potest, ut transitus fiat e religione votorum sollemnium ad religionem votorum sollemnium, vel ad religionem votorum simplicium perpetuorum, vel ad religionem votorum simplicium temporariorum; rursus transitus fieri potest e religione votorum simplicium perpetuorum ad religionem votorum sollemnium, vel ad religionem votorum simplicium perpetuorum vel ad religionem votorum simplicium temporariorum; tandem transitus potest fieri e religione votorum simplicium temporariorum ad religionem votorum sollemnium, vel ad religionem votorum simplicium perpetuorum, vel ad religionem votorum simplicium temporariorum. Canon autem considerat tantummodo facti speciem primam et secundam, quartam et quintam, nempe casum, quo tum in religione *a qua*, tum in religione *ad quam* vota perpetua (sollemnia vel simplicia) emitti soleant: quo in casu Legislator suspendit praescriptum can. 574, vi cuius *novitius post expletum novitiatum... debet votis perpetuis... praemittere... votorum simplicium professionem ad triennium valituram;* unde post novitiatum, praetermissa professione temporaria, novitius vel ad professionem perpetuam

admitti debet vel debet ad pristinam religionem redire. Conceditur tamen Superiori religionis *ad quam*, cui competit ius novitium legitime admittendi vel reiiciendi, facultas novitiatum per spatium unius anni protrahendi: ita ut uno biennio, vel (si biennalis sit novitiatus) ad summum uno triennio, omne transitus negotium quomodocumque absolvatur. Cuius dispositionis ratio, requirenda est tum in conditione praecaria religiosi transeuntis, quae quamprimum definiri debet; tum in matura aetate religiosi vota perpetua professi (cfr. can. 573).

2. Quidnam autem sentiendum de ceteris quinque ex casibus supra recensitis, in quibus, nempe, aut religio *a qua*, aut religio *ad quam* est religio votorum simplicium temporariorum, quos casus canon non considerat? Si religio votorum temporariorum est religio *a qua*, *veri nominis transitus* satis raro erit necessarium (quod si necessarius, omnia suadent professionem simplicem triennalem votis sollemnibus esse praemittendam): nam religiosus, expleto votorum tempore quin professio iteretur, et religiosus esse desinit, et proinde in quancumque aliam religionem, *servatis servandis*, ingredi potest per trâmitem ordinarium; si vero religio votorum simplicium temporariorum sit religio, ad quam quis transire desiderat e religione votorum sollemnium aut simplicium perpetuorum (quod etiam raro continget), tunc, ad normam quidem can. 633 § 1, vota perpetua antea emissa manent, usque dum, per legitimam professionem temporariam, eorum perpetuitas seu etiam sollemnitas, ad normam can. 636, perempta fuerit: sed, uti patet, nulla quaestio esse potest de canone 574 applicando vel suspendendo; et, quum professio temporaria novitiatui subsequi debeat, videtur novitiatus, potius quam huius canonis, ad normam can. 571 § 2, prorogari posse. Ceterum, iugiter standum est tenori ap. indulti, quod, quae in singulis casibus agenda sunt, pro rerum adiunctis praecipere solet.

3. Quoad admissionem autem religiosi in aliam religionem, Pont. Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos, rogata, utrum suffragium Capituli in admittendo religioso, de quo in can. 634, ad professionem sollemnem aut simplicem perpetuam, habeat vim deliberativam, an tantum consultivam — die 14 iul. 1922 respondit: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Can. 635

Transeuntes ad aliud monasterium eiusdem religionis a die transitus, ad aliam vero religionem ab edita nova professione:

1. *Amittunt omnia iura et obligationes prioris religionis vel monasterii et alterius iura et officia suscipiunt;*

2. *Religio vel monasterium « a quo » bona servat, quae ipsius religiosi ratione iam ei quaesita fuerunt; quod spectat ad dotem eiusve fructus et alia bona personalia, si qua habeat religiosus, servandum praescriptum can. 551 § 2; demum nova religio ius habet pro novitiatus tempore ad iustam retributionem, si eidem locus sit ad normam can. 570 § 1.*

1. *Transeuntes* etc. — Canon definit effectus transitus, tam si factum fuerit ad aliud monasterium eiusdem religionis, quam ad religionem diversam. Et in primis tum tantum suos transitus effectus producit, quum fuerit suo genere perfectus. Dum autem transitus ad aliud eiusdem religionis monasterium, statim ac Abbas de regimine monasterii *ad quod* religiosum legitime receperit, perfectus censetur; ex adverso, transitus ad aliam religionem non perficitur, nisi votorum professione in hac altera religione secuta: etenim solummodo per professionem quis religionem sortitur; idque eo magis, quod usque ad momentum professionis in religione *ad quam*, transeuntes pertinent ad religionem *a qua* (cfr. can. 633, § 1). Quinam igitur effectus transitus legitime peracti?

2. *Amittunt omnia* etc. — Prior effectus in hoc consistit, quod religiosus facto ipso desierit pertinere ad monasterium vel religionem *a qua*, ut exinde pertineat ad monasterium vel religionem *ad quam*. Consequenter autem amittit omnia iura omnesque obligationes, quibus fruebatur aut tenebatur ratione professionis in priore religione vel monasterio, simulque suscipit omnia iura et omnes obligationes, quae propria sunt novae religionis vel monasterii, quaeque vi constitutionum aut aliter ad ipsum legitime spectant.

3. *Religio vel monasterium* etc. — Agitur hic speciatim de effectu transitus quoad bona temporalia. Et in primis, bona quae, seu ratione seu opera religiosi transgressi, pleno iure, in momento transitus, iam quaesita fuerant patrimonio prioris monasterii vel religionis, in eiusdem patrimonio manent. Quoad dotem vero ceteraque bona personalia, in priori religione vel monasterio religioso forte obventa, monasterium quidem *ad quod*, peracto transitu, statim ius habet tum ad ea bona possidenda tum ad fructus ex iisdem percipiendos; iura vero religionis *ad quam* pendent e statu personali religiosi transeuntis: siquidem, novitiatu perdurante (nempe, quousque status personalis transeuntis definitus non fuerit), tam dos quam cetera bona personalia, in possessione manent religionis *a qua;* quod etiam dicendum est de fructibus tam dotis quam ceterorum bonorum personalium. Sed fructus huiusmodi, ad normam can. 551 § 1, religioni *ad quam* quandoque debentur. Ait enim hic canon: *salvo, praescripto can. 570 § 1.* Quid igitur? Canon. 570 § 1 legem vetantem continet: *Nihil pro impensis... novitiatus exigi potest, nisi* (scilicet veluti per exceptionem) *pro alimentis et habitu religioso in constitutionibus vel expressa conventione aliquid... solvendum caveatur.* Quare, ut in explicando can. 551 § 2 supra innuimus (cfr. comment. ad eund. can. n. 3), tum tantum fructus debentur religioni *ad quam*, quum, aut iidem fructus respondent summae pro alimentis et habitu novitiorum in eiusdem religionis constitutionibus statutae, aut de fructibus in eundem finem solvendis expressa conventione cautum est. Pro casu autem quo nulla dos aut bona extent vel quo, si extent, imparia sint impensis pro alimentis et habitu, de quibus agitur, compensandis, Legislator commemorat *novam religionem ius habere pro novitiatus tempore ad iustam retributionem*, quoties nempe, ad normam can. 570 § 1 a constitutionibus exigatur vel de ea pactum fuerit: quam retributionem religio *a qua*

solvere tenetur. Denique, peracta professione (idest definito in religione *ad quam* statu personali religiosi ad eam transeuntis), ipsa dos aliaque bona eius personalia, ad normam can. 551, § 2, in hanc religionem transferri debent.

CAN. 636

Sollemnitas votorum in eo qui legitime secundum superiores canones vota simplicia in Congregatione religiosa nuncupat, eo ipso extinguitur, nisi aliud in apostolico indulto expresse caveatur.

1. *Sollemnitas* etc. — Sollemnitatem votorum, ut cum cl. Vermeersch (*Epitome,* II, n. 632 - ed. IV) loquamur, *alii posuerunt in perfecta voventis traditione simul cum eius acceptatione, nomine Dei per ministerium Ecclesiae habita, quae efficit, ut per votorum sollemnitatem quis sit perpetuo sacratus Deo* (sic Gregorius de Valentia et recentiores Thomistae); *alii, in spirituali consecratione, qua irrevocabili modo persona existimatur, mediate a Deo, immediate ab Ecclesia deputari et devinciri Deo in votorum materia* (ita Lehmkuhl, *Theologia moralis,* I, 500); *alii substantialem votorum sollemnitatem explicarunt per aliquos effectus morales, praecipue per vim irritandi actus contrarios* (cfr. Suarez et Wernz). Codex noster, quaestionem theoricam omnino negligens, edicit: *Votum est sollemne, si ab Ecclesia uti tale fuerit agnitum; secus simplex* (can. 1308 § 2). Quia, igitur, apud iurisperitos actuum sollemnitas significat praesertim maximam perfectionem ac publicitatem, quam actus humanus ab humanis legibus derivare possit, et hinc maximam eiusdem actus firmitudinem, haud longe forte erimus a rei veritate, si etiam de sollemnitate votorum eadem cogitaverimus.

2. *Eo ipso extinguitur* etc. — Quod quidem fieri non potest, nisi ex auctoritate Ecclesiae dispensantis et commutantis. Quocirca commemorare iuvat, veteres theologos communiter refugisse ab asserenda dispensabilitate votorum sollemnium. Unde D. Thomas Aq.: *Sollemnitas autem,* ait, (*Summa theol.,* 2ª 2ae P., art. 11) *consistit in quadam consecratione, seu benedictione voventis, ut dictum est; et ideo non potest fieri per aliquem praelatum Ecclesiae, quod ille qui votum solemne emisit, desistat ab eo, ad quod est consecratus;... licet quidam iuristae... contrarium dicant.* At iuristarum sententia, progressu temporis, praevalere debebat: et ideo Legislator, tum hoc tum canonibus subsequentibus, subintelligit R. Pontificem habere a Deo potestatem ac iurisdictionem dispensandi, ex iusta et rationabili causa, in quovis voto, tam simplici quam sollemni, idque hisce Christi verbis innixus: *Tibi dabo claves regni caelorum:... et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis* (Matth., XVI, 19).

3. *Nisi aliud in apostolico* etc. — Pro variis rerum adiunctis, variare quoque potest tenor indulti apostolici, cui in primis standum est. Sed nisi ap. indultum aliud expresse caveat, facto ipso quo quis, e religione votorum sollemnium ad religionem votorum simplicium pertransiens, in hac votorum simplicium professionem emittit, priorum votorum sollemnitas extinguitur.

TITULUS XV

DE EGRESSU E RELIGIONE

CAN. 637

Professus a votis temporariis, expleto votorum tempore, libere potest religionem deserere; pariter religio ob iustas ac rationabiles causas eundem potest a renovandis votis temporariis vel ab emittenda professione perpetua excludere, non tamen ratione infirmitatis, nisi certo probetur eam ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulatam.

1. *Professus a votis* etc. — Praetermissa antiquitate, quum ignota prorsus erant vota simplicia, tum temporaria tum perpetua, in primis animadvertendum est, haud parem ante Codicem i. c. fuisse conditionem iuridicam eorum, quorum vota temporaria expirassent. Scilicet, dum in Congregationibus religiosis, transacto votorum temporariorum tempore, non solum religio excludere poterat votorum renovationem, sed ipse, qui antea religiosus fuerat, religionem libere deserere: ex adverso, in Ordinibus vota temporaria quae professioni perpetuae praecedebant, perpetua erant ex parte voventis. A Codice autem nostro introducta est perfecta ubique iurium aequalitas inter religionem et religiosum, qui votorum temporariorum tempus expleverit (cfr. comment. ad can. 575 nn. 1 et 2): quare, nullo amplius extante vinculo, uterque iure suo uti potest, nempe religiosus religionem deserendo, haec autem religiosum excludendo a vitae religiosae prosecutione. Quod quam prudenter factum sit, neminem fugit: eadem enim iugiter est professionis temporariae natura, sive in Congregatione fiat, sive in Ordine religioso; sive sic et simpliciter, sive tanquam introductio ad professionem perpetuam.

2. *Ob iustas et rationabiles* etc. — Dum autem recessio a religione post expletum tempus votorum, eius qui eo usque religiosus fuerat conscientiae omnino permittitur, e contra, eius a vita religiosa prosequenda exclusio ex parte religionis, duabus conditionibus subiicitur, nec (ne forte iniustae exclusiones vertant in detrimentum salutis animarum, cui praecipue studet Ecclesia) religionis arbitrio relinquitur. Prima igitur conditio posita est in necessitate causae iustae ac rationabilis, qua deficiente, exclusio, ob defectum potestatis, irrita est; quapropter excluso, qui sese gravatum existimet, semper patet aditus ad Ap. Sedem. At quaenam causa habenda est, ad effectum de quo agitur, tanquam iusta et rationabilis? S. Congr. Episc. et Regular., in causa *Barcinonen.*, 15 nov. 1898, ad 10, ait: *Pro dimittenda sorore votorum ad tempus, graves requiruntur causae,... gravissimae vero requiruntur pro dimittenda sorore professa in perpetuum, ac in primis incorrigibilitas*. Quum autem hic non de dimissione religiosi agatur, sed de non admittendo ad ulteriorem professionem eum, qui post elapsum professionis

tempus, amplius non est religiosus, videndum est an huiusmodi exclusio dimissioni aequipolleat aut minus. Quocirca distinguendum videtur inter exclusionem a professione iteranda in religione votorum temporariorum, et exclusionem a professione perpetua: nam in priore casu excludi posset is quoque, qui fere integram vitam in religione transegerat, dum in altero casu excludi non potest nisi is, qui et a paucis annis in religione vixerat, et nondum in eam fuerat per vota perpetua incorporatus. Dum igitur in primo casu eadem causa, quae ad dimissionem, requiritur, in altero causa minoris momenti sufficere videtur: scilicet non requiritur ut causa sit gravis, sed sufficit iusta sit et rationabilis, nempe quae, ex arbitrio boni viri, haberi possit tanquam proportionata exclusioni. Quae causa considerari potest, nedum ex parte religiosi, verum etiam ex parte religionis: nam ex. c. ineptitudo ad finem religionis prosequendum ex defectu qualitatum naturalium, dum sufficere non videtur, neque ad religiosum dimittendum, neque ad eundem excludendum ab iteratione professionis temporariae alias legitime peractae, iusta ac rationabilis apparet ad excludendum a professione perpetua.

3. *Ratione infirmitatis* etc. — Altera conditio in hoc consistit, ut quis non excludatur ratione infirmitatis, nisi agatur de infirmitate ante professionem dolose reticita aut dissimulata, idque certo probari possit. Quae conditio tanti est momenti, ut S. Congr. de Religiosis, rogata, utrum professus votorum simplicium in Ordine vel in Congregatione, qui durante triennio amens evaserit, iudicio medicorum etiam insanabiliter, possit, finito triennio, ad suos vel ad saeculum remitti, an vero debeat in religione retineri; et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam: qualis sit praedicti religiosi conditio iuridica et ad quid teneatur religio in casu — die 5 febr. 1925 responderit: *Ad primum: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. — Ad secundum: Religiosus, de quo agitur in dubio primo, pertinet ad religionem in eo statu, in quo erat quando mente captus est, et religio tenetur erga eum ad eadem officia, ad quae tunc tenebatur*. Est igitur regula firmissima, non posse quis excludi ab iteranda professione temporaria vel ab emittenda perpetua, ratione infirmitatis non dolosae. Nec immerito: nam esset iniquum *afflicto afflictionem superaddere* in commodum religionis, et ansam ex infirmitate capere ad excludendum eum, qui antea legitime ad peragendam in religione professionem admissus est. Videamus igitur de natura huius alterius conditionis. Et in primis, quoad genus infirmitatis, Legislator non distinguit: quare quidquid infirmitatis, seu corporis seu animi (veluti amentia), rationem habet, praescripto canonis continetur. Sed excipitur casus doli; qui tamen non exurgit, nisi haec quatuor elementa suffragentur: — 1. Quod extet veri nominis infirmitas, et quidem tanti momenti, ut per se sufficeret ad repellendum novitium a prima professione; — 2. Quod infirmitas huiusmodi ante primam professionem iam exsisteret, nempe qualis supra descripta est, ita ut, si eo tempore cognita fuisset, absque dubio esset insanabile impedimentum; — 3. Quod ideo talis infirmitas in cognitionem religionis non venerit, quia ante primam professionem fuit dolose (idest, ad repulsam vitandam), aut interro-

gandi reticita, aut ita dissimulata, ut facto, sin verbis, religio fuerit in errorem inducta; — 4. Quod haec omnia certo probari possint, videlicet per probationes quae moralem certitudinem pariant: quas probationes religio ad Ap. Sedem transmittere tenetur, si forte exclusus recursum interposuerit. At profecto non sunt facillimae probationes huiusmodi; et inde in religione cura diligenter invigilandi. Itaque si vel unum ex hisce elementis defecerit, exclusio ob infirmitatem fieri non potest, vel facta non tenet.

CAN. 638

Indultum manendi extra claustra, sive temporarium, idest indultum « exclaustrationis », sive perpetuum, idest indultum « saecularizationis », sola Sedes Apostolica in religionibus iuris pontificii dare potest; in religionibus iuris dioecesani etiam loci Ordinarius.

1. Legislator revera hic agere incipit de egressu e religione: nam, si proprie loqui voluerimus, dici non potest *e religione* egredi is, qui (seu sua, seu ex religionis voluntate) ad saeculum revertitur expleto tempore professionis: quum, nempe, solutum est vinculum quo religioni iungebatur. Quare etiam raro in praxi occurrit egressus religiosorum, qui vota temporaria emiserunt: unde hic et qui sequuntur canones, praesertim pro religiosis a votis perpetuis practicum momentum obtinent. Ap. Sedem autem gaudere potestate dispensandi, ex iusta causa, a quocumque voto, supra vidimus (cfr. comment. ad can. 636); hac vero sua potestate esse usam, eius historia aperte demonstrat. Denique quaenam fuerit, ante Codicem nostrum, hac in re Ecclesiae praxis, cl. Wernz, inter alios, consueta praecisione ita commemorat: *R. Pontifex*, ait (*Jus decretal.*, III, n. 677), *per dispensationem professum votorum... etiam solemnium ab omnibus suis obligationibus religiosis ita liberare potest, ut simpliciter desinat esse in statu religioso; at de facto hac potestate solummodo utitur quoad professos votorum simplicium; professis vero votorum solemnium, si opus sit solummodo partialem concedere solet dispensationem vel commutationem ab obligationibus in statu religioso susceptis, imo ex praxi recepta gratiam dispensationis restringit ad solam « saecularizationem religiosi », si ita incommodis sufficienter occurratur. Quae saecularizatio, si sit perpetua, est indultum Sedis Apostolicae, quo regularis solemniter professus, gravibus ex causis, in perpetuum solvitur a vinculo cum religione inito, ita ut, dimisso habitu regulari, extra claustra in saeculo vivere possit, firmis tantum manentibus votis in professione religiosa emissis; at saecularizatio temporanea reducitur ad permissionem S. Sedis, absque solutione vinculi cum religione, ad tempus determinatum vel indeterminatum, sive in genere determinatum, ex gravibus causis et sub certis conditionibus, degendi extra claustra.* Hoc autem ius, ante Codicem i. c. vigens, in Codicem quidem Legislator recepit quoad saecularizationem temporariam seu *exclaustrationem*, sed radicitus immutavit quoad saecularizationem perpetuam, quam pure ac simpli-

citer *saecularizationem* appellavit. Cuius reformationis duplex videtur extitisse causa: prior repetenda est ex ipso fine codificationi praestituto, nempe non relinquendi, quantum fieri poterat, in iure canonico status personales male definitos; et propterea e medio tollendi minus aequam repugnantiam, antea exsistentem in conditione iuridica saecularizati: qui, quamvis ad nullam religionem pertineret, ac proinde inter saeculares ecclesiasticas personas esset censendus, nihilominus votis religiosis tenebatur, scilicet conservabat notam praecipuam status religiosi. Alia vero causa requirenda est in necessitate vitandi in Codice dispositiones sibimetipsis contrarias. Quare, postquam Legislator per can. 487 edixerat, vitam communem ad statum religiosum substantialiter pertinere, praecipuum status religiosi characterem (nempe vota obedientiae, castitatis et paupertatis) protrahere non poterat in saecularizato, qui, a religione seiunctus, vitam communem servare nequit.

2. *Sola Sedes Apostolica* etc. — Per se patet indulta tum saecularizationis tum exclaustrationi in religione iuris pontificii, esse Ap. Sedi reservata: agitur enim res, ex qua deterior fit conditio personae moralis, cui Ap. Sedes per decretum laudis manus apposuit. Ex adverso, eadem indulta in religione iuris dioecesani, praeterquam ab Ap. Sede (quae in Ecclesiam universam ordinaria potestate fruitur), concedi etiam possunt a loci Ordinario, in cuius territorio orator degit. Quocirca vix animadvertendum est, loci Ordinarium, totum hoc negotium peragere posse tantummodo vi iuris communis: nam in votis publicis, quae a religiosis emittuntur, implicitum esse videtur votum privatum; votum autem privatum perfectae ac perpetuae castitatis Ap. Sedi reservatum est (can. 1309).

Can. 639

Qui indultum exclaustrationis ab Ap. Sede impetravit, votis ceterisque suae professionis obligationibus, quae cum suo statu componi possunt, manet obstrictus; exteriorem tamen debet habitus religiosi formam deponere; perdurante tempore indulti caret voce activa et passiva, sed gaudet privilegiis mere spiritualibus suae religionis, et Ordinario territorii ubi commoratur, loco Superiorum propriae religionis, subditur etiam ratione voti obedientiae.

1. *Qui indultum* etc. — Canon accuratissime definit conditionem iuridicam religiosi exclaustrati. Exclaustratus tenetur omnibus obligationibus, omnibusque iuribus fruitur cum sua professione religiosa coniunctis, quibus a iure communi aut non eximitur, aut non privatur. Eximitur autem in primis ab iis obligationibus, quae cum suo statu, nempe extra claustra degentis, componi non possunt: indultum enim extra claustra degendi, necessario secumfert omnes exemptiones huic statui necessarias et opportunas, praesertim quoad implementum voti paupertatis et officiorum vitae communis. Deinde eximitur ab obedientia erga Superiores religiosos, quatenus et ipsa nequeat cum statu exclaustrati conciliari; sed, vicissim, Ordinario loci in quo commoratur, obedire tenetur non solum ra-

tione domicilii, sed etiam ratione voti obedientiae, perinde ac in religione Superioribus religiosis: idque ex voluntate Ap. Sedis, potestatem suam dominativam in religiosum ita exclaustratum exercentis, in eum scilicet finem, ut et loci Ordinario (si agatur de clerico alienae dioecesis aut vota perpetua professo) suppetat modus eum obligandi, perinde ac si in dioecesi esset incardinatus; et simul exclaustratus magis persentiat, sese iugiter esse suae religioni devinctum. Quoad iura vero quae religiosorum sunt propria, religiosus exclaustratus privatur iure deferendi habitum religiosum: quare, si clericus, vestem propriam cleri saecularis induere tenetur; deinde privatur voce activa et passiva in negotiis suae religionis.

2. *Ab Apostolica Sede* etc. — Quocirca Pont. Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos, rogata, an qui indultum exclaustrationis ab Ordinario loci obtinuerit, teneatur conditionibus in hoc canone descriptis, 12 nov. 1922 respondit: *Affirmative, salva Ordinarii potestate concedendi exclaustrato, ob rationes particulares, facultatem retinendi habitum religiosum.* Quod quidem etiam exclaustratis per indultum Ap. Sedis, probante loci Ordinario, libenter conceditur.

CAN. 640

§ 1. *Qui, impetrato saecularizationis indulto, religionem relinquit:*

1. *A sua religione separatur, habitus eiusdem exteriorem formam debet deponere, et in Missa et horis canonicis, in usu et dispensatione sacramentorum saecularibus assimilatur;*

2. *A votis liberatus manet, firmis oneribus ordini maiori adnexis, si in sacris fuerit; non tenetur obligatione horas canonicas vi professionis recitandi nec aliis regulis et constitutionibus adstringitur.*

§ 2. *Si ex apostolico indulto in religionem rursus recipiatur, novitiatum ac professionem instaurat et locum inter professos obtinet a die novae professionis.*

Ut supra animadvertimus, hic canon ius antea vigens radicitus immutat; quare lex ita etiam potuisset paucis proponi: Per indultum saecularizationis religiosus ad statum saecularem omnimode reducitur; nempe laicalem, si laicus; clericalem, si clericus; firmis tantummodo obligationibus, aliunde quam e professione religiosa derivantibus, inter quas onera ordini maiori adnexa. Unde, si postea saecularizatus in religionem (seu diversam seu etiam eandem) rursus sit recipiendus (quod quidem fieri non potest, nisi ex indulto apostolico), perinde erga eum est agendum, ac si nunquam in religione fuisset. Ideo autem Legislator multa in canone congessit, quia ius novum erat constituendum vetusque abrogandum.

Neque est praetermittendum, Pont. Commissionem Codici i. c. authentice interpretando praepositam, rogata quum esset, utrum canonis huius § 1, comprehendat omnes qui saecularizationis indultum obtinuerint, sive ab Ap. Sede sive a loci Ordinario, 12 nov. 1922 respondisse: *Affirmative.* Quod planum est.

Can. 641

§ 1. *Si religiosus in sacris constitutus propriam dioecesim ad normam canonis 585 non amiserit, debet, non renovatis votis vel obtento saecularizationis indulto, ad propriam redire dioecesim et a proprio Ordinario recipi; si amiserit, nequit extra religionem sacros ordines exercere, donec Episcopum benevolum receptorem invenerit, aut Sedes Apostolica aliter providerit.*

§ 2. *Episcopus religiosum recipere potest sive pure et simpliciter, sive pro experimento ad triennium: in priore casu religiosus eo ipso est dioecesi incardinatus; in altero, Episcopus potest probationis tempus prorogare non ultra tamen aliud triennium; quo etiam transacto, religiosus, nisi antea dimissus fuerit, ipso facto dioecesi incardinatus manet.*

1. *Si religiosus* etc. — Si religiosus saecularizatus sit laicus, cum hoc canone nihil habet videndum. Si autem clericus fuerit, sed prima tantum tonsura vel ordinibus minoribus praeditus, tunc aliquatenus canonis dispositiones eum tenent, quoad prosecutionem studiorum et adeptionem sacrorum ordinum; sed, ad normam can. 211 § 2, potest etiam ad statum laicalem transferri, tum sua ipsius voluntate, praemonito loci Ordinario si nondum (ut quandoque evenire potest) dioecesim per professionem amiserit; tum ipsius Ordinarii, et *a fortiori* Ap. Sedis, decreto. Si demum saecularizatus constitutus fuerit in sacris, tunc difficilior fieri potest eius conditio. Contingit enim aliquando, ut saecularizatus propriam dioecesim non amiserit (quod quidem tantummodo in casibus saecularizationis religiosorum a votis temporariis evenire potest: nam in religionibus a votis perpetuis, professio perpetua praecedere debet susceptionem ordinum maiorum — cfr. can. 974, § 1 n. 7 et 982 § 1 et 2 — per professionem autem perpetuam dioecesis amittitur — can. 585); et hoc in casu debet ad suam dioecesim redire et vicissim, loci Ordinarius eum recipere: et ita omnia facile componuntur. Sed, e contra, plerumque accidit, ut saecularizatus, ad normam canonis 585, propriam dioecesim amiserit: et tunc statim ac fuerit saecularizatus, nec dioecesim nec religionem propriam habet, nullibi est incardinatus, et ideo vagus (can. 111). Quia vero clerici vagi a iure communi non admittuntur, ideo saecularizatus huiusmodi nequit *extra religionem* sacros ordines exercere, donec aut suam dioecesim, professione perpetua amissam, recuperet aut aliam inveniat. Quae suspensio non habet rationem poenae, sed ideo in ius nostrum inducta est, ut per eam saecularizatus magis excitetur ad Episcopum benevolum receptorem inveniendum. Quod si difficilior appareat huiusmodi Episcopi inventio, ad Ap. Sedem recurrendum est, quae aliter providebit, etiam, si opus fuerit et conditio oeconomica saecularizati id permiserit, per dispensationem ab obligatione Episcopum inquirendi.

2. *Episcopus religiosum* etc. — Inquisitione ad felicem exitum perducta, videndum est quemadmodum sese gerere debeat Episcopus receptor: in quo de-

finiendo summam Legislator et aequitatem et prudentiam contulit. Facultas, igitur, in primis Episcopo fit, pure et simpliciter saecularizatum in dioecesim recipiendi: et tunc facto ipso, sive beneficium simul eidem conferatur sive minus, dioecesi incardinatus censetur. Quod si, perspectis rerum adiunctis, id minus opportunum visum fuerit, fit rursum Episcopo facultas saecularizatum recipiendi pro experimento ad triennium, necnon, eo elapso, ad alterum triennium experimentum prorogandi: quod secundum triennium, si absque saecularizati dimissione transierit, hic iterum ipso facto censetur dioecesi incardinatus; si, e contra, ante id tempus legitime dimissus fuerit, inter vagos redibit. Quaeritur autem: quid, si primum triennium elabatur, quin Episcopus aut saecularizatum dimittat, aut recipiat, aut alterum triennium expresse concedat, dum et expresse concedere et rite dimittere poterat? Quidam Codicis expositores censuerunt, tum quoque subintrare facto ipso incarnationem in dioecesi. Quae nobis sententia minus placet: sive imprimis ex eo, quod incardinationi inest natura actus positivi, et quidem non mediocris momenti (cfr. can. 112 sqq.), et ideo incarnationem ipso facto perficiendam non intelligimus, nisi eam Legislator expresse induxerit; sive ex eo, quod Episcopum *benevolum* receptorem a iure *coactum*, admittere non possumus, nisi id ineluctabiliter ex ipso iure constiterit. Placet huic canoni finem facere, afferendo verba cl. C. Piontek (*De indulto exclaustr. necnon saeculariz.*, p. 231), qui ait: *Videat saecularizatus ne diu permaneat absque formali in aliqua dioecesi incardinatione, et quidem in scriptis. Documentum enim authenticum... tum quoque iuridicum effectum sortietur, quum, resoluto iure Episcopi receptoris, eius successor e dioecesi dimittere velit. Conetur praeterea saecularizatus, quantum fieri potest, invenire Episcopum, qui velit eum pure et simpliciter recipere in dioecesim: facile enim evenire potest, ut experimentorum gratia complures insumat annos vitae sacerdotalis, ac tandem, tristi historia teste, labori fere ineptus et tanquam sarcina inutilis ex mera commiseratione alicubi recipiatur. Infelix experientia aliorum, sit ipsi schola prudentiae!* Et hac de causa apud S. Congr. de Religiosis praxis invaluit, concedendi saecularizandis indultum exclaustrationis, adiecta clausula, vi cuius subsequens incardinatio ipso iure saecularizationem secumfert.

CAN. 642

§ 1. *Quilibet professus ad saeculum regressus, licet valeat, ad normam can. 641, sacros ordines exercere, prohibetur tamen sine novo et speciali Sanctae Sedis indulto:*

1. *Quolibet beneficio in basilicis maioribus vel minoribus, et in ecclesiis cathedralibus;*

2. *Quolibet magisterio et officio in Seminariis maioribus et minoribus seu collegiis, in quibus clerici educantur, itemque in Universitatibus et Institutis, quae privilegio apostolico gaudent conferendi gradus academicos:*

3. *Quocumque officio vel munere in Curiis episcopalibus et in religiosis do-*

mibus sive virorum sive mulierum, etiamsi agatur de Congregationibus dioecesanis.

§ 2. *Haec valent quoque de iis qui vota temporaria, vel iuramentum perseverantiae, vel peculiares quasdam promissiones ad normam suarum constitutionum ediderunt et ab eisdem dispensati fuerunt, si per sex integros annos eisdem ligati fuerint.*

1. Saecularizatus, incardinatione impetrata vel instaurata, potest, ad normam canonis praecedentis, sacros ordines, in quibus constitutus est, exercere, et ad ordines superiores, quibus forte caruerit, ascendere. Quousque? *Quum minoris esse soleat aedificationis* — ita S. Congr. de Religiosis, in decreto 15 iun. 1909 edito — *salvis extraordinariis nonnullis casibus, quod in officiis dioecesanis eminere conspiciantur, qui, vel in aliquo Ordine regulari vota solemnia professi, indultum saecularizationis sive perpetuae sive ad tempus obtinuerint, vel in Instituto aliquo religioso, emissis votis perpetuis, ab istis dispensati fuerint; ne alii inde religiosi induci possint, ut varios egrediendi claustra praetextus exquirant, quod nimis frequens accidere experientia docet: SS.mus D. N. Pius Pp. X decernere dignatus est, ut omnibus deinceps rescriptis, quibus saecularizatio perpetua vel ad tempus, aut votorum perpetuorum relaxatio, prout supra, sacerdotibus et clericis in sacris ordinibus constitutis conceditur, adnexae intendantur, licet non expressae, sequentes clausulae, quarum dispensatio Sanctae Sedi reservatur.* Ex quibus clausulis conflata est paragraphus prima canonis quem modo explicamus. Postea vero eadem S. Congregatio, per responsum *ex audientia SS.mi* die 15 apr. 1910 editum, praefatum decretum declaravit et extendit: *Quum in aliquibus Congregationibus et Institutis religiosis non habeatur professio votorum perpetuorum, sed tantum vel temporalium, vel etiam merum iuramentum perseverantiae, aut peculiares quaedam promissiones, quibus alumni, peracta probatione, Instituto vel Congregationi ligantur; et quum decretum S. Congregationis de Religiosis d. d. 15 iunii 1909, quo nonnullae praescribuntur clausulae rescriptis saecularizationis perpetuae vel temporaneae ac dispensationis votorum inserendae, expresse respiciat sacerdotes et clericos in sacris constitutos qui professionem votorum perpetuorum emiserunt: hinc dubium exortum est, utrum eisdem clausulis servandis teneantur sacerdotes et clerici in sacris constituti, qui non quidem professionem votorum perpetuorum, sed vel temporalium tantum, vel iuramentum perseverantiae, vel peculiares quasdam promissiones ad normam suarum constitutionum ediderant, et ab eisdem dispensationem obtinuerant. SS.mus autem D. N. Pius P. X respondendum mandavit: Affirmative, si religiosi votis temporaneis, vel iuramento perseverantiae, vel supradictis promissionibus per sex integros annos ligati fuerint.* Et haec prioris decreti declaratio et extensio, usque ad verborum apices, reperitur in huius canonis paragrapho secunda. Ideo autem integrum canonis fontem referre placuit, ut et quodnam fuerit hac in re ius ante Codicem vigens perspiceretur, et simul aperte constaret, quisnam fuerit finis

legis atque mens Legislatoris. Patet, igitur, habere nos prae oculis legem, quae iurium exercitium coarctat, quaeque proinde stricte est interpretanda (can. 19). In primis ergo videamus de inhabilitationibus (qua voce lato sensu utimur) in canone contentis, deinde de personis inhabilitatis, tertio de modo inhabilitationes auferendi.

2. *Prohibetur tamen* etc. — Prima inhabilitatio comprehendit quodlibet beneficium (non proinde vicarias paroeciales, cappellanias laicales, coadiutorias, pensiones personales et commendas temporarias, quae ad normam can. 1412 beneficii nomine in iure non veniunt; sicuti nec officia vel munera, quae rationem beneficii non habent, in iisdem ecclesiis forte exsistentia) in basilicis tum maioribus (nempe, praetermissis quae a religiosis administrantur, in basilica urbana Lateranensi, Vaticana et Liberiana); in basilicis minoribus, videlicet in ecclesiis quae, seu in Urbe seu extra Urbem, *basilicae* titulo ac privilegiis legitime fruuntur; denique in ecclesiis cathedralibus, idest in ecclesia principe cuiusque dioecesis: quare excipiendae videntur ecclesiae cathedralibus aequiparatae (*cum-cathedrales*), necnon ecclesia princeps vicariatuum apostolicorum, quorum vera et genuina ecclesia cathedralis, non est nisi basilica Lateranensis in Urbe. — Altera inhabilitatio comprehendit quaecumque magisteria et officia (et ideo non restant nisi munera inferiora, forte exsistentia, quibus natura officii ecclesiastici proprie non insit) in Seminariis cuiuscumque generis, necnon in Universitatibus aliisque Institutis, etiam civilibus, quae privilegio gaudent conferendi gradus academicos ecclesiasticos. — Tertia inhabilitatio comprehendit quodcumque officium vel munus (ac proinde est generalis) in Curiis episcopalibus (quibus accensenda videtur Curia cuiusque vicariatus et praefecturae apostolicae, qua Curia episcopalis R. Pontificis extra Urbem constituta), necnon in religiosis domibus, sive iuris pontificii sive dioecesani.

3. *Quilibet professus* etc. — Hisce autem inhabilitationibus (lata, ut antea diximus, significatione sumptis, ita ut beneficii, officii vel muneris collatio illicita quidem sit, non autem invalida: nam agitur de mera *prohibitione*) plectitur quilibet clericus, qui, quamvis aliunde praeditus sit omnibus qualitatibus a iure requisitis, tamen e religione, per indultum saecularizationis vel exclaustrationis, ad saeculum regressus fuerit, etsi agatur de votis temporariis, iuramento perseverantiae aliisve promissionibus, quae ad normam quarundam constitutionum quandoque eduntur: dummodo, in tribus hisce ultimis casibus, per sex saltem integros annos iisdem votis, iuramento aut promissione ligatus fuerit. Quare praefatae inhabilitationes tangere non videntur: — 1. saecularizatos ante susceptionem ordinum maiorum: uterque enim canon. 641 et 642, non agit nisi de saecularizato *in sacris constituto* (cfr. can. 641, § 1, 642, § 1); — 2. dispensatos a votis temporariis, iuramento vel qualibet promissione, ante finem anni sexti a quo huiusmodi vota, iuramentum aut promissiones tenere coeperunt; et ideo etiam dispensatos a votis temporariis, quae professioni perpetuae praecedunt: nam haec vota (quamvis, ut ius vetus minus aeque ferebat, perpetua *ex parte voventis*), quum

introducta sint ad candidatum *magis probandum,* antequam religioni perpetuo devinciatur, aliquid *precarii* necessario secumferunt, sicuti precaria est *probatio* natura sua, etsi vinculo *unilateraliter* perpetuo firmata; nec proinde fieri potest, ut propter negativum exitum probationis, candidatus, quoad vixerit *capitis deminutionem* patiatur. Ex adverso autem quidam Codicis nostri expositores tenent, non comprehendi in can. 642 exclaustratos, sed tantummodo saecularizatos (Ita ex c. Prümmer, *Manuale,* n. 253; Vermeersch, *Epitome,* n. 742; Fanfani, *De iure religiosorum,* n. 382 et alii nonnulli). Quae sententia, ut cetera argumenta negligamus, ex eo minus recta videtur, quod eadem pro utroque casu militet *ratio legis,* nempe publica utilitas; ac proinde, nedum in decreto *Quum minoris,* 15 iun. 1909, supra allato tanquam huius canonis fonte, sed etiam in can. 638, uterque casus satis aperte aequiparetur. Tandem praetermittendum non est, Pont. Commissionem ad Codicis canones authentice interpretandos, rogatam, an prohibitiones, de quibus in can. 642, eos etiam comprehendant, qui ante promulgationem Codicis ex venia pontificia extra religionem versabantur: die 24 nov. 1920 *affirmative* respondisse.

4. *Sine novo et speciali* etc. — Inhabilitationes, de quibus hactenus disseruimus auferri non possunt, nisi per novum (nempe a rescripto exclaustrationis vel saecularizationis distinctum) et specialem (videlicet pro unaquaque inhabilitatione speciatim impetratum) indultum S. Congregationis de Religiosis. Quod quidem indultum, uti patet, impetrari non potest, si Episcopus, beneficii, officii vel muneris collator, supplicem libellum non commendaverit; vel si religio, ad quam orator ante egressum pertinebat, interpellata, gravia argumenta obiecerit, iudicio S. Congregationis apta ad indultum denegandum. Sed, ut etiam patet, est in potestate S. Congregationis, omnes simul inhabilitationes uno indulto auferendi.

CAN. 643

§ 1. *Qui e religione, expleto votorum temporariorum tempore aut obtento saecularizationis indulto, egrediantur vel ex eadem fuerint dimissi, nihil possunt repetere ob quamlibet operam religioni praestitam.*

§ 2. *Si tamen religiosa sine dote recepta fuerit nec ex propriis bonis sibimet providere valeat, religio ex caritate eidem dare debet ea quae requiruntur ut modo tuto ac convenienti domum redeat, ac providere ut, naturali aequitate servata, per aliquod tempus mutuo consensu vel in casu dissensus ab Ordinario loci determinandum, honeste vivere possit.*

1. *Qui e religione* etc. — Canon agit de obligationibus patrimonialibus religionis, in qua quis vota temporaria iterare, aut e temporariis ad perpetua transire noluerit; vel a qua per indultum saecularizationis egressus fuerit, vel tandem, ad normam Tituli XVI subsequentis, legitime dimissus; ex adverso silet omnino de casu exclaustrationis, ea fortasse de causa, quod nulla necessitas cogebat ad con-

sulendum conditioni peculiari et omnino precariae exclaustrati. Et re vera Legislator in primis edicit, nihil prorsus in tribus casibus supra descriptis religionem ex iustitia debere ob quamlibet operam a religioso praestitam: quod quidem cum exclaustratis, qui religioni devincti esse pergunt, minime quadrat. Quoad dotem vero religiosarum, dum haec, ad normam can. 551 § 1, integra restituenda est (sine fructibus iam maturis) religiosae quavis de causa *discedenti* (cfr. comment. ad eund. can. n. 1), nequaquam videtur religiosa per indultum exclaustrationis e religione *discedere,* vel saltem discedere ad tempus et ex parte; corpore, non autem animo; facto, non iure: quae proinde materialis, partialis et temporaria parenthesis, pure et simpliciter *discessio* appellari non potest. Quod autem is, qui discessit, nihil repetere possit ob quamcumque operam religioni praestitam, non est nisi consectarium can. 580 § 2 et 582, vi quorum quidquid professus industria sua vel intuitu religionis acquirit, religioni vel (si religio bona temporalia possidendi incapax fuerit) Ap. Sedi acquirit: etenim, id quod alii acquisivi, patet me amplius repetere non posse. Quocirca, uti merito animadvertit cl. a Coronata (*Institutiones i. c.,* I, p. 839), sibi optime consulet religio, quae a postulantibus subscribendum curaverit instrumentum explicitae renuntiationis. Quod quidem non excludit ius religiosi saecularizati, aut professionem temporariam iterare nolentis, aut etiam dimissi, repetendi bona, quae in religionem forte secumtulerit, aut sibi post professionem obvenerint, dummodo ipsis legitime non renuntiaverit in favorem religionis.

2. *Si tamen religiosa* etc. — Deinde Legislator consulit religiosae abeunti, cui, sine dote in religionem receptae et inopia laboranti, *tenetur* religio ex caritate largiri ea omnia, quae requiruntur ut convenienter domum redeat et ibidem per aliquod tempus honeste vivere possit. Agitur proinde de veri nominis obligatione, nedum a lege morali caritatis, verum etiam a iure positivo ecclesiastico religioni imposita. Vis autem largiendae pecuniae, naturali aequitate demetiri debet, habita ratione temporis, quo inopia premet: quod temporis intervallum si mutuo consensu definiri nequeat, a loci Ordinario est determinandum. Denique Ap. Sedes tanti facit obligationem huiusmodi, ut S. Congr. de Religiosis, rogata, utrum religio, in qua dos non pertingit ad rationabilem subsidii caritativi aestimationem, omni obligatione erga religiosam discedentem liberetur restitutione dotis, an vero supplere teneatur id, quod, ad normam can. 643 § 2, defecerit ad aequum subsidium caritativum constituendum: die 2 mart. 1924, *negative* quidem ad primam partem, *affirmative* vero ad alteram responderit.

CAN. 644

§ 1. *Apostata a religione dicitur professus a votis perpetuis, sive sollemnibus sive simplicibus, qui e domo religiosa illegitime egreditur cum animo non redeundi, vel qui, etsi legitime egressus, non redit eo animo ut religiosae obedientiae sese subtrahat.*

§ 2. *Malitiosus animus, de quo in § 1, iure praesumitur, si religiosus intra mensem nec reversus fuerit nec Superiori animum redeundi manifestaverit.*

§ 3. *Fugitivus est qui, sine Superiorum licentia, domum religiosam deserit cum animo ad religionem redeundi.*

1. *Apostata a religione* etc. — In canonibus praecedentibus actum est de modis, quibus quis legitime seu ex parte seu ex toto, ad tempus vel in perpetuum, religionem relinquere potest; nunc vero Legislator agit de modis illegitimis religionem derelinquendi. Qui modi duo sunt: apostasia a religione et fuga. Utriusque vero natura hoc in canone accuratissime definitur. Et primum de apostasia. At quod constituendum delictum, requiritur in primis, ut religiosus *vota perpetua* emiserit: animus enim *nunquam* redeundi (quod, ut postea demonstrabimus, ad conceptum apostasiae pertinet) intelligi non potest sine *perpetua* redeundi obligatione. Quare, qui vota temporaria, aut iuramentum, aut promissionem, de quibus in can. 642 § 2, edidit, apostata esse non potest, sed, ut infra patebit, fugitivus tantum. Deinde ad apostasiam requiritur materialis *extra domum* propriae religionis commoratio: nec enim intelligi potest apostasia (ab ἀπό-ἵστημι, idest *procul dego*) a religione in eo, qui in domo eiusdem religionis (quamvis non sua) se receperit. Tertio requiritur ut haec commoratio *illegitima* sit: quod dupliciter fieri potest, nempe aut ex eo, quod illegitime incepit ac illegitime perdurat (idest contra voluntatem proprii Superioris); aut ex eo quod, quamvis inceperit legitime, illegitime tamen protrahitur: quod contingit si, legitime egressus, transacto legitimo tempore, reversus non fuerit. Quarto requiritur *animus nunquam redeundi*: si enim redeundi animus adesset, quamvis post amplissimum temporis intervallum, ian non ageretur de apostasia, sed de fuga, ad normam § 2 huius canonis. Quia vero omnia in iure tandem aliquando finiri debent, elapso mense, a die quo religiosus illegitime coepit extra domum propriae religionis commorari, animus numquam redeundi, et consequenter apostasiae delictum iure praesumitur et in foro externo tenet, usque dum peremptorie contrarium non probetur. Horum elementorum tum materialium tum moralium ratione habita, facile patebit quandonam admissum fuerit apostasiae a religione crimen, et quando minus. Haud immerito cl. a Coronata (*o. c.*, I, 642, nota 7) ab apostasia eximit religiosum, qui, ad iniustas Superioris vexationes vitandas, apud aliam religionem confugerit ac simul apud Superiores maiores vel Ap. Sedem recursum interponit: etenim recursus animum redeundi ad religionem manifeste significat.

2. *Fugitivus est* etc. — Ad fugae delictum constituendum tria requiruntur: e domo religiosa propria egressus, defectus licentiae, et animus ad religionem redeundi: proinde fugitivus censeri non potest religiosus qui ad aliam eiusdem religionis domum confugit. Videtur autem commoratio illegitima extra propriam domum, illegitimo egressui, a die quo quis regredi tenetur, esse aequiparanda. Animus autem redeundi a iure non praesumitur: imo, silente fugitivo,

praesumptio contraria ita currit, ut satis facile in foro externo, si natura religionis patiatur, subintret figura delicti apostasiae; quod quidem, ut supra diximus, praesupponit religionem a votis perpetuis, dum ex adverso fugae delictum in quacumque religione committi potest. Nec fugitivus censendus est religiosus, qui e domo egreditur ad breve tempus sine licentia: non enim hic recte dicitur domum religiosam *deseruisse;* nec religiosus extra domum degens, cuius licentia a paucis diebus expiraverit: nam parum pro nihilo reputatur.

Haec omnia theorice: in praxi huiusmodi leges prudentissime applicari debent, ne dum summum ius quaeritur, id in summam iniuriam vertatur.

CAN. 645

§ 1. *Apostata et fugitivus ab obligatione regulae et votorum minime solvuntur et debent sine mora ad religionem redire.*

§ 2. *Superiores debent eos sollicite requirere et ipsos, si vera poenitentia acti redeant, suscipere; reditum vero monialis apostatae vel fugitivae caute curet loci Ordinarius et, si agatur de monasterio exempto, etiam Superior regularis.*

1. *Apostata et fugitivus* etc. — Per delictum fugae vel apostasiae a religione, idest per actum unilateralem et illegitimum religiosi, nulla legitima immutatio induci potest in eius statu personali: quare prior eius conditio iuridica integra perseverat, ac praeterea ratio habenda est admissi delicti. At si nulla discedenti immutatio contigit in conditione *iuris,* magna ex adverso immutatio facta est in conditione *facti:* unde omnes obligatione tenentur factum illegitimum perimendi et omnia ad iuris normam reducendi. Et in primis ipse delinquens, sive apostata sive fugitivus, sine mora ad religionem redire debet, nempe a contumacia recedere. Ad quam urgendam obligationem, quae contumacem in foro tum interno tum externo tenet, inductae sunt iure communi poenae facto ipso incurrendae: scilicet apostata a religione incurrit ipso facto excommunicationem, proprio Superiori maiori, vel, si religio sit laicalis aut non exempta, Ordinario loci in quo commoratur, reservatam (can. 2385): praeterea vero, quousque apostasia perdurat, exclusus est ab actibus legitimis ecclesiasticis ac privatus omnibus privilegiis suae religionis (ibid.); religiosus autem fugitivus ipso facto incurrit, nedum privationem officii, si quod in religione habuerit, verum etiam, si sit in sacris constitutus, suspensionem ab exercitio potestatis ordinis proprio Superiori maiori reservatam (can. 2386).

2. *Superiores debent* etc. — Vicissim iisdem de causis, si spes aliqua supersit apostatam vel fugitivum ad religionem reducendi, Superiores religiosi (et si agatur de moniali etiam loci Ordinarius, si vero de religiosa a votis simplicibus solus Ordinarius) ex iure divino gravi obligatione tenentur eos requirendi et, quantum fieri potest, ad religionem prudenter reducendi. Quod si haec requisitio inutilis, aut aliis accedentibus delictis neglecta fuerit, religio sibi, ex aequitate, consulere potest per legitimam apostatae vel fugitivi dimissionem, quae ex iure vigente,

secus ac veteri iure (cfr. decr. *Quum singulae,* 16 maii 1911), ipso facto non incurritur ob solum delictum fugae vel apostasiae a religione (cfr. can. 646).

3. *Et ipsos... suscipere* — Re autem in integrum restituta et consequenter cessata contumacia, supersunt incursae censurae et delictum admissum. Absolutio a censuris, prudenti Superioris competentis arbitrio committitur. Quoad delictum vero, quia quaelibet culpa natura sua poenam violatae legis vindicativam exposcit, religiosus apostasiae vel fugae reus puniri debet ad normam constitutionum cuiusque religionis vel, si constitutiones forte nihil caveant, iuxta prudens arbitrium Superioris maioris (can. 2386). Praeterea apostasiae reus, ex praescripto iuris communis, ob peculiarem delicti gravitatem, voce activa et passiva perpetuo caret (can. 2385): a qua poena, ut patet, dispensare non potest nisi Ap. Sedes.

TITULUS XVI

DE DIMISSIONE RELIGIOSORUM

CAN. 646

§ 1. *Ipso facto habendi sunt tanquam legitime dimissi religiosi:*

1. *Publici apostatae a fide catholica;*

2. *Religiosus qui fugam arripuerit cum muliere; aut religiosa quae cum viro;*

3. *Attentantes aut contrahentes matrimonium aut etiam vinculum, ut aiunt, civile.*

§ 2. *In his casibus sufficit ut Superior maior cum suo Capitulo vel Consilio ad normam constitutionum emittat declarationem facti; curet autem probationes facti collectas in domus regestis asservare.*

1. Huc usque Legislator de egressu (idest per factum, seu legitimum seu illegitimum, semper tamen unilaterale ipsius religiosi) e religione; hoc autem Titulo agit de religiosorum dimissione, nempe de coacta separatione religiosi a religione per factum unilaterale religionis, utentis iure suo contra religiosum qui noxius evaserit. Quum autem dimissio huiusmodi negotium sit non omnino hypotheticum, cumque, si fiat, eo magis legitime fieri debeat, quo gravior est negotii natura: praecisas quasdam regulas statuere oportebat, quibus servatis, evitaretur illegitima religiosorum dimissio. Quamvis enim quidam inter veteres canonistas (cfr. Schmalzgrueber, *Jus eccles. univ.,* III, p. IV, tit. 31, n. 245), ex eo quod, vi sollemnis professionis, vinculum quoddam perpetuum et irrevocabile (cfr. Wernz, *Jus decretal.,* III, n. 676) ex utraque parte (religiosi, nempe, et religionis) contrahatur, inferre voluerint nulla de causa posse regularem e monasterio eiici, sed tantummodo in monasterio puniri aut etiam segregari: nihilominus, quum hic quoque *salus publica suprema lex* sit, et nemo adimere possit religioni ius naturale

ad propriam conservationem, iugiter apud religiones praxis obtinuit eiiciendi sodalem, qui ipsi religioni graviter et insanabiliter noxius evasisset. Unde S. Macarius (saec. V) in cap. 17 suae Regulae: « Qui vero, ait, saepius corripitur et non se emendaverit, novissimus in ordine stare iubeatur; qui si nec sic quidem sese emendaverit, extraneus habeatur ». Et S. Isidorus Pelusiota (item saec. V) in ep. 318: « Sin autem, scribit, is est, qui venia et indulgentia minime melior fiat, ... e fratrum tranquillitate foris ablegetur, ne tumidos fluctus ac vertigines placidis et quietis ipsorum moribus excitet: nam hoc quoque lex nobis sub parabolae cortice praescribit, cum eos qui lepra laborant, extra castra emittit ». Regula autem Orientalis (et ipsa saec. V) n. 35 haec habet: « Si vero fuerit aliquis tam alienus a timore Domini, ut tot castigationibus et tot remissionibus non emendet, proiiciatur e monasterio et velut extraneus habeatur, ne vitio ipsius alii periclitentur » (cfr. Holstenius-Brockie, *Codex regul.*, t. I, p. 20 et 64). Et S. Augustinus ad moniales Hipponenses (Ep. 211 — circa a. 423) scribit: « Si enim soror tua vulnus habet in corpore, quod vellet occultari, dum timet secari, nonne crudeliter abs te sileretur, et misericorditer indicaretur? ... Convicta vero secundum praepositae vel presbyteri arbitrium debet emendatoriam sustinere vindictam; quam si ferre recusaverit, et si ipsa non abscesserit, de vestra societate proiiciatur. Non enim et hoc fit crudeliter sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimas perdat. Et hoc... etiam in ceteris... convincendis vindicandisque peccatis diligenter observetur, cum dilectione hominum et odio vitiorum ». Eodemque fere modo S. Benedictus in cap. 28 *Regulae* suae. Imo eadem praxis lege civili confirmatam reperimus. Ait enim Justinianus Aug. (*Novell.* 133, 1) de monachis: « Et si quidem valuerit istis modis amovere lapsum... grates agere magno Deo, cum et in coelo fiat gaudium angelicis virtutibus, quando aliquis salvus fit peccatorum; si vero potiores ultra medicinam causae fiant, tunc etiam expelli eum e monasterio, quatenus dans semetipsum ex melioribus ad peiora, ipse suis malis potiatur solus et non per eius malum etiam alii violentur ». Nihil igitur mirum, si a tot saeculis inductae praxis rationem habens, Innocentius Pp. III (a. 1198-1216) S. Stephani et S. Proculi Abbatibus Bononiensibus ita rescripserit (c. 10, X, *de maiorit. et obedien.*, I, 33): « Ideoque nolentes, quod iidem canonici (regulares) tam effrenata deinceps libertate vagentur,... mandamus, quatenus... praefatos canonicos, ut ad prioris sui obedientiam revertantur,... per censuras ecclesiasticas compellatis, et, ne de sua possint contumacia... gloriari,... alioquin... de fratrum ipsorum consortio penitus excludatis ». Et hinc huius capitis rubrica: « Canonici regulares inobedientes priori suo, per ipsum excommunicari possunt et, si fuerint incorrigibiles, de fratrum consortio expelli debent ». Haec veterum disciplina quoad regulares incorrigibiles, usque ad a. 1624 obtinuit, quo anno, per decr. S. Congr. Concilii (21 sept.) *Regularium eiectorum*, pressius definita est. Siquidem, « regularium eiectorum et fugitivorum statui consulere, illorumque scandala submovere et succrescentem numerum frangere, operae pretium existimans », S. Congregatio, « ex peculiari Sanctitatis Suae (Urbani Pp. VIII) facultate », inter alia decrevit,

« ut in posterum e religionibus nullus legitime professus eiici possit, nisi sit vere incorrigibilis; vere autem incorrigibilis minime censeatur, nisi non solum concurrant omnia quae ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte statutis et constitutionibus cuiusque religionis... etiam a Sede Apostolica approbatis et confirmatis, verum etiam unius anni spatio in ieiunio et poenitentiae probetur in carceribus; proindeque unaquaeque religio privatos habeat carceres, in qualibet saltem provincia. Elapso autem anno, si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua pertinacia perseveraverit, ne contagione pestifera plurimos perdat,... eiici tandem possit, sed ab ipsomet Generali (Moderatore) tantum, de consilio et assensu sex Patrum ex gravioribus religionis, eligendis in singulis Capitulis vel congregationibus generalibus; tumque nonnisi instructo, secundum eorum stylum et constitutiones, processu et plene probatis causis expulsionis ad sacrorum canonum praescriptum (§ 6). ... Sic vero eiecti, quandiu non redierint ad religionem, in habitu clericali incedant, atque Ordinarii loci iurisdictioni et obedientiae subsint: proindeque Generalis illico expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur (§ 7). ... Praeterea statuit, ut iidem Superiores nemini ex religiosis expulsis litteras testimoniales concedant, illos ad Sedem Apostolicam reiicientes, vel iubentes aliam ingredi religionem (§ 9). Item, ut eiecti extra religionem degentes sint perpetuo suspensi ab exercitio ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi aut moderandi (§ 10). Ac postremo censuit esse innovandam, et Suae Beatitudinis auctoritate innovat, constitutionem fel. rec. Gregorii IX relatam in c. fin. extra de regular. » (scil. c. 24, X, *de regular. et transeunt. ad relig.*, III, 31), « ac praeterea declarat, eam constitutionem in iis quoque vendicare sibi locum servandamque esse, qui iuste, definitive ac iuris ordine servato expulsi fuerint: dummodo tamen in expulsis huiusmodi subsit spes evidens emendationis ex litteris saltem testimonialibus Ordinarii, cuius conscientiam in his litteris concedendis Sacra Congregatio serio oneravit » (§ 11). Constitutio autem Gregorii Pp. IX supra allegata sic se habet: « Ne religiosi, vagandi occasionem habentes, salutis propriae detrimentum incurrant,... statuimus ut Abbates seu Priores fugitivos et eiectos de Ordine suo requirant sollicite annuatim. Qui si in monasteriis suis recipi possunt secundum ordinem regularem, Abbates seu Priores eorum, monitione praevia, per censuram ecclesiasticam compellantur ad receptionem ipsorum, salva Ordinis disciplina... Si vero huiusmodi fugitivos vel eiectos inobedientes invenerint, eos excommunicent, et tamdiu faciant ab Ecclesiarum praelatis (idest a locorum Ordinariis) excommunicatos publice nunciari, donec ad mandatum ipsorum humiliter revertantur ». At septuaginta annis elapsis et « instantibus Procuratoribus generalibus religiosorum Ordinum pro moderatione decretorum de apostatis et eiectis, editorum a Sacra Congregatione Concilii et... anno 1624 confirmatorum, ut facilior modus incorrigibiles eiiciendi praescribatur », S. Congregatio per decr. 24 iul. 1694, « ne... remedia hucusque ad sanitatem oblata male affectis officiant magis quam prosint,... haec in posterum servanda

decrevit: — 1. Quod... ubi agitur de eiectis et eiiciendis,... quoad eiectos eadem serventur, quae in simili decreto hac praesenti die emanato (quod decretum, forte deperditum, in *Codicis i. c. Fontibus* desideratur) de apostatis et fugitivis statuta sunt... — 2. Quod annus integer, qui in praedictis decretis anni 1624 praescribitur in poenitentia et ieiunio ad eiiciendos incorrigibiles, ad sex tantum menses continuos in posterum coarctetur... — 3) Quod facultas Generalibus Ordinum... attributa (ut supra § 6), extendatur etiam ad quoscumque Provinciales, qui... causas huiusmodi cognoscant, et... accedente approbatione Generalis, definiant, salva semper Sanctae Sedis... in casu recursus et appellationis auctoritate. — 3. Quod in posterum processus conficiatur iuxta Regulas, constitutiones, ordinationes et stylum cuiusque Ordinis et religionis, donec aliter fuerit a S. Congregatione provisum ». Sed ne tum quidem incommodis carere visum est eiectionis negotium, praesertim quoad carcerationem praeviam et sollemnitates iudiciorum (cfr. Bastien, *De evolut. processus dimissionis,* in *Jus pontif.,* 1931, p. 24); nihilominus praxis huiusmodi, cui Ap. Sedes, instante religione, in singulis casibus aliquatenus derogare solebat, per duo fere saecula servata est. Auctae sunt difficultates, quum B. A. Grignon de Montfort condidit a. 1715 Congregationem B. Mariae V., nempe religionem quae prior solummodo vota simplicia ex instituto nuncupaverit (cfr. Battandier, *Instit. à vœux simples,* Préamb., XVII), quam postea eiusdem generis plurimae secutae sunt; et etiam magis quum Pius Pp. IX, 19 mart. 1857, per litt. encycl. *Neminem latet,* cuilibet professioni sollemni simplicem triennalem praemittendam esse sanxit. Tum vero, « attentis precibus Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum », S. Congr. super statu Regularium, per decr. 12 iun. 1858 statuit, inter alia, quae sequuntur: — 1. « Eadem vota simplicia (temporaria ex parte religionis, quorumque extra casum dimissionis dispensatio Romano Pontifici reservabatur) solvi etiam possunt ex parte Ordinis in actu dimissionis professorum, ita ut, data dimissione, professi ab omni... vinculo... eo ipso libero fiant (n. 3). — 2. Facultas... dimittendi (scil. ex iustis et rationabilibus causis (n. 5) professos votorum simplicium, de quibus agitur, spectat ad Magistrum Generalem Ordinis cum suo... Consilio », salva facultate delegandi in casibus extraordinariis (n. 4). — 3. « Ad decernendam dimissionem neque processus neque iudicii forma requiritur, sed ad eam procedi potest sola facti veritate inspecta... Nemo autem ex causa infirmitatis post professionem... superventae dimitti poterit » (n. 5). Praeterea, quum die 3 maii 1902 per decr. S. Congr. Episc. et Regularium *Perpensis,* obligatio triennalis professionis, sollemni praemittendae, extensa fuerit ad moniales, simpliciter professarum dimissio Ap. Sedi reservata est. Interim vero etiam religionibus votorum simplicium consultum fuerat per decr. eiusdem S. Congr. *Auctis admodum,* 4 nov. 1892, quo de sodalium dimissione haec statuebantur: — 1. « Dispositiones contentae in... decretis generalibus, quibus methodus ordinatur a Superioribus Ordinum Regularium servanda in expellendis propriis alumnis,... servandae imponuntur etiam Superioribus Institutorum votorum simplicium, quoties

agatur de... alumno vota... perpetua professo, vel... in sacris constituto dimittendo » (n. 3). — 2. Nemo autem dimitti poterit, « nisi ob culpam gravem, externam et publicam, et nisi culpabilis sit etiam incorrigibilis », nempe post praemissam, « distinctis temporibus, trinam admonitionem et correctionem; qua nihil proficiente, Superiores debent processum contra delinquentem instruere » (ibid.) — 3. Superiores praeterea debent « processus resultantia accusato contestari, eidemque tempus congruum concedere, quo suas defensiones sive per se, sive per alium eiusdem Instituti religiosum, exhibere valeat »; quod si non fecerit, defensor ex officio institui debet; a sententia vero dimissionis datus appellatio in suspensivo (ibid.). — 4. Quoties forma processus gravibus de causis servari non possit, tunc ad Ap. Sedem recurrendum est « ad effectum obtinendi... facultatem procedendi summario modo (ibid.). — 5. Alumni (etiam votorum sollemnium).,. ... in sacris ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi maneant, donec... Episcopum... receptorem invenerint et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint » (n. 4). Hisce dispositionibus, religionibus quoque votorum simplicium consulebatur. Sed ne huiusmodi quidem dispositiones plene satisfacere visae sunt: nam die 16 maii 1911 S. Congr. de Religiosis novissimum decretum edidit « de mothodo servanda in ferenda sententia expulsionis vel dimissionis ab Ordinibus et Institutis religiosis », quod proinde universam hac de re materiam retractat: « Quum singulae, ait, praescriptiones ac sollemnitates a iure statutae... ad ferendam sententiam expulsionis vel dimissionis ab Ordinibus et Institutis religiosis, commode servari nequeant... opportunum visum est alias statuere praescriptiones, magis expeditas et hodiernis temporum circumstantiis melius accommodatas ». Quae praescriptiones, obliterata distinctione inter expulsionem et dimissionem, in Titulum XIV Codicis i. c. *De dimissione religiosorum* substantialiter transierunt: cui Titulo interpretando haud parum proderit prolixa haec nostra explicatio veteris iuris.

2. *Ipso facto habendi sunt* etc. — Triplici modo, ex iure vigente, potest quis e religione dimitti: ipso facto, per decretum, per sententiam iudicialem. Videamus in primis de dimissione, quae, vi iuris communis, ex facto ipso exurgit, independenter a quocumque decreto vel sententia, quoad quoscumque religiosos, sive non exemptos sive exemptos, qui graviora quaedam delicta perpetraverint. Tres casus a iure recensentur. Scilicet primum ipso facto habendi sunt tanquam legitime dimissi religiosi, qui evaserint *publici apostatae a fide catholica.* Probe distinguendus est *apostata* pure et simpliciter acceptus, ab apostata *a religione* vel *a fide catholica:* ille namque a fide nedum catholica, verum etiam christiana totaliter recedit (can. 1325, § 2); iste irrevocabiliter recedit a religione, cui, votis perpetuis nuncupatis, irrevocabiliter erat adstrictus; hic recedit ab ea fide religiosa, cui, qua *catholicus,* devinciebatur. Quocumque igitur modo quis a fide recedat, seu ex toto seu ex parte (tum vero, sive directe per haeresim, sive indirecte per schisma), a fide catholica recedit et *apostata a fide catholica* dicitur. Scilicet eodem prorsus modo quo ex. c. in Bulla *Ineffabilis Deus,*

10 dec. 1854, qui dogma Immaculatae Conceptionis firmiter constanterque non crediderint, *naufragium circa fidem* fecisse dicitur, ita hic (ut de aliis quoque locutionibus satis saepe in Codice contingit) Legislator voce *apostata* vulgari significatione utitur (ab ἀποστάτης, desertor, qui deserto duce ad hostes transfugit, ut habet Forcellinus). Quam interpretationem suadet non solum locutionis diversitas, sed peculiaris etiam ratio legis, quae *eadem omnino* est tum in apostata formaliter sumpto, tum in haeretico et schismatico, nempe, ut recte observat cl. Tabera (*Comment. pro Relig.*, 1930, p. 412), tuendi incolumitatem ac bonam famam religionis. Quapropter perperam agere videtur idem Tabera, quum paullo post (ibid. p. 414) provocat ad can. 19, de legibus penalibus stricte interpretandis: non enim oportet ius calumniari et verba captare, sed qua mente quid dicatur, animadvertere (fr. 19 D. X, 4). Sed hic agitur de *publica* a fide catholica apostasia: quare, dum in lege comprehenditur apostasia *notoria* (seu facto seu iure), excluditur apostasia *occulta* (cfr. can. 2197), nempe quia in occulta, deficiente scandalo, deficit ratio legis. Potest igitur adesse in religioso genuinum (cfr. can. 2195) apostasiae, haeresis vel schismatis delictum, et tamen, quia occultum, dimissionem legitimam ipso iure non secumferre.

3. *Religiosus, qui fugam* etc. — Haud facile est delicti huius figuram definire. Ad omnes autem scopulos vitandos, hic quoque necessarium videtur, ut locutio *fugam arripere cum muliere* sensu vulgari, quo solet populus, accipiatur. In primis, igitur, ut canon teneat, opus est ut religiosus *fugam arripiat,* idest a domo religiosa illegitime egrediatur, vel, quod in idem recidit, si legitime egressus, ad domum non revertatur: etenim qui legitime extra domum commoratur, quousque id legitime facit, videtur in domo commorari. Sufficit factum: nec *est necessarius* animus non redeundi, prout in apostasia a religione, de qua in can. 644 § 1; vel redeundi, prout in fuga, de qua in can. 644 § 3. Praeterea requiritur ut religiosus fugam arripiat *cum muliere, aut religiosa cum viro.* Ex quibus verbis patet: — 1. opus esse in primis ut fuga arripiatur turpis contubernii ineundi causa: unde, si forte fugitivus ad normam can. 644 § 3, vel apostata a religione, alia prorsus de causa domum religiosam deseruerit, ac postea, oblata occasione, concubinatum inierit, dici non potest *cum muliere profugisse;* — 2. insuper opus esse, ut effectus revera sequantur; non sane turpe commercium, quod tandem aliquando semper deesse potest, sed saltem huius commercii species, ex qua commercium possit rationabiliter praesumi (veluti quum ex. c. religiosus, deserta domo, cum muliere iter arripuerit aut cohabitaverit): nam, si religiosus domo egressus, quaesitum forte contubernium inire postea detrectaverit aut quacumque de causa nequiverit, nec ipse censetur *cum muliere profugisse;* — 3. opus esse ut persona, quacum fuga arripitur, ea sit, in quam suspicio turpis delicti cadere possit: secus enim nec intentio praevia, nec effectus malus praesumitur (imo locus fit contrariae praesumptioni), nec plerumque scandalum adesse solet; quare non videtur canon tenere, si ex. c. persona, de qua agitur, ad pubertatem non pervenerit, aut provectioris sit aetatis, aut mo-

rum honestate praestans, aut fugitivi, saltem in primo gradu, consanguinea. Nec suadent rationes obiectae a cl. Tabera (l. c. p. 416). Ex adverso autem, ad hoc ut canon teneat, non requiritur: — 1. ut fuga cum dissimilis sexus persona ex condicto facta fuerit, quamvis conspiratio praevia, si adsit, multum conferat ad figuram delicti definiendam, praesertim in casu apostasiae vel fugae de quibus in can. 644: siquidem Legislator de turpi *facto* decernit, sed de origine non quaerit; — 2. imo nec requiritur, ut eadem persona in delictum consentiat: nam is etiam, qui ex. c., domo religiosa relicta, mulierem in malum finem rapuerit, recte dicitur cum muliere profugisse; — 3. denique nec requiritur, ut fuga arripiatur extra locum, in quo sita est domus religiosa: fuga enim cuiuscumque religiosi, non quidem a loco, sed a domo quam deseruerit, originem ducit ac iuridicam figuram capit.

4. *Attentantes aut contrahentes* etc. — Matrimonium is attentare dicitur, qui sciens se impedimento aliquo dirimenti detineri (inter quae impedimenta matrimonium dirimentia ordo sacer et professio sollemnis vel sollemni aequiparata, ex can. 1072 et 1073 recensentur), nihilominus matrimonium celebrat: scilicet attentat, non autem revera contrahit. Ex adverso votum simplex castitatis, etiam perfectae, quod in Ordinibus professioni sollemni praemittitur et in Congregationibus religiosis emitti solet, matrimonium impedit quidem contrahendum, sed non dirimit contractum. Quare religiosus, qui vota sollemnia non nuncupaverit nec ordine sacro auctus fuerit, matrimonium valide contrahere potest, quamvis contrahat illicite et in delicti huius poenam incurrat excommunicationem l. s. Ordinario reservatam (can. 2388). Denique vinculum civile inter baptizatos, non est matrimonium, sed matrimonii simulacrum; idcirco coram Ecclesia non coniugium facit, sed concubinatum. Haec meminisse placuit. Omnes igitur utriusque sexus religiosi qui vel matrimonium attentaverint, vel, extante impedimento impediente, illicite contraxerint, vel, spreto aut ex necessitate praetermisso vinculo sacramentali, civile vinculum inierint, vi huius canonis, habendi sunt tanquam e religione legitime et ipso facto dimissi, non exclusis ceteris poenis, quibus plectuntur delicta in hoc canone recensita.

5. *In his casibus* etc. — Imprimis religioni constare oportet, utrum religiosi, de quo agitur, conditio iuridica ea sit, quam can. 646 substantialiter requirit, ut quis facto ipso habeatur tanquam e religione legitime dimissus; an potius habendus sit tanquam fugitivus vel a religione apostata, ad normam can. 644. Estque hoc negotium religioni haud parvi momenti: nam, inter cetera, ad nihil tenetur religio erga transfugam ipso iure dimissum. Deinde de huiusmodi conditione iuridica religio semper parata esse debet ad referendum, tum Ap. Sedi, tum quandoque locorum Ordinariis, in quorum territorio transfuga versatus fuerit. Hisce de causis, tria sunt, ex iuris communis praescripto, religioni agenda: — 1. Tenetur religio facti probationes colligere: omnes, nempe, circumstantias, quae aliquid conferant ad definiendam facti naturam. — 2. Tenetur Superior maior, quem constitutiones designaverint vel cuius res interfuerit, circumstantiis prae-

dictis cum suo Capitulo vel Consilio diligenter ponderatis, emittere declarationem facti (non *iuris*), ad normam constitutionum. — 3. Tenetur tandem religio probationes huiusmodi (utique simul cum declaratione Superioris maioris) in domus regestis asservare.

CAPUT I

DE DIMISSIONE RELIGIOSORUM QUI VOTA TEMPORARIA NUNCUPARUNT

CAN. 647

§ 1. *Professum a votis temporariis sive in Ordinibus sive in Congregationibus iuris pontificii dimittere potest supremus religionis Moderator vel Abbas monasterii sui iuris cum consensu sui cuiusque Consilii per secreta suffragia manifestato, vel, si agatur de monialibus, Ordinarius loci et, si monasterium sit regularibus obnoxium, Superior regularis, postquam monasterii Antistita cum suo Consilio fidem de causis scripto fecerit; in Congregationibus vero iuris dioecesani, Ordinarius locis in quo religiosa domus sita est, qui tamen iure suo ne utatur Moderatoribus insciis vel iuste dissentientibus.*

§ 2. *Ji omnes, graviter eorum onerata conscientia, religiosum dimittere nequeunt, nisi servatis quae sequuntur:*

1. *Causae dimissionis debent esse graves;*

2. *Possunt se habere sive ex parte religionis sive ex parte religiosi. Defectus spiritus religiosi qui aliis scandalo sit, est sufficiens dimissionis causa, si repetita monitio una cum salutari poenitentia incassum cesserit, non vero infirma valetudo, nisi certo constet eam ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulutam;*

3. *Licet Superiori dimittenti certo innotescere debeant, non est tamen necesse ut formali iudicio comprobentur. At religioso semper manifestari debent, datam eidem plena respondendi licentia; eiusque responsiones Superiori dimittenti fideliter subiiciantur;*

4. *Contra dimissionis decretum est religioso facultas recurrendi ad Sedem Apostolicam; et pendente recursu, dimissio nullum habet iuridicum effectum;*

5. *Si de mulieribus agatur, servari debet praescriptum can. 643, § 2.*

1. *Professum a votis temporariis* etc. — Huc usque actum est de iis, qui ipso iure habentur tanquam legitime dimissi; modo agitur de iis religiosis, qui vota simplicia emiserunt, quique dimittuntur per decretum supremi Moderatoris. In his autem dimissionibus peragendis duplex modus procedendi a iure statuitur, prout agitur de dimissione religiosorum qui vota temporaria nuncupaverint, vel de demissione eorum qui nuncupaverint vota perpetua in religione clericali non

exempta vel in religione laicali, etiam exempta. De primis videamus. Ut supra diximus (cfr. comment. ad can. 646, n. 1), ante decr. *Sanctissimus,* editum a S. Congr. Episc. et Regul. 12 oct. 1858, nihil unquam fuerat generaliter constitutum de dimissione religiosorum, qui vota temporaria nuncupaverant. Cui decreto subsecuta sunt: 4 nov. 1892, decr. *Auctis admodum,* quo definiebatur modus dimittendi religiosos a votis temporariis in sacris constitutos; 8 dec. 1900, constit. *Conditae a Christo,* qua definiebantur limites iurisdictionis Ordinariorum localium in huiusmodi dimissionibus peragendis; 28 iun. 1901, *Normae secundum quas S. Congr. Episc. et Regul. procedere solet in approbandis novis Institutis votorum simplicium;* 3 maii 1902, decr. *Perpensis,* quo decr. *Sanctissimus,* extendebatur ad moniales, earumque dimissio Ap. Sedi reservabatur; ac denique et praesertim, 16 maii 1911, decr. *Quum singulae,* quo universa dimissionum disciplina ita recognita et perfecta est, ut postea fere ex integro in Codicem i. c. transierit. Quid igitur Codex caveat, paucis quaeramus. Normae in hoc canone statutae semper uti oportet, quoties agitur de dimissione religiosi vel religiosae qui vota temporaria nuncupavit, sive id fecerit in Ordine regulari, sive in Congregatione (seu iuris dioecesani seu pontificii), sive religio exempta sit, sive non exempta; imo Pont. Commissio Codicis i. c. interpretationi praeposita, rogata quid hac in re sentiendum esset de societatibus sine votis in communi viventibus: die 1 mart. 1921 authentice respondit, huiusmodi sodales, si vinculum quo adstringuntur (promissio vel iureiurandum) est temporarium, religiosis a votis temporariis quoad dimissionem aequiparari. Sed eadem Pont. Commissio, eodemque die, aliud edidit responsum, nempe de Societatibus in quibus vota simplicia emittuntur, adiecta conditione « donec in Congregatione vivam » aut alia simili; quod responsum ita se habet: « Pro iis qui vota *iam* emiserunt sub hac conditione, serventur canones 646, 647 et 648 », idest sunt et ipsi, quoad dimissionem, religiosis a votis temporariis aequiparandis. Quocirca cl. Schäfer (*De religiosis,* n. 581, 6), ob verbum illud *iam* responso interiectum, asserere non dubitavit, vota haec conditionata, quoad dimissionem religiosi, *in posterum* votis perpetuis esse aequiparanda. Sed haec assertio nullo pacto sustinetur: — 1. quia votum, omnino pendens quoad durationem ab arbitrio voventis (*arbitrio* dicimus, quum in foro externo versemur), eius est naturae, ut nullius mensurae applicationem patiatur: *a fortiori* rationem perpetuitatis; — 2. quia aequiparatio, de qua cl. Schäfer, esset prorsus inutilis, quum votum ita conditionatum, haud minus a voluntate religionis (quae tamen sine causa iusta et gravi suo iure uti non potest) pendeat, quam ab arbitrio religiosi: et idcirco ad eius dimissionem semper satis superque erunt causae, quae ad dimittendum religiosum a votis temporariis sufficiunt; — 3. quia ipsa Pont. Commissio in eodem responso edixit, professioni conditionatae, de qua agitur, praemittendum non esse triennium votorum simplicium, quod perpetuae professioni, ad normam can. 574, *semper praemitti debet;* quod quidem responsum pure et simpliciter exhibitum est, ita ut valeat *sine temporis limitatione:* ergo

ipsa Pont. Commissio exclusit comparationem, seu praesentem seu futuram, professionis conditionatae cum professione perpetua. Quibus de causis, vox illa *iam,* quae cl. Schäfer tanti momenti visa est in prima egregii sui operis editione (nam in editione altera, quamvis anceps haerere videatur, asseverationem tamen, de qua quaestio, e medio sustulit), prae se ferre videtur naturam mere pleonasticam, nisi potius ex inadvertentia irrepserit. Sed ad inceptum redeamus.

2. *Dimittere potest* etc. — Ut multa paucis complectamur, Superiores ad religiosum virum per se vel per delegatum dimittendum competentes, sunt: in qualibet religione iuris pontificii, supremus religionis Moderator vel, si de Ordine monastico agitur, Abbas monasterii sui iuris, qui tamen valide (can. 105) agere non possunt, nisi accedat consensus sui cuiusque Consilii per secreta suffragia exhibitus; in religione iuris dioecesani Ordinarius loci, in quo domus religiosa sita est. Superiores vero competentes ad religiosam per se vel per delegatum dimittendam, sunt: in qualibet Congregatione iuris pontificii, suprema Moderatrix ex consensu sui Consilii per secreta suffragia, ut supra diximus, manifestato; in Congregatione muliebri iuris dioecesani, Ordinarius loci in quo sita est domus religiosa. Restant moniales, quas consulto omisimus, quasque, ait Legislator, *dimittere potest... Ordinarius loci et, si monasterium sit regularibus obnoxium, Superior regularis.* Legis contextus satis obscurus, ac praeterea vetus disciplina nullimode suffragatur, quum decr. *Perpensis* (3 maii 1902), ut supra vidimus, dimissio monialis Ap. Sedi reservaret. Hinc sententia duplex: utramque cl. Vermeersch (*Epitome i. c.,* I, n. 751) ita proponit: « Si monasterium sit regularibus obnoxium, potestas dimittendi monialem a Prümmer, q. 258, soli Superiori regulari addicitur; dum Biederlack-Führich, n. 172, et Blat, p. 633, volunt ut Superior regularis simul cum Ordinario loci agat, ita ut neuter possit solus monialem dimittere, et, si dissentiant, monialis dimitti nequeat. Priori sententiae favet latinitas. Si enim Superior regularis et Ordinarius loci concurrere debeant, scribi debuit: dimittere *possunt,* numero plurali, dum habemus semper *potest,* numero singulari. Expectaveris quoque ut bis nominetur Ordinarius, qui semel solus et semel cum alio ponatur agens. Sat efficaciter tamen altera sententia appellat decretum *Quum singulae,* S. C. Religiosorum, 16 maii 1911, vi cuius n. 21 causae ad expellendam monialem (votorum tamen perpetuorum) probandae dicuntur *etiam* a Superiore regulari, si monasterium sit regularibus subiectum; fortiorem quoque rationem affert usus satis constans ponendi regimen huiusmodi monialium sub simultanea actione Ordinarii et Superioris regularis. Fanfani, n. 501, allegat can. 525, de confessariorum designatione; 535, de administrationis ratione (verum hic separatim agunt Ordinarius loci et Superior regularis); 549, de collocatione dotis. Magis valet quod in ipsa dimissionis causa, cum agitur de moniali quae professionem perpetuam fecit, votum tum Ordinarii loci tum Superioris regularis ad S. Sedem transmitti debet. Immerito autem Prümmer ascribit Biederlack et Blat sententiam, quam solus tenet Augustine, secundum quam possint ambo separatim monialem expellere. Etsi structura gram-

maticalis hanc interpretationem fert, eam tamen improbabilem habemus. Cum Fanfani, in sententiam Biederlack et Blat propendimus, optando tamen ut authentica declaratio omne dubium tollat ». Cui sententiae nos quoque accedimus, idque hac praesertim de causa, quod in huius sententiae favorem simul conspirent et obvius sensus textus (*Ordinarius loci et... Superior regularis*), qui, quidquid de Codicis Schematibus et sermonis elegantia (quae in Codice nostro haud raro desideratur) argumentetur cl. Tabera (*Comment. pro Relig.,* 1931, p. 147), ita, et non aliter, scriptus apparet; et decr. *Quum singulae* (16 maii 1911), quo (n. 21) *ad expellendas moniales, vota sive solemnia sive simplicia... professas,* potiores partes (quod cl. Tabera non meminit) tribuuntur loci Ordinario; et can. 652, qui idem facit quoad dimissionem monialium sollemniter professarum: negotium profecto maioris momenti, ut obiicit cl. Tabera, sed tamen eiusdem omnino naturae, quodque idcirco eiusdem naturae exsecutionem requirit. In praxi autem, extante dubio iuris (cfr. can. 15), quousque authenticum responsum omne dubium eliminaverit, tum loci Ordinario, qui potest ius probabiliter suum sibi vindicare, tum Superiori regulari caute et, quantum fieri potest, concorditer agendum est.

3. *Ji omnes graviter* etc. — Paragraphus haec altera canonis agit in primis de causis a iure communi requisitis, ut dimissio religiosi qui votorum temporariorum vinculo detinetur, legitime fiat. Huiusmodi causae iustae et *graves* esse debent, dum e contra si tempus votorum expletus fuerit, ad excludendum religiosum a votis temporariis iterandis vel a perpetua professione emittenda, causae iustae ac *rationabiles* sufficiunt (can. 637). At quaenam causae iustae et graves? Sane iustae eae omnes causae dicendae sunt, quibus religio uti potest sine laesione iustitiae; graves, quae vergunt in grave damnum religionis. Nec opus est, ad normam huius paragraphi, ut causae dimissionis necessario se habeant ex parte religiosi, sed sufficit se habeant ex parte religionis: quare etiam causa in qua religiosus nullam, saltem *formalem,* partem habuerit vel habeat (veluti si ex. c. religio impos fiat ad religiosum alendum), iusta esse potest causa dimissionis. Ex parte autem religiosi causa iusta et gravis toties se habebit, quoties prudenter praevideri possit, ex culpabili eius ratione sese gerendi graviter periclitari finis, propter quem in religionem receptus est: et inde scandalum manet in ceteros. Quare etiam merus *defectus spiritus religiosi,* ait Legislator, *qui aliis scandalo sit, est sufficiens dimissionis causa, si repetita monitio una cum salutari poenitentia incassum cesserit.* Quid autem, si ineptitudo ad finem religionis fuerit inculpabilis? Quaestio implicatissima, in qua ratio habenda est tum naturae huius ineptitudinis, tum gravitatis damni quod religio inde perceperit, tum temporis a quo ineptitudo apparuit, tum temporis ab inepto in religione transacti; et videndum, an fortasse infirmae valetudini aequiparari debeat. Quoad infirmam valetudinem, ante professionem dolose non reticitam, cfr. comment. ad can. 637, n. 3. Ceterum iudicium de iustitia et gravitate causae ad dimittendum requisitae, expresse committitur conscientiae Superioris, qui propterea et ne illegitime agat, admodum caute hac in re procedere debet.

4. *Licet Superiori dimittenti* etc. — Deinde paragraphus, quam explicamus, agit de modo procedendi in huiusmodi dimissionibus. Scilicet: — 1. Causae iustae et graves, quae ad dimissionem iure communi requiruntur, debent revera subsistere in rerum natura, non esse imaginationis figmentum; — 2. earum exsistentia et momentum debent Superiori dimittendi innotescere: quare, si fortasse Superior, neglectis causis iustis et gravibus, religiosum dimiserit ex causis fictis aut futilibus, dimissio non tenet; — 3. quia in humanis versamur, ad quamcumque aequivocationem vitandam, causae dimissionis dimittendo manifestari debent, data eidem plena facultate respondendi (quod quidem quodammodo respondet contestationi iudiciali) eiusque responsiones fideliter subiiciendae sunt Superiori dimittenti: qui, si causae iustae et graves revera extiterint, decretum dimissionis edere potest.

5. *Contra dimissionis decretum* etc. — Contra decretum dimissionis datur dimisso facultas recurrendi ad Ap. Sedem, nempe ad S. Congr. de Religiosis; pendente autem recursu, dimissio nullum habet iuridicum effectum. Quare, quum recursus in suspensivo appellationi iudiciali aequiparetur, S. Congr. de Religiosis, rogata de tempore utili ad recursum interponendum, 13 iul. 1923 respondit: *Tempus utile ad interponendum recursum quoad effectum suspensivum, de quo in can. 647 § 2, et decem dierum ab intimatione decreti religioso dimisso facta iuxta normas traditas in similibus casibus, vel can. 1465 § 1 et 2153 § 1.* Agitur proinde de utili tempore, quod religioso dimisso ignoranti aut agere non valenti non currit. Quapropter, ut monet cl. Tabera (l. c. pag. 374), expedit omnino, ut Superior de iure recurrendi ac de tempore utili certiorem faciat dimissum in actu dimissionis.

CAN. 648

Religiosus dimissus ad normam can. 647 ipso facto solvitur ab omnibus votis religiosis, salvis oneribus ordini maiori adnexis, si sit in sacris, et firmo praescripto can. 641 § 1, 642; clericus autem in minoribus ordinibus constitutus eo ipso redactus est in statum laicalem.

Legislator definit conditionem iuridicam religiosi a votis temporariis legitime dimissi. Ut canonem per se clarum aliquatenus illustremus, haec tenenda videntur: — 1. Quum agatur de dimissione religiosi a votis temporariis, qui proinde, brevi transacto tempore, liber omnino a votis extitisset ideoque libere tum etiam posset religionem deserere (can. 637), omnia facile componuntur. — 2. Scilicet dimissus, qui utili tempore contra dimissionis decretum recursum non interposuerit, vel cuius recursus ab Ap. Sede reiectus fuerit, facto ipso dimissionis ad effectum deductae, solvitur ab omnibus votis religiosis aut, si agatur de dimissione sodalis sine votis in communi viventis, a quacumque promissione vel iureiurando quo Societati devinciebatur. — 3. Ex adverso, ut patet, nullimode solvitur ab oneribus ordini maiori adnexis, si fuerit in sacris: nam onera huiusmodi,

oneribus e voto sollemni derivantibus aequiparata, nihil habent videndum cum professione religiosa a qua solvitur. — 4 Quum, ad normam can. 585, per temporariam votorum professionem dioecesim non amiserit, dimissus in sacris constitutus debet, ad normam can. 641 § 1, ad propriam dioecesim redire et a proprio Ordinario recipi; si vero in sacris non fuerit, sed tantummodo in minoribus ordinibus constitutus, facto ipso dimissionis reducitur ad statum laicalem. — 5. Praeterea vero, si sex integros annos ante dimissionem, in votis, vel iuramento perseverantiae, vel peculiari aliqua promissione transegerit, vi can. 642 § 2, interdicitur beneficiis et officiis de quibus in eodem canone § 1; si autem per brevius tempus, nulla interdictio adest. — 6. Denique, si dimissus fuerit sub imperio veteris iuris, applicandae sunt regulae de non retroactivitate legum et, si casus ferat, iurium quaesitorum.

CAPUT II

DE DIMISSIONE RELIGIOSORUM QUI VOTA PERPETUA NUNCUPARUNT IN RELIGIONE CLERICALI NON EXEMPTA VEL IN RELIGIONE LAICALI

Can. 649

In virorum religionibus clericalibus non exemptis et laicalibus, ut professus a votis perpetuis dimitti possit, praecedant necesse est tria delicta cum duplici monitione ac defectu emendationis ad normam can. 656-662.

1. *In virorum religionibus* etc. — Agitur in hoc capite de dimissione religiosorum a votis perpetuis, nempe eorum quibuscum religio vinculum perpetuum contraxerat: proinde dimissio difficilior; simul autem agitur de dimissione e religione non exempta aut, si exempta, ecclesiastica iurisdictione experti: ac proinde, cum potestate iudiciali religio careat, procedere non potest nisi via administrativa, idest, facti veritate inspecta, per decretum vi potestatis dominativae latum; vel (ut in religionibus muliebribus iuris pontificii) per delationem causae ad Ap. Sedem. Secus ac de dimissione religiosorum a votis sollemnibus in religione laicali, lex universalis de dimissione religiosorum a votis simplicibus perpetuis primum lata est per decr. *Auctis admodum,* editum, ut supra diximus, a S. Congr. Episc. et Regular. 4 nov. 1892, cuius dispositiones paullatim postea per constit. *Conditae a Christo* ac praesertim per decr. *Quum singulae,* quod etiam antea commemoravimus, viginti fere annorum spatio perfectae sunt. In Codice nostro aequiparantur, quoad modum dimissionis religiosi a voti perpetuis, religiones clericales non exemptae, in quibus vota sunt simplicia, et religiones exemptae laicales, in quibus vota sollemnia sunt. Tamen hic et subsequens canon non spectat nisi ad religiones virorum.

2. *Praecedant necesse est* etc. — In religionibus, de quibus agitur, quasi-contractus professionis comprehendit, tum ex parte religiosi tum ex parte religionis, vitam universam voventis, et ideo ad rescindendum ex parte religionis quasi-contractum huiusmodi, causa gravior requiritur quam ad rescindendum contractum initum ad tempus: requiritur, nempe, quod propter damnum religioni illatum et in posterum inferendum, religiosi praesentia intellerabilis evadat: brevi, requiritur incorrigibilitas religiosi, quam ut antea vidimus (cfr. comment. ad can. 646 n. 1), praecise primum induxerat S. Congr. Concilii per suum decretum 21 sept. 1624. At haec incorrigibilitas ex quibus consistit? In religionibus virilibus (de muliebribus postea) tunc adesse censetur, quum tria gravia delicta, sive contra ius commune sive contra peculiare ius religiosorum, ac praeterea post primum et alterum delictum monitio cum comminatione dimissionis (can, 661 § 3) praecesserint (cfr. can. 656): iterata enim post iteratum delictum monitio, et delictum post alteram monitionem tertio perpetratum, aperte demonstrant, nullam iam, humanitus loquendo, superesse spem emendationis; quare post haec religiosus incorrigibilis merito praesumitur. Quocirca in primis animadvertendum est, id quod habet rationem peccati, etiam gravissimi, non semper prae se ferre naturam delicti ecclesiastici: siquidem ad delictum constituendum requiritur externa et moraliter imputabilis violatio legis poenalis ecclesiasticae (can. 2195); quae quidem in peccato non semper reperiuntur. Deinde observandum est, tria delicta, de quibus supra, ut iustam causam praebeant dimissioni, eiusdem speciei esse oportere; quod si fuerint diversae speciei, talia esse debent, ut simul sumpta manifestent perversam religiosi voluntatem in malo pervicacem, scilicet eius incorrigibilitatem; tribus autem delictis aequiparatur, eadem de causa, delictum unum, post duas separatas (tridui spatio) monitiones (can. 660) continuatum, quodque inde fiat virtualiter triplex (can. 657). Denique canonicis monitionibus, quae ab immediato Superiore maiore vel de eius mandato, post inquisitionem praeviam si delictum notorium non sit aut sponte patefactum (can. 658), fieri debent (can. 659), addenda sunt exhortationes, correctiones, poenitentiae, remedia poenalia et, si casus ferat et fieri possit, translatio delinquentis in aliam domum, ubi et facilior sit vigilantia et remotior occasio delinquendi (can. 661 §§ 1 et 2).

CAN. 650

§ 1. *Haec si constituerint, supremus religionis Moderator cum suo Consilio, perpensis omnibus facti adiunctis, deliberet num locus sit dimissioni.*

§ 2. *Si maior suffragiorum numerus pro dimissione steterit:*

1. *In religione iuris dioecesani res tota deferatur ad Ordinarium loci in quo religiosa professi domus sita est, cuius est dimissionem pro suo prudenti arbitrio decernere ad normam can. 647;*

2. *In religione iuris pontificii ipse supremus religionis Moderator dimis-*

sionis decretum ferat; quod tamen ut suum sortiatur effectum, debet a Sede Apostolica confirmari.

§ 3. *Religioso ius est suas rationes libere exponendi; eiusque responsiones in actis fideliter referendae sunt.*

1. *Haec si constituerint* etc. — Extante causa de qua in canone praecedenti, omnia facti elementa ab immediato Superiore maiore significari debent supremo religionis Moderatori, cui deliberandum est an locus sit dimissioni. Ad quam deliberationem supremus Moderator valide devenire non potest, nisi cum suo Consilio. Moderatoris autem et Consilii suffragia sunt decisiva, ita ut, si maior suffragiorum numerus pro dimissione steterit, dimissio religiosi legitime deliberata censeatur.

2. *Si maior suffragiorum* etc. — Tum vero decretum dimissionis ferendum est. Quocirca aliter atque aliter res se habet, prout agitur de religione virili iuris pontificii vel iuris dioecesani. Nam si religio, quamvis vota perpetua ex instituo profiteatur, adhuc sit iuris dioecesani, acta omnia ad Ordinarium loci, in quo sita est religiosa professi domus, transmittenda sunt; eiusque est, data religioso dimittendo plena respondendi facultate (can. 647, § 2, n. 3), pro suo prudenti arbitrio dimissionis decretum ferre. Atque ita negotium universum in dioecesi peragitur. Dimisso tamen facultas semper competit recurrendi ad Ap. Sedem contra decretum dimissionis; quod, pendente recursu, nullum habet iuridicum effectum (ibid. n. 4). Aliter res se habet, si agatur de religione virili iuris pontificii. Tum enim, quum Ap. Sedes manus religioni apposuerit, haec nullo pacto minui potest, sine consensu apostolico. Proinde est quidem supremi religionis Moderatoris dimissionis decretum ferre; sed decretum huiusmodi nullum iuridicum effectum sortitur, quousque ab Ap. Sede non fuerit confirmatum : idcirco, et qui decretum tulit debet omnia acta ad S. Congr. de Religiosis transmittere, et religiosus non censetur dimissus, usquedum ei apostolica decreti confirmatio significata non fuerit. Quum vero dimittendus ius habeat, ad normam § 3 huius canonis, suas libere exponendi rationes, in actis referendas, patet has rationes exponendas esse, ac proinde requirendas, antequam decretum dimissionis feratur; salvo semper iure, recursum ad Ap. Sedem interponendi, sive ante sive etiam post confirmationem decreti: huiusmodi enim ius nemini unquam negatur.

Can. 651

§ 1. *Etiam ad dimittendas religiosas professas a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus exiguntur graves causae exteriores una cum incorrigibilitate, experimento prius habito ita ut spes resipiscentiae evanuerit, iudicio Antistitae.*

§ 2. *Praescriptum can. 650, § 3 etiam in religiosarum dimissione servandum est.*

1. *Etiam ad dimittendas* etc. — Hactenus de religionibus virorum, nunc vero

Legislator agit de dimissione in religionibus mulierum, in quibus vota perpetua nuncupantur: non enim tunc eadem sunt, ac in religione virili, iusta causa dimissionis et modus procedendi. Scilicet, dum illic requiruntur ad dimissionem tria delicta cum duplici monitione ac defectu emendationis (can. 649), hic, naturae peculiaris religionum muliebrium ratione habita, non requiruntur nisi *graves causae* exteriores una cum incorrigibilitate. Quaenam? Alii aliter sentiunt, et quandoque perperam. Nobis autem, ut verba legis, quae consulto Legislator indefinita reliquit, aliquatenus explicentur, haec videntur consideranda: — 1.) Quum religiosae eiectio intelligi nequeat nisi fiat ad religionem tuendam (cfr. comment. ad can. 646, n. 1), causa dimissionnis esse non potest, nisi detrimentum quod religioni timetur, quo nempe aut interna disciplina, aut fama, aut bona temporalia religionis periclitentur; ac proinde factum natura sua aptum ad pariendum detrimentum huiusmodi, quamvis, exsistente facto, nondum detrimentum fuerit secutum, sed tantummodo rationabiliter timeatur: imprudenter namque faceret religio, quae ad verum (non imaginarium) periculum avertendum, illatum damnum expectaret. Potest igitur *causa gravis,* de qua in canone, esse cuiuscumque generis: a loquacitate habituali quae ordinem et caritatem perturbet, usque ad delictum. — 2.) Quum agatur de dimissione ex causa, oportet ut malum factum, sit religiosae, non casui, imputabile: et ideo in dimittenda requiritur dolus aut saltem culpa, quae iuridice probari possint. — 3.) Quum denique homo sit naturaliter ad malum proclivis, nec sit in potestate religionis humanam hanc fragilitatem auferre, ideo non quidem unum male factum generatim esse potest iusta causa dimissionis, sed in male agendo perseverantia, nempe incorrigibilitas experimento probata, ita ut spes resipiscentiae evanuerit: quae omnia (ea etiam de causa, quod hic, secus ac in can. 649, numerus culparum aut delictorum a iure non definitur) prudenti Antistitae iudicio subiiciuntur.

2. *Praescriptum can. 650 § 3* — hic quoque servandum est: scilicet ius est religiosae suas rationes libere exponendi; eiusque responsiones in actis fideliter referendae sunt. Neque aliter esse poterat.

CAN. 652

§ 1. *Si agatur de religiosis iuris dioecesani, Ordinarii loci in quo sita est sororis professae domus, est causas dimissionis expendere et decretum dimissionis ferre.*

§ 2. *Si de monialibus, Ordinarius loci omnia acta et documenta transmittat ad Sacram Congregationem cum suo et Superioris regularis voto, si monasterium regularibus sit subiectum.*

§ 3. *Si de aliis religiosis iuris pontificii, suprema religionis Moderatrix rem totam ad Sacram Congregationem pariter deferat, cum omnibus actis et documentis; Sacra autem Congregatio tum in hoc tum in praecedenti casu quod magis expedire censuerit, decernet, firmo praescripto can. 643 § 2.*

1. *Si agatur de religiosis* etc. — Agitur in canone de Superiore competente ad dimissionem peragendam: proinde redit consueta distinctio inter religiones iuris dioecesani et pontificii, et rursum inter religiones mulierum regularium et non-regularium. Quum agitur de religione iuris dioecesani, causam expendere et decretum dimissionis ferre iugiter pertinet ad loci Ordinarium, in cuius dioecesi sita est domus religiosae dimittendae: neque Ap. Sedes huic negotio intervenit, nisi forte qua forum appellationis, omnibus iugiter patens, si religiosa dimissa recursum interposuerit (cfr. can. 647 § 2, n. 4).

2. *Si de monialibus* etc. — Aliter res se habent quum agitur de religione iuris pontificii, sive sit Ordo sive Congregatio, nam, in utroque casu, causas dimissionis expendere et dimissionis decretum ferre, pertinet ad Ap. Sedem: siquidem negotium tanti momenti neque relinquendum erat muliebri ingenio, neque in religionibus quibus R. Pontifex manus apposuit, locorum Ordinariis vel Superioribus regularibus amplius permittitur. Oportet igitur, ut in utroque casu acta et documenta, ad causam dimissionis spectantia, ad Ap. Sedem transmittantur. Sed non eadem est utrobique ratio transmittendi: etenim, dum ad dimissionem monialis quae spectant, transmittere debet loci Ordinarius (addito suo et, si monasterium sit Superiori regulari subiectum, Superioris regularis voto), acta et documenta quae spectant ad dimissionem religiosae e Congregatione iuris pontificii, transmitti debent ab ipsius Congregationis suprema Moderatrice. Quae differentia in aliis quoque negotiis quandoque invenitur. Quocirca non inopportune cl. Vermeersch (*Epitome*, I[4], 755): *Acta ista*, ait, *referre debent culpas exteriores quae religiosae obiiciuntur, ac probationes culparum; tentata experimenta; iudicium Antistitae de incorrigibilitate; facultatem quae religiosae data sit suas rationes libere exponendi, eiusque responsiones ad ea quae obiiciebantur*. Quoad denique praescriptum can. 643 § 2, quod hic quoque iisdemque de causis servandum esse dicitur, cfr. comment. ad can. 643 n. 2.

Can. 653

In casu gravis scandali exterioris vel gravissimi nocumenti communitati imminentis, religiosus statim potest a Superiore maiore cum consensu sui Consilii vel etiam, si periculum sit in mora et tempus non adsit adeundi Superiorem maiorem, a Superiore locali cum consensu sui Consilii et Ordinarii loci, ad saeculum remitti, habitu religioso illico deposito, ita tamen ut res per ipsum Ordinarium aut per Superiorem maiorem, si adsit, Sanctae Sedis iudicio sine mora subiiciatur.

1. *In casu gravis scandali* etc. — Canon consulit casibus, in quibus corporalis religiosi e religione remotio, ob peculiaria rerum adiuncta, maxime urget; atque, ut patet, comprehendit omnes religiosos ac religiosas, de quorum quarumve dimissione huc usque (can. 647-652) actum est. In primis autem Legis-

lator facti speciem delineat. Quae dupliciter potest contingere: si ob culpam religiosi grave scandalum exterius communitati immineat et si, eadem de causa, immineat communitati gravissimum nocumentum. Justa, igitur, causa immediatae remissionis ad saeculum, primo esse potest grave scandalum exterius: scandalum, nempe factum natura sua aptum ad laedendam famam religionis; grave, quo scilicet non mediocriter laedatur; exterius, videlicet non quidem inter religiosos, sed extra religionem, inter saeculares, seu laicos seu clericos: ex quo patet, vocem *exterioris* aliter hic adhiberi, ac in can. 651 vox *exteriores* adhibita est. Neque est praetereundum, posse interdum grave *scandalum* exterius imminere etiam praeter delictum, imo etiam praeter gravem culpam religiosi: quo in postremo casu, plerumque satis erit, si religiosus, qui scandalo causam dedit, ad aliam domum transferatur. Deinde iusta causa immediatae remissionis ad saeculum, esse potest gravissimum nocumentum communitati imminens; nocumentum: idest propter factum quod per se natum sit ad nocendum communitati, sive quoad religiosam disciplinam, sive quoad bona temporalia; gravissimum: et ideo gravitas quaevis in nocumento non sufficit, sed requiritur gravitas peculiaris; communitati: hoc est universae, non singulis imminens. Praeterea vero requiritur, ut in utroque casu damnum revera (non autem immaginarie) immineat; quod immineat ob veram culpam religiosi ad saeculum remittendi (secus, ubinam ratio maximae poenae?); quod tandem, per immediatam remissionem religiosi ad saeculum, imminens damnum saltem probabiliter averti aut notabiliter minui possit: nam alias damnum, non esset imminens, sed *datum* et evanesceret ratio canonis.

2. *Religiosus statim potest... ad saeculum remitti.* — Non agitur de legali dimissione (quae a sola Ap. Sede hisce in casibus, causa cognita, decerni potest), sed de mera remotione *de facto,* religiosi, ex cuius praesentia damnum religioni imminere censetur: proinde eius conditio iuridica extra religionem integra manet, una cum facultate iura sua omnimode tuendi et iure restitutionis in pristinum locum, si forte universum negotium merus imaginationis aut malevolentiae partus apparuerit.

3. *A Superiore maiore* etc. — Superior religiosus ad hanc dimissionem *de facto* peragendam competens, designatur a iure communi prouti sinunt rerum adiuncta: nempe regulariter, Superior maior (Abbas primas, Abbas Superior Congregationis, Abbas monasterii sui iuris, supremus Moderator, Superior provincialis vel ad instar provincialium potestatem habens, et horum vicarius — cfr. can. 488, n. 8); si vero periculum sit in mora et tempus Superiorem maiorem adeundi non adsit, etiam Superior localis. Statim igitur atque hic prudenter censuerit, gravis scandali exterioris vel gravissimi nocumenti improvisum periculum domui religiosae imminere, idque ex facto cuidam eiusdem domus religioso certe imputabili, et eius naturae ut damnum averti non possit, nisi eius facti reus quamprimum e religione removeatur: suum Consilium convocare eique tum periculi imminentiam, tum culpam religiosi, tum necessitatem immediatae remotionis roponere te netur et omnibus argumentis, quae colligere potuerit, demonstrare.

Si Consilium suis suffragiis (hic decisivis ac proinde necessariis ad validitatem actus) ad normam constitutionum vel, hisce silentibus ad normam can. 101, § 1, n. 1 prolatis, necessitatem remotionis non probaverit, tum Superiori locali non restat, nisi acta et documenta omnia ad Superiorem maiorem (vel hoc deficiente, uti contingere potest in religione iuris dioecesani, ad loci Ordinarium — cfr. can. 492, § 2) transmittere, ut ipse quid agendum sit videat; si e converso Consilium immediatae remotionis e religione necessitatem probaverit, tum eidem Consilio, rursum videndum est, an sit periculum in mora, ita ut (quod profecto fere nunquam eveniet) religiosum illico ad saeculum remittere oporteat. Accedente Consilii suffragio, omnia acta et documenta deferenda sunt loci Ordinario, cuius iurisdictioni subsunt religiones non-exemptae de quibus hic agitur, ad eius consensum obtinendum ad normam iuris communis: qui si et ipse accesserit, decretum remissionis statim conficiendum est et religioso ad saeculum remisso intimandum. Deficiente vero alterutrius, scilicet aut Consilii aut loci Ordinarii, consensu, acta omnia et documenta ad Superiorem maiorem mittenda sunt, ut ipse, si ita videbitur, remissionis decretum ferat.

4. *Sanctae sedis iudicio* etc. — Quae huc usque diximus de immediata, sed mere corporali, separatione religiosi a sua religione, ad grave malum ipsi religioni, ut a Legislatore praesumitur, imminens avertendum, absque ulla forma processus peragenda sunt: agitur proinde de sententia sine processu lata, imo sine processu ad executionem perducta. Haec ratio quare Ap. Sedes, veluti tacita recursus interpositione praesumpta, ad se advocat causam universam, tanquam ad forum extraordinarium appellationis. Quia vero semper adest periculum (in humanis versamur!), ut religiosus (prius damnatus quam convictus, ac proinde *facto* deiectus ex ea conditione iuridica, quam *iure* ex integro conservat) poenam ferat non suam, aut iniustam, aut minus congruam: ideo cavet ius commune, ut res Ap. Sedis iudicio *sine mora* subiiciatur. Tenetur igitur Superior maior vel, eo deficiente (ut quandoque in religionibus iuris dioecesani accidere solet), loci Ordinarius acta omnia et documenta, ad religiosi eiectionem pertinentia, statim ac ad se pervenerint, ad S. Congr. de Religiosis transmittere, quae, causa cognita, aut legale dimissionis decretum feret, aut fortasse religiosum iniuste eiectum suo loco restituet.

CAPUT III

DE PROCESSU JUDICIALI IN DIMISSIONE RELIGIOSORUM QUI VOTA PERPETUA SIVE SOLLEMNIA SIVE SIMPLICIA NUNCUPARUNT IN RELIGIONE CLERICALI EXEMPTA

Can. 654

Vir professus a votis sollemnibus aut a votis simplicibus perpetuis in religione clericali exempta ne dimittatur, nisi processu instituto, salvo praescripto an. 646, 668, et revocato quolibet contrario privilegio.

1. *Nisi processu instituto* — Dum in religionibus non-exemptis dimissio necessario fit per decretum, idest per viam administrativam, quia, nempe, religiones huiusmodi in suos iurisdictione ecclesiastica non gaudent, sed tantummodo potestate dominativa, ex quasi-contractu professionis sive ad tempus sive in perpetuum enascente: e converso in religionibus a potestate Ordinariorum localium exemptis, et in quibus hac de causa adest amplissima in suos iurisdictionis potestas, iudiciali non exclusa, dimissio religiosorum fieri debet *instituto processu* iudiciali. Quia vero canones, qui sequuuntur, recta descendunt a Clementis Pp. V const. *Saepe contingit* (19 nov. 1306), in qua modus conficiendi processum summarium describebatur, abs re non erit Clementinam hic constitutionem afferre, quae ita se habet: *Saepe contingit quod causas committimus, et in earum aliquibus simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii procedi mandamus: de quorum significatione verborum a multis contenditur, et qualiter procedi debeat dubitatur. Nos autem dubitationem huiusmodi, quantum nobis est possibile, decidere cupientes, hac in perpetuum valitura constitutione sancimus, ut iudex, cui taliter causam committimus, necessario libellum non exigat; litis contestationem non postulet; tempore etiam feriarum, ob necessitates hominum indultarum a iure, procedere valeat; amputet dilationum materiam; litem, quantum poterit, faciat breviorem, exceptiones, appellationes dilatorias et frustratorias repellendo, partium, advocatorum et procuratorum contentiones et iurgia, testiumque superfluam multitudinem refrenando. Non sic tamen iudex litem abbreviet, quin probationes necessariae et defensiones legitimae admittantur. Citationem vero ac praestationem iuramenti de calumnia vel malitia, sine de veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commissionem huiusmodi intelligimus non excludi. Verum, quia iuxta petitionis formam pronunciatio sequi debet, pro parte agentis, et etiam rei, si quid petere voluerit, est in ipso litis exordio petitio facienda sive in scriptis sive verbo, actis tamen continuo (ut, super quibus positiones et articuli formari debeant, possit haberi plenior certitudo et fiat diffinitio clarior) inserenda. Et quia positiones ad faciliorem expeditionem litium propter partium confessiones, et articulos ob clariorem probationem usus longaevus in causis admisit: nos, usum huiusmodi observari volentes, statuimus ut iudex sic deputatus a nobis (nisi aliud de partium voluntate procedat) ad dandum simul utrosque terminum, dare possit; et ad exhibendum omnia acta et munimenta, quibus partes uti volunt in causa, post dationem articulorum diem certam, quandocumque sibi videbitur, valeat assignare: eo salvo, quod, ubi remissionem fieri contingeret, pro testibus producendis possint etiam instrumenta produci, assignatione huiusmodi non obstante. Interrogabit etiam partes, sive ad earum instantiam sive ex officio, ubicumque hoc aequitas suadebit. Sententiam vero diffinitivam (citatis ad id, licet non peremptorie, partibus) in scriptis et, prout magis sibi placuerit, stans vel sedens proferat, etiam (si ei videbitur) conclusione non facta, prout ex petitione et probatione et aliis actitatis in causa faciendum. Quae omnia etiam in illis casibus, in quibus per aliam constitutionem nostram vel alias procedi potest sim-*

pliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii, volumus observari. Si tamen in praemissis casibus solennis ordo iudiciarius in toto vel in parte, non contradicentibus partibus, observetur : non erit processus propter hoc irritus, nec etiam irritandus. Data Avinione, etc.

2. *Salvo praescripto* etc. — Quodlibet privilegium, vi cuius antea religiosus a votis perpetuis e religione clericali exempta forte dimitti poterat *processu non instituto,* expresse revocatur. Quare revocatum non videtur privilegium, si quod concessum fuerit, dimittendi ex eadem religione eundem religiosum, per processum forma diversum ab eo, quod subsequentibus canonibus praescribitur: dummodo naturam processus iudicialis substantialiter retineat, ita ut veraciter dici possit, non dimitti religiosum *nisi processu instituto.* Exceptis, igitur, casibus de quibus in can. 646, vi cuius dimissio ipso iure facta censetur, semper ad dimissionem religiosi exempti processus est instituendus, nempe tum quoque, quum, ad normam can. 668, ob periculum imminens, religiosus a religione *de facto* statim separatur: nam hisce in rerum adiunctis, religioso ad saeculum remisso, illico processus instituendus est.

Can. 655

§ 1. *Ad sententiam dimissionis ferendam competens est supremus religionis vel monasticae Congregationis Moderator cum suo Consilio seu Capitulo, quod quatuor saltem religiosis constet; si qui deficiant, eorum loco totidem religiosos eligat praeses de consensu aliorum qui cum ipso tribunal collegiale constituant.*

§ 2. *Praeses de aliorum consensu promotorem iustitiae nominet ad normam can. 1589 § 2.*

1. *Ad sententiam dimissionis* etc. — Ad processum, de quo in can. 654, instituendum, ante omnia definire oportebat constitutionem tribunalis competentis. Tribunal autem ordinarium ad sententiam dimissionis ferendam competens, est tribunal collegiale quinque saltem iudicibus constans, quorum unus tribunali praeest et ad normam can. 1577 § 2, processum dirigit. Cavet autem ius commune, ut tanquam tribunal collegiale habeatur in casu supremi Moderatoris Consilium, de quo in can. 516 § 1, cui praesit ipse Moderator supremus religionis vel Congregationis monasticae: excluditur proinde Abbas monasterii sui iuris. Si quis autem ex hisce consiliariis quacumque de causa defecerit aut impeditus fuerit, praeses totidem religiosos substituere tenetur; si autem defecerit ipse Moderator, vicem eius in omnibus agit Vicarius; si impeditus fuerit, eius delegatus. Semel constitutum, tribunal collegiale, ad normam can. 1577 § 1, in omnibus collegialiter procedere debet, idest omnibus interloquentibus, et per maioritatem suffragiorum, ad normam eiusdem canonis sententiam ferre, salva auctoritate praesidis in processu dirigendo et in iis decernendis, quae pro iustitiae administratione in causa quae agitur necessaria sunt. Quod si locus, in quo delicta

patrata esse dicuntur, sit a sede supremi Moderatoris dissitus, agendum ipsi est ad normam can. 667.

2. *Praeses de aliorum consensu* etc. — Constituto tribunali, eius praeses, quisquis sit (cfr. can. 667), eligere tenetur promotorem iustitiae, qui sit, ad normam can. 1589, eiusdem religionis alumnus, sacerdos integrae famae, in iure canonico doctor vel utcumque peritus ac prudentiae et iustitiae zelo probatus. Est autem promotor iustitiae eligendus *de consensu aliorum,* nempe iudicum tribunalis collegialis iam constituti, quorum proinde suffragium, in persona promotoris deligenda, est decisivum. Neque est praetermittendum, omnia fere quae hoc in canone continentur, ut evenire solet in processibus iudicialibus, ad processus validitatem praecipi. Quare processus dimissionis religiosorum exemptorum irritus est: ob defectum competentiae, si tribunal a supremo Moderatore eiusve Vicario aut delegato constitutum non fuerit, vel non constet quinque saltem iudicibus (aut tribus in casu de quo can. 667); ob praescriptum can. 1587, si non interfuerit promotor iustitiae; ob praescriptum can. 105 n. 1, si tribunalis praeses contra maioritatem suffragiorum egerit in iudicibus substituendis vel persona promotoris iustitiae deligenda. Quibus omnibus legitime peractis, iam delibari potest causa dimissionis: quaenam autem haec esse debeat et a quo et quomodo sit pertractanda, novem canonibus qui subsequuntur definitur.

CAN. 656

Ad processum instruendum deveniri nequit nisi praecesserint: — 1. *Gravia delicta externa sive contra ius commune sive contra speciale religiosorum ius;* — 2. *Monitiones;* — 3. *Defectus emendationis.*

1. *Ad processum instruendum* etc. — Conflatur ex hoc et subsequentibus canonibus lex poenalis de dimissione religiosorum exemptorum, tum quoad figuram delicti, tum quoad poenam ipsi debitam: nam iusta causa dimissionis esse non potest, nisi delictum ecclesiasticum, nempe, ad normam can. 2195, externa et moraliter imputabilis legis violatio, cui addita sit sanctio canonica saltem indeterminata. Nulla igitur alia causa ad dimissionem sufficit: non ex. c. infirma valetudo; non ipsa amentia insanabilis (S. Congr. de Relig., 5 febr. 1925); non ineptitudo ad munera religionis obeunda aut indolis importunitas; non culpa, etiam iterata, rationem delicti non attingens, quae, videlicet, aut non fuerit moraliter imputabilis, aut non externa (scil., tandem aliquando, quae in iudicio probari non possit), aut non contra legem poenalem; non denique ipsum delictum legitime praescriptum (can. 1702, 1703). Sententia ergo dimissionis, in hisce aliisque similibus casibus lata, irrita est.

2. *Gravia delicta externa* etc. — Sed praeterea delictum, qua tale, non sufficit ad iustam causam dimissionis, in casu de quo agitur, constituendam: nam oportet ut delictum sit multiplex et grave (verbum *externa,* quia hic pleo-

nasmus videtur, praetermittimus) atque ut constet de factis monitionibus et de defectu emendationis, idest de incorrigibilitate. De numero delictorum, monitionibus et defectu emendationis, postea; hic videndum est de delicti gravitate. Quam quidem, in primis, dimetiri non possumus e gravitate peccati: peccatum enim, quantumvis grave, non necessario induit naturam gravis delicti ecclesiastici, imo ne delicti quidem; proinde aliud est fundamentum gravitatis in peccato, aliud in delicto: scilicet illic gravitas culpae erga Deum, hic culpae gravitas erga Ecclesiam. Itaque quum agitur de iusta causa dimissionis religiosorum, factum illud tanquam delictum grave habebimus, quod grave damnum infert religioni, sive quoad internam disciplinam, sive quoad exteriorem famam, sive quoad bona temporalia, ut antea explicavimus (cfr. comment. ad can. 651 n. 1). De qua gravitate iudicare, tandem aliquando spectat ad tribunal collegiale, de quo nuper egimus, ac postea ad Ap. Sedem, cuius est, ad normam can. 666, sententiam dimissionis, ab eo tribunali forte latam, confirmare vel reiicere.

CAN. 657

Delicta debent esse saltem tria eiusdem speciei, vel, si diversae, talia ut simul sumpta manifestent perversam voluntatem in malo pervicacem, aut unum tantum permanens, quod ex repetitis monitionibus virtualiter triplex fiat.

1. *Delicta debent esse* etc. — Ideo tria saltem delicta requiruntur, ut ex iterata monitione et emendationis defectu evinci possit probabilis incorrigibilitas delinquentis. Et hac de causa parum interest, utrum triplicitas huiusmodi revera extiterit in rerum natura, an fuerit tantummodo virtualis: utrobique enim iugiter eadem ratio delinquendi, nempe perversa voluntas pervicax in malo. Quare, si religiosus ex. c. apud se retineat magnam auri vim, ut ea libitu suo utatur iure quodam dominii et omnino independenter a voluntate Superioris religiosi; idque contra votum paupertatis, contra Regulam quam est amplexus et constitutiones, quibus parere sese obligavit, necnon contra ius commune, qui religiosis huiusmodi omne ius dominii graviter interdicit: adest hic proculdubio delictum grave, unum quidem sed continuatum; quod, si post unam et alteram monitionem non cessaverit, et triplex virtualiter fit, et simul indicium praebet probabilis incorrigibilitatis.

2. *Eiusdem speciei vel* etc. — Eodem modo parum refert, utrum tria delicta, ad dimissionem requisita, eiusdem speciei sint, an potius diversae: nam, etsi conceditur pervicacia in eadem specie delicti perversam voluntatem clarius manifestare; nihilominus, si cui regularis disciplinae iugum tam grave videatur, ut ab altera via iniquitatis revocatus, alteram quam primum ingrediatur et post hanc tertiam, idque in iis rerum adiunctis, ut satis manifeste appareat, eum iugum religionis nullimode perferre velle: hic quoque patet perversa voluntas pervicax in malo, ideoque probabilis incorrigibilitas.

CAN. 658

§ 1. *Ad monitionem faciendam necesse est ut aut delictum sit notorium aut de eodem constet ex rei confessione extraiudiciali vel ex aliis sufficientibus probationibus quas praevia inquisitio suppeditaverit.*

§ 2. *In inquisitione peragenda serventur, congrua congruis referendo, praescripta can. 1939 seqq.*

1. *Ad monitionem faciendam* etc. — Monitiones, de quibus hic agitur, maximi momenti sunt, sive iuridice sive moraliter considerentur. Haec ratio, quare ius commune negat monitionem canonicam, tanquam dimissioni praeviam, fieri posse extra casus taxative recensitos. Prior casus tunc extat, quum patratum delictum est notorium, scilicet notorietate facti: quae quidem adesse dicitur, quum delictum et publice notum est, et ita commissum, ut factum nec celari, nec ulla ratione excusari possit (can. 2197 n. 3). Agitur proinde de casu, in quo delictum est omnino certum. Alter casus consistit in confessione extraiudiciali a reo ipso facta. Potest rei confessio esse spontanea vel fere spontanea, et tunc, in se considerata, animum sincerum et facti poenitentem manifestat atque commiseratione potius quam dimissione dignum; sed plerumque confessio delicti multiplicatis Superioris interrogationibus e reo laboriose veluti exprimitur: utrobique tamen prudenter agendum est et, ad normam can. 1753, perpensis omnibus rerum adiunctis, quanti facienda sit aestimandum. Tertius casus tum occurrit, quum e certis indiciis vel notitiis ingeritur in animum Superioris suspicio delicti, et tunc opus est inquisitione, ad quam prudentissime peragendam Superior religiosus, si indicia futilia non sint, prorsus tenetur. Sed, ut can. 1942 § 2 graviter monet, nihili faciendae sunt denunciationes quae ab inimico manifesto, aut ab homine vili et indigno proveniunt, vel anonymae iis adiunctis carentes, quae accusationem probabilem reddant.

2. *In inquisitione peragenda* etc. — Quomodo peragenda sit huiusmodi inquisitio docent can. 1939-1944, quorum vi, si delictum innotuerit ex rumore et publica fama, sive ex denunciatione, sive ex querela damni, sive ex inquisitione generali antea facta aut alia quavis ratione, ideo inquisitione speciali utendum est, ut pateat an et quo fundamento suspicio vel imputatio innitatur (cfr. can. 1939). Quae inquisitio quamvis, si fieri potest, per Superiorem ipsum peragenda videatur, tamen eam potest Superior alii religioso committere (cfr. can. 1940). Ipso autem iure naturali, tenetur inquisitor, quisquis sit, ad secretum servandum et officium fideliter implendum, nempe quacumque personarum acceptatione remota (cfr. can. 1941 § 2). Inquisitio secreta semper esse debet et cautissime ducenda, ne rumor delicti diffundatur, neve bonum cuiusque nomen in discrimen vocetur (cfr. can. 1943). Potest etiam inquisitor, ad finem inquisitionis assequendum, aliquos, quos de re edoctos censeat, sed quantum fieri potest, sub secreto interrogare (cfr. can. 1944 § 1): idque ita, ut primum interroget de generalibus

rerum adiunctis, postea, si opportunum videatur, ad finem inquisitionis deveniat (cfr. can. 1774), sintque interrogationes remotae a cuiusvis offensione et ducentes ad veritatem detegendam (cfr. can. 1775). Quod si ea sit Superioris cum teste necessitudo ac ipsius testis pietas et in religionem studium, una cum spectata prudentia et animi sinceritate, ut Superior cum eo liberius agere possit, videtur Superior allatorum canonum praescriptis pressius inhaerere posse.

Can. 659

Monitio fieri debet ab immediato Superiore maiore per se vel per alium de eius mandato; sed Superior mandatum ne det, nisi praevia informatione facti ad normam can. 658 § 1; datum vero mandatum pro prima monitione valeat etiam pro altera.

Si de admisso delicto ecclesiastico deque eius gravitate constiterit, ad monitiones procedendum est, quae, ut suum effectum facilius consequantur, ab immediato Superiore maiore, per se vel per alium (veluti Superiorem localem aut peculiarem Superioris maioris delegatum), fieri debent. Potest vero, uti patet, imo debet Superior maior, antequam ad monitiones deveniat rem diligenter perpendere et, si opportunum videatur, praecipere ut inquisitio compleatur. Mandatum autem alii datum ad primam monitionem faciendam, ex dispositione iuris communis (et ideo Superior contra facere non potest) valet etiam pro altera.

Can. 660

Duae debent esse monitiones, scilicet singulae pro singulis duobus primis delictis; in delictis autem continuatis seu permanentibus intercedat necesse est inter primam et alteram monitionem saltem trium dierum integrum spatium.

Canon explicatione non indiget. In delictis continuatis, inter primam et alteram monitionem saltem trium dierum spatium intercedere debet, sane supputandum ad normam can. 34 § 3 n. 3: quod spatium si non intercesserit, ob defectum potestatis in monente, monitio non valet ad dimissionem postea forte pronunciandam. Sed idem spatium *saltem* tres integros dies debet complecti: idcirco facultas fit Superiori amplius intervallum concedendi, ex. c. duplum; quod tamen nimis protrahi non debet, ne Superior officium suum negligere videatur.

Can. 661

§ 1. *Monitionibus Superior addat opportunas exhortationes et correptiones, praescriptis insuper poenitentiis aliisque remediis poenalibus, quae apta censeantur ad emendationem rei et scandali reparationem.*

§ 2. *Praeterea tenetur Superior reum ab occasione relabendi removere, etiam*

per translationem, si opus fuerit, ad aliam domum, ubi facilior sit vigilantia et remotior delinquendi occasio.

§ 3. *Singulis monitionibus adiiciatur dimissionis comminatio.*

1. *Monitionibus Superior addat* etc. — Antequam videamus de iis quae addenda sunt monitioni, quomodo haec facienda sit explicare oportet. Jamvero monitio publica, de qua hic agitur (quaeque, quamvis ab Ordinario ante processum criminalem facta, iudicialis in Codice nostro appellatur), facienda est vel coram notario, ad normam can. 503 et 373 § 2 et 3 constituto, vel coram duobus testibus, vel per epistolam, de cuius receptione et tenore ex aliquo documento constet (can. 2309 § 2). Estque haec, monitio omnino peculiaris: dum enim monitiones, quae extra casum dimissionis religiosorum fiunt, procedunt ad summum e suspicione delicti (can. 2307), haec fieri non potest, nisi de admisso delicto ecclesiastico certo constiterit; imo nihil prohibet quin fiat postquam delictum, religioni graviter noxium, legitima poena expiatum est. Sunt igitur monitiones huiusmodi veluti adminicula et praeambulum dimissionis; quare reum confessum vel convictum supponunt: secus irritae sunt. Unde etiam singulis monitionibus comminatio dimissionis est adiicienda. Ad emendationem autem delinquentis, addendae sunt utrique monitioni exhortationes et reprehensiones, necnon poenitentiae ad normam can. 2313, aliaque remedia poenalia ad normam can. 2306, quae aptiora videantur, idque etiam ad scandali reparationem.

2. *Praeterea tenetur Superior* etc. — Contingere potest, et revera saepe contingit, ut delinquenti delinquendi occasionem domicilii locus praestiterit. Quo in casu Superior maior obligatione tenetur monitum religiosum e loco removendi, sive ad tempus, sive per legitimam translationem ad aliam domum, in qua et facilior vigilantia sit et remotior delinquendi occasio. Hisce autem praestitis, nulla alia obligatione Superior religiosus tenetur ex iure communi; sed prius quam ad ulteriora procedatur, eidem Superiori recolenda sunt gravissima verba decreti S. Congr. Concilii, 21 sept. 1624, in fontibus relati: *Caeterum*, ita decretum, *Sacra Congregatio religionum Superiores serio admonet ac per Jesu Christi viscera obtestatur, ut, memores paternae charitatis et mansuetudinis quam profitentur, nihil intentatum relinquant, ut lucrentur animas fratrum suorum, fere in profundum malorum delapsas, antequam gravissimum atque extremum expulsionis remedium experiantur. Idque eo magis, quod subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium et sui officii immemorum Praelatorum regimine peribunt, Dominus noster Jesus Christus in supremo Dei iudicio de eorundem Praelatorum manibus sit requisiturus.*

CAN. 662

Religiosus censetur se non emendasse, si post secundam monitionem novum delictum commiserit vel in eodem permanenter perstiterit; post ultimam monitionem sex saltem dies erit expectandum, antequam ad ulteriora progressus fiat.

1. *Religiosus censetur* etc. — Religiosus in primis censetur se non emendasse, si post secundam monitionem novum delictum, eiusdem speciei ac primum et alterum, commiserit. Agitur proinde de recidivo in delictum eiusdem generis, de quo in can. 2208, § 1. Recidivitas autem et pertinaciam voluntatis ostendit, et hac de causa imputabilitatem auget (ibid., § 2). Quare, in casu, delinquens statim ac tertium delictum commiserit, incorrigibilis censetur et in ea conditione reperitur, ut, ex rigore iuris, nihil amplius agere possit ad processum dimissionis a se avertendum. — Deinde religiosus tum quoque censetur se non emendasse, quum, post alteram monitionem, delictum commiserit non quidem eiusdem, sed diversae speciei ac delicta praecedentia, si tamen eius naturae delicta sint et in iis rerum adiunctis patrata, ut, praeter auctam in recidivo culpabilitatem (can. 2208 § 2), simul sumpta pervicacem in malo voluntatem manifestent (can. 657): quod quidem iudicium Superioris maioris prudentiae relinquitur, qui, ne postea sententia dimissionis forte lata ab Ap. Sede reiiciatur, lento gressu procedere debet. — Tertio religiosus censetur se non emendasse, si post alteram monitionem in eodem delicto perseveraverit. Quamdiu? Sex saltem dies, ut canon quem explicamus expresse cavet. *Saltem:* quare, quamvis Superior maior, transacto die sexto, possit ad ulteriora procedere, non tamen tenetur; sed recta ratio requirit, ut inter spatium temporis antea concessum et post ultimam monitionem concedendum, proportio servetur. — Hactenus de religioso delinquente, qui censetur se non emendasse. Sed vicissim quaeri potest quandonam, post secundam monitionem, sese emendasse censendus sit. Quod quidem si quaeratur quoad ineundum *statim* processum dimissionis, manifestum est religiosum emendatum censeri, et ideo non posse Superiorem maiorem ad ulteriora procedere, si post secundam monitionem vel nullum amplius delictum commiserit, vel a delicto continuato ante finem diei sexti religiosus recesserit. Si vero eadem quaestio fiat quoad processum dimissionis *postea* forte ineundum, scilicet ut constet generatim quandonam delictum praecedens cum subsequente, ad effectum dimissionis, connexionem amittat: respondendum videtur, tum vetus delictum ita emendatum censeri oportere, quum fuerit legitime praescriptum (cfr. can. 1702-1705). — Tandem non est hic praetereundum, Superiorem maiorem posse quidem, post delictum re aut virtute triplex, ad processum dimissionis devenire, sed ad id faciendum nulla lege *teneri:* nam, ad normam can. 657, delicta *debent* esse *saltem* tria; ergo *plus* quam tria esse *possunt*. Non solum igitur indulgentiam ius commune non vetat, sed etiam implicite suadet.

2. *Post ultimam monitionem* etc. — Quae verba aut ad solum delictum continuatum referuntur, aut nihil significant: siquidem, extra casum huiusmodi, tertium delictum cum praecedentibus, ad effectum dimissionis, tandiu connecti potest, quandiu praecedentia delicta praescripta non fuerint, et ideo etiam post elapsum biennium. Ceterum vero, ut quid, si delictum statim post alteram monitionem fuerit commissum, sex vel quinque dierum spatium, quum conditio delinquentis tunc ex rigore iuris amplius immutari non possit?

CAN. 663

Immediatus Superior maior, postquam monitiones et correptiones incassum cesserint, omnia acta et documenta diligenter colligat et ad supremum Moderatorem transmittat; hic autem ea tradere debet promotori iustitiae, qui ea examinet et suas conclusiones proponat.

1. *Immediatus Superior* etc. — Dum ea, quae huc usque disseruimus, ad legem poenalem eiusque transgressionem definiendam spectabant, nec per se egrediebantur ordinem administrativum : per hunc canonem transitus fit ad ordinem iudicialem, cuius transitus promotor iustitiae est aliquomodo vehiculum : eius namque est (quia et publicae potestatis personam gerit et eius nomine legum implementum tuetur) libellum accusatorium vel in forum iudiciale introducere, si accusationi revera legis poenalis violatio respondere videatur ; vel reiicere, si accusatio fundamento careat ; vel complere, si accusatio, quamvis firmo fundamento innixa, imperfecta appareat. Immediatus igitur Superior maior delinquentis, postquam de eius incorrigibilitate constiterit, libellum accusatorium, acta omnia et documenta continentem, conflare debet et ad supremum religionis Moderatorem transmittere ; hic autem libellum tradere debet promotori iustitiae. Num supremus Moderator receptum libellum necessario tradere tenetur ? Patet, non solum non teneri obligatione tradendi, verum etiam, postquam tradidit, esse in eius potestate libellum revocandi : sicuti enim, ut supra diximus (cfr. comment. ad can. 662 n. 1), non necessario post secundam monitionem immediatus delinquentis Superior maior ad ulteriora procedit, eodem profecto iure uti potest Moderator supremus ; quia vero promotor iustitiae ad forum iudiciale, proprie loquendo, non pertinet, sed potius *apud idem forum* supremi Principis personam gerit ad legum implementum tuendum et excitandum, ipse omnino pendet in casu a potestate supremi Moderatoris, cui praecipienti aut parere debet aut, si quae ab eo praecipiuntur cum iuris communis placitis videantur ei conciliari non posse, officio suo renuntiare. Proinde est in potestate supremi Moderatoris libellum accusatorium non tradere, aut traditum revocare.

2. *Qui ea examinet* etc. — Tenetur promotor iustitiae libellum accusatorium sibi traditum, et omnia accusationis acta et documenta (ex. c. de notorietate delictorum aut confessione delinquentis aut peractis inquisitionibus ; de allatis testimoniis ; de monitionibus legitime factis ; de delinquentis in aliam domum translatione forte tentata ; de defectu emendationis etc.) continentem, diligenter examinare et suas conclusiones proponere : nempe, ut supra diximus (n. 1), vel libellum esse in forum iudiciale introducendum, vel esse reiiciendum aut complendum.

CAN. 664

§ 1. *Si promotor iustitiae, cui fas est etiam ulteriores inquisitiones quas opportunas iudicaverit peragere, accusationem proponat, instruatur processus, ser-*

vatis praescriptis canonum in Parte Prima Libri Quarti, congrua congruis referendo.

§ 2. *Ex processu constare debet de delictis patratis, de praemissa duplici monitione et de defectu emendationis.*

1. *Si promotor iustitiae* etc. — Si promotori iustitiae visum fuerit reiiciendum non esse libellum accusatorium, sed ad forum iudiciale transferendum, sive pure et simpliciter sive ulterioribus, per se vel per immediatum delinquentis Superiorem maiorem, inquisitionibus peractis; si, hoc in casu, peractae inquisitiones libellum et compleverint et simul confirmaverint; si denique supremus Moderator promotoris iustitiae conclusiones approbaverit: tunc idem promotor, per exhibitionem eiusdem libelli coram tribunali collegiali, de quo antea diximus (cfr. comment. ad can. 655), causam criminalem apud forum iudiciale instituere tenetur.

2. *Instruatur processus, servatis* etc. — Introducto et a tribunali admisso libello accusatorio (cfr. can. 1711 § 1), est in primis reus a tribunali citandus (cfr. can. 1712-1724); citatione autem facta, res desinit esse integra, interrumpitur praescriptio et iudicium pendere incipit (can. 1725): unde firmatur conditio iuridica rei, eademque perseverat (cfr. tamen can. 1956-1958) usque dum tribunalis sententia in rem iudicatam transierit. Reus autem, scheda citationis recepta, potest, ad normam can. 1658 § 4, advocatum eligere: secus a tribunali designari debet (can. 1655 § 1). Post haec vero processus dimissionis gradatim progreditur, iuxta normas generales cuiuscumque processus, seu criminalis seu contentiosi (cfr. can. 1572-1593; 1608-1666; 1711-1867): quas normas explicare non profecto hic ad nos pertinet; innuere sufficiat, esse in casu tribunali collegiali iudicialiter inquirendum: an constet de tribus (seu re seu virtualiter) saltem delictis non praescriptis, inter se connexis, ad legitimam dimissionem sufficientibus et reo citato imputandis; an constet de duplici saltem monitione suo tempore legitime peracta; an constet de defectu emendationis in eodem reo, idque eo tempore, quo, ad dimissionem vitandam, emendatio ex iure requirebatur.

Can. 665

Tribunal, diligenter perpensis allegationibus tum promotoris iustitiae tum rei, si quidem iudicaverit satis probata esse ea de quibus in can. 664 § 2, sententiam dimissionis pronuntiet.

Canon refertur ad tria illa capita, de quibus a tribunali collegiali iudicialiter esse inquirendum, nuper diximus.

Can. 666

Sententia exsecutioni mandari nequit, nisi fuerit a Sacra Congregatione confirmata; ad quam tribunalis praeses et sententiam et omnia acta processus quamprimum transmittere curabit.

Sententia definitiva tribunalis collegialis, quamvis per maioritatem absolutam suffragiorum (ad validitatem iugiter requisitam, etiam quum par est iudicum numerus) ad normam can. 1577 § 1 et 1871 legitime lata, ad normam can. 1873 et 1874 digesta, atque vitio insanabili nullitatis non infecta, non transit ex seipsa (et hoc ei peculiare) in rem iudicatam et ideo exsecutioni mandari non potest (can. 1917 § 1): placuit enim Legislatori eidem sententiae veluti adiicere appellationem implicitam, quasi ex iure ipso interpositam, non quidem apud tribunal collegiale secundae instantiae, de quo in can. 1596, sed, ut gravis causa criminalis quamprimum finiretur, apud ipsum supremum Dicasterium religiosorum negotiis praepositum.

Quare, postquam sententia lata est, praeses tribunalis collegialis, sive ordinarii sive delegati, de quo infra, quamprimum transmittere tenetur ad S. Congr. de Religiosis tum sententiam tum omnia acta processus. Quae si acta probaverit, eo ipso sententia transit in rem iudicatam, reus habetur tanquam e religione dimissus, et non relinquitur, nisi ut sententiae exsecutio subsequatur ad normam can. 1920 § 3 et 1924; si vero S. Congregatio aliter disposuerit, eius mandatis omnino standum est.

CAN. 667

Pro dissitis regionibus, etiam in casibus ordinariis, supremi Moderatores cum consensu sui Consilii seu Capituli possunt dimittendi facultatem demandare probis ac prudentibus religiosis, qui saltem tres esse debent, firmo praescripto can. 663-666.

Agitur in canone de designando, in casu necessitatis, tribunali collegiali delegato. Ad validitatem delegationis, quae spectat ad supremum religionis Moderatorem vel ad vicem eius legitime gerentem, duo requiruntur: — 1.) Ut accedat consensus Consilii per maioritatem suffragiorum expressum, ad normam can. 101 § 1, quicumque consiliariorum sit numerus: non enim hic, ut in can. 655 § 1, Consilium in tribunal collegiale constituendum esse dicitur, iudicum numero expresse statuto; — 2.) ut tribunal delegatum tribus saltem iudicibus constet, quorum est et promotorem iustitiae constituere, ad normam can. 655 § 2, et processum dimissionis legitime conficere ad normam can. 663-666, ut surpa diximus.

CAN. 668

In casu, de quo in can. 653, religiosus statim potest a Superiore maiore vel, si periculum sit in mora et tempus non adsit recurrendi ad Superiorem maiorem, a Superiore quoque locali, cum consensu sui Consilii, ad saeculum remitti, habitu religioso illico deposito; religioso autem dimisso, statim processus, si nondum fuerit institutus, instituatur ad normam canonum qui praecedunt.

Agitur in canone de eodem casu extraordinario, de quo in can. 653, quique incidere potest vel ante, vel pendente processu, vel nondum confirmata sententia

dimissionis. Idcirco quae in huius canonis explicatione diximus, hic quoque faciunt. Quoad processum vero super unico (cfr. decr. *Quum singulae,* 16 maii 1911, n. 17) aut pluribus delictis, post dimissionem *de facto* statim peragendum, cfr. comment. ad can. 663-666.

CAPUT IV

DE RELIGIOSIS DIMISSIS QUI VOTA PERPETUA NUNCUPARUNT

Can. 669

§ 1. *Professus qui vota perpetua emisit, a religione dimissus, votis religiosis manet adstrictus, salvis constitutionibus aut Sedis Apostolicae indultis quae aliud ferant.*

§ 2. *Si clericus est in minoribus ordinibus constitutus, eo ipso reducitur ad statum laicalem.*

1. *Professus qui vota perpetua* etc. — Canon agit tantummodo de dimissis qui vota perpetua (sive sollemniter sive simpliciter) nuncupaverint: proinde comprehendit in primis omnes Ordines, monialibus non exclusis; deinde omnes Congregationes, sive iuris pontificii sive etiam dioecesani, in quibus vota perpetua nuncupantur. Nulla igitur mentio fit in canone de Congregationibus, seu iuris dioecesani seu etiam pontificii, in quibus vota sunt temporaria : siquidem pro dimissis ex hisce religionibus valet can. 648, quem supra explicavimus.

2. *Votis religiosis manet* etc. — Ut haec et subsequentia verba recte intelligantur, recolendum est, fundamentum summum cuiuscumque dimissionis requirendum esse, ut supra diximus (cfr. comment. ad can. 649 n. 2, et 651 n. 1), tandem aliquando, in gravi cuiuscumque generis detrimento religioni imminente et in dolosa vel saltem culpabili ac simul incorrigibili agendi ratione alicuius religiosi, contra obligationes per professionem contractas. Hinc praxis duplex: nam quandoque incolumitas religionis praesertim consideratur, ad eamque sartam tectam servandam, ut nempe damnum grave quod semel expertum est, perpetuo avertatur, *constitutionibus* vel *Ap. Sedis indultis* expresse cavetur, ne religiosus dimissus votis religiosis adstrictus maneat; quare, uti cl. Vermeersch (*Epitome,* I, n. 763, Nota 1) evenire docet in Societate Jesu, *vota omnia, praeter vota sollemniter professorum, ipsa dimissione solvuntur.* Votis autem solutis, nullum amplius vinculum superest inter dimissum ac religionem dimittentem: unde nec dimissus tenetur ad claustra redire, nec religio eum post emendationem recipere (can. 672 § 1). Ex adverso, quandoque consideratur praecipue persona religiosi, ad eamque tuendam (quia qui incorrigibilis visus est, absque ullo dubio et corrigibilis fieri et revera corrigi potest) nihil prorsus de votis ipso facto per dimissionem solvendis in constitutionibus cavetur, nullum hac de re ab Ap. Sede

privilegium petitur: quare tum dimissus *votis religiosis manet adstrictus,* ac proinde ad claustra redire tenetur et a religione, si emendatus, recipi debet (can. 672, § 1); unde hoc in casu dimissio, quasi poenae medicinalis (cfr. can. 2241, § 1) rationem habet, dum in priore casu induit naturam poenae vindicativae (cfr. can. 2286), seu potius praeventivae in favorem religionis. Quocirca est etiam animadvertendum, solutionem votorum ex facto ipso dimissionis, si vi constitutionum religionis eveniat, inniti iustae rescissioni quasi-contractus professionis: tum enim religiosus merito censetur sub hac conditione professionem emisisse; in auctoritate vero Ap. Sedis positive dispensantis, si evenerit vi privilegii apostolici extra constitutiones religioni concessi, vel per indultum peculiare Ap. Sedis in singulis casibus.

3. *Si clericus est* etc. — Clericus in minoribus ordinibus constitutus, facto ipso dimissionis, clericus esse desinit et inter laicos transfertur: scilicet iure communi ita disponente, in re quae (ordines minores), utpote ab Ecclesia instituta, ab eius quoque voluntate prorsus dependet et, propter rerum adiuncta, inutilis facta est.

CAN. 670

Clericus in sacris qui aliquod delictum commisit de quo in can. 646, aut dimissus est ob delictum quod iure communi punitur infamia iuris vel depositione vel degradatione, perpetuo prohibetur deferre habitum ecclesiasticum.

Firmata per praecedentem canonem regula generali, vi cuius dimissus a votis perpetuis (salvis constitutionibus et indultis Ap. Sedis) votis religiosis manet obstrictus (nemo enim ex admisso delicto emolumentum reportare debet), consulendum erat casibus, hodie longe frequentioribus, in quibus dimissus clericus esset: inest enim clericis ius atque obligatio susceptos ordines exercendi vel saltem habitum ecclesiasticum deferendi (Cfr. can. 108 ss.). Quocirca in primis Legislator distinguit clericos in minoribus ordinibus constitutos, ab iis qui in sacris constituti sunt. Illi, ut antea vidimus, facto ipso dimissionis clerici esse desinunt, et ideo nulla amplius de illis quaestio; hi autem rursus in duo genera distribuuntur, ratione admissi delicti: nempe in dimissos propter delicta graviora, in hoc canone expresse definita, et in dimissos propter leviora delicta, de quibus in canone subsequenti.

Siquidem sunt quaedam inter delicta ecclesiastica, quae, sive directe sive indirecte sive in casu pervicaciae, si a clericis patrata, secumferunt privationem temporariam vel perpetuam habitus ecclesiastici, ac proinde suspensionem ab exercitio ordinum antea susceptorum. Haec, igitur, considerans Legislator noster, hoc canone absolute declarat, facto ipso dimissionis habitu ecclesiastico in perpetuum privari eos, qui dimissi fuerint a religione ob delictum in can. 646 recensitum, vel ob delictum quod ex iure communi plectatur infamia iuris (Cfr. can. 2294) aut poena depositionis (Cfr. can. 2303) vel degradationis (Cfr. can. 2305). De hisce igitur dimissis expedita res est, quum, simul cum habitu ecclesiastico,

quaelibet clericalis operositas interdicatur: quamvis, ob susceptos ordines maiores, ad statum laicalem redigi non possint, nisi ad normam can. 214. Restat ut videamus de ceteris.

Can. 671

Si vero dimittatur ob delicta minora, iis de quibus in can. 670:

1. *Ipso facto suspensus manet, donec a Sancta Sede absolutionem obtinuerit;*

2. *Sacra Congregatio, si id expedire iudicaverit, dimisso praecipiat ut, habitu cleri saecularis indutus, commoretur in certa dioecesi, indicatis Ordinario causis ob quas dimissus fuit;*

3. *Si dimissus praecepto de quo n. 2 non paruerit, religio ad nihil tenetur, et dimissus eo ipso privatus est iure deferendi habitum ecclesiasticum;*

4. *Ordinarius dioecesis pro eius commoratione designatae, religiosum in domum poenitentiae mittat, vel eum committat curae et vigilantiae pii ac prudentis sacerdotis; et si religiosus non paruerit, servetur praescriptum n. 3;*

5. *Religio, per manus Ordinarii loci commorationis, caritativum subsidium dimisso suppeditet pro necessariis ad vitae sustentationem, nisi ipse aliunde sibimet providere valeat;*

6. *Si dimissus vitae rationem ecclesiastico viro dignam non agat, transacto anno aut etiam prius, iudicio Ordinarii, privetur caritativo subsidio, eiiciatur e domo poenitentiae eique auferatur ius deferendi habitum ecclesiasticum ab ipso Ordinario, qui statim mittere curet opportunam relationem tum ad Sedem Apostolicam tum ad religionem;*

7. *Si vero dimissus praedicto tempore tam laudabiliter se gesserit ut merito haberi possit vere emendatus, Ordinarius eius preces apud Sanctam Sedem commendabit pro absolutione a censura suspensionis, et, ea obtenta, eidem in sua dioecesi permittat, adhibitis opportunis cautelis et limitationibus, Missae celebrationem et etiam, pro suo arbitrio et prudentia, aliud sacrum ministerium, unde honeste vivere queat; quo in casu religio caritativum subsidium intermittere potest. Quod si agatur de diacono aut subdiacono, res ad Sanctam Sedem deferatur.*

Prolixi huius canonis fundamentum requirendum est in perpetuitate votorum atque in spe emendationis religiosi dimissi. Hic in primis patrati delicti poenam luere debet, ac proinde facto ipso dimissionis incurrit in suspensionem ab exercitio sacrorum ordinum, usque ad emendationem duraturam, reservata Ap. Sedi absolutione censurae et cura suspensi.

E religione autem eiectus, nec poenam delicti luere potest in religione, nec habitum religionis extra deferre: idcirco non relinquitur, nisi ut poenam solvat in aliqua dioecesi sub habitu cleri saecularis. Quod onus, caritativum quidem sed non sine molestiis ac periculis, loci Ordinario nonnisi Ap. Sedes praescribere potest. Cui si dimissus parere negaverit, aut loci Ordinarii dispositionibus obtemperare noluerit, aut in ipsa domo poenitentiali, ab Ordinario designata, in mala vivendi ratione perseveraverit, habitu ecclesiastico aut ipso iure privatus habetur,

aut est ab Ordinario privandus. Quousque vero dimissus in domo poenitentiali permanserit, quin labore victum sibi comparare queat, impensae, si dimissus indigeat, sustinendae sunt a religione, titulo quidem caritativo, sed obligatorio.

Quod si denique dimissus, toto tempore ab Ap. Sede praefinito, ita bene se gesserit ut emendatus haberi possit, a poena suspensionis, commendante loci Ordinario, absolutus, admittitur, intra limites ab ipso Ordinario praefiniendos, ad exercitium ordinum sacrorum, unde honeste vivere queat. Si autem dimissus in ordine presbyterali constitutus non fuerit, et ideo nullimode nostra hac aetate sacrum ministerium possit exercere, res ad Ap. Sedem deferenda est, ut ipsa quid agendum sit videat.

Siquidem haec omnia precaria sunt, nec dimissus, perdurante professione religiosa, dioecesi incardinari potest, nec proinde ei beneficium ecclesiasticum conferri: finis enim harum omnium dispositionum positus est in reditu dimissi emendati ad religionem, quae hac praesertim de causa gravatur ex iure communi subsidio caritativo, ut antea innuimus.

CAN. 672

§ 1. *Dimissus, votis in religione emissis non solutus, tenetur ad claustra redire; et si argumenta plenae emendationis per triennium dederit, religio tenetur eum recipere; quod si graves obstent rationes sive ex parte religionis sive ex parte religiosi, res iudicio Sedis Apostolicae subiiciatur.*

§ 2. *Quoties vero vota in religione emissa cessaverint, si dimissus Episcopum benevolum receptorem invenerit, sub eius iurisdictione et speciali vigilantia maneat, servato praescripto can. 642; secus res ad Sanctam Sedem deferatur.*

1. *Dimissus, votis* etc. — Errare humanum est: quare Paulus (I *Cor.*, X, 12) monet omnes, nemine excluso, ut, quoad inter humanas varietates versamur, *qui se existimat stare, videat ne cadat.* Unde etiam nemo, qui non sit fatuus, delinquentem emendatum despiciet. Nec proinde religiones, apud quas, si quid sentio, haud minus vigere Christi caritas debet quam apud locorum Ordinarios, religiosos dimissos, triennali probatione emendatos et ad claustra redire paratos, nisi peculiares eaedemque graves rationes extiterint, reiicere possunt. Vicissim autem religiosus dimissus et a votis non solutus, elapso triennio tenetur obligatione ad claustra redeundi. Quae hinc inde obligatio, quidquid in contrarium sentiat cl. Larraona (cfr. *Comment. pro Relig.*, 1932, p. 318 ss.), tunc quoque tenet, quum agitur de dimisso religioso laico, vel clerico in minoribus constituto: etenim, non solum Legislator hoc in canone, in quo tantum ex professo de re agit, *non distinguit,* verum etiam eadem omnino ratio urget; quod si in can. 671 de clericis in sacris tantummodo cavetur, id fit propter ius atque obligationem sacri ministerii, quae hisce clericis cohaerent. Utriusque rationes contrarias expendet Ap. Sedes. Haec quidem theorice: nam in praxi... satis rara erit religio, quae sponte religiosum a se dimissum receperit; et e converso satis rarus dimissus,

qui ad religionem reiicientem redire voluerit. Quare negotium universum fere semper finietur aut per privationem habitus ecclesiastici, aut per incardinationem in dioecesi cum dispensatione a votis.

2. *Quoties vero* etc. — Huc usque de dimissis, quorum vota perpetua soluta non fuerint; nam si fuerint soluta, res fit expeditissima: aut enim Episcopum benevolum receptorem inveniunt, aut negotium Ap. Sedi deferendum est, ut ipsa pro sua prudentia provideat.

TITULUS XVII

DE SOCIETATIBUS SIVE VIRORUM SIVE MULIERUM IN COMMUNI VIVENTIBUS SINE VOTIS

Can. 673

§ 1. *Societas sive virorum sive mulierum, in qua sodales vivendi rationem religiosorum imitantur, in communi degentes sub regimine Superiorum secundum probatas constitutiones, sed tribus consuetis votis publicis non obstringuntur, non est proprie religio, nec eius sodales nomine religiosorum proprie designantur.*

§ 2. *Huiusmodi societas est clericalis vel laicalis, iuris pontificii vel dioecesani, ad normam can. 488 nn. 3, 4.*

Ap. Sedes, B. Petri Ap. memor, qui (I Petr., IV, 10) hortabatur *unumquemque,* ut, *sicut acceperat gratiam, in alterutrum illam administraret, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei,* quidquid utilis identidem excogitatum est ad aeternam hominum salutem procurandam, iugiter et sua benevolentia fovit et auctoritate munivit. Ita factum est ut, praeter veri nominis religiones (vitae, nempe, communi ac simul publicis obedientiae, paupertatis et continentiae votis substantialiter innixae) oriri ac florere visa sint sodalitia quaedam varii generis, quae rationem vivendi religiosorum imitantur: quae, scilicet, perinde ac religiones vitam communem agunt, per constitutiones atque Superiores reguntur, ad christianam perfectionem contendunt; ex adverso autem, secus ac religiones, aut vota non emittunt, aut saltem *publice,* sed tantummodo aut tria vota privata (ut ex. c. *Societas Presbyterorum Missionis,* auctore S. Vincentio a Paulo), aut minus quam tria vota (ut *Beghinae* Gandavenses, quae solum votum temporarium continentiae nuncupare solent), aut pro votis iuramentum (ut *Societas Missionariorum Africae,* auctore Card. Lavigerie) vel promissionem (ut *Pia Societas Missionum* seu *Pallottini* sodales), aut tandem nec ulla vota, nec iuramentum aut promissionem emittunt (ut *Congregatio Oratorii,* auctore S. Philippo Nerio).

Hoc sodalitiorum genus primum introductum fuisse fertur, circa a. 1370, in Germania inferiore a Gerardo Grootio, sub nomine *Fratrum de communi vita:*

qui, sine votis coëuntes et Regulam S. Augustini pie profitentes (cfr. Hergenröther, *Storia univers. della Chiesa,* Firenze, 1908, V, p. 81), christianae praedicationi et instituendae iuventuti multum adlaboraverunt. Sed novum hoc genus vitae communis, ut facile quis augurari poterat (perpetuo enim solet humana intolerantia opus Dei perturbare), improbationes Ordinum Mendicantium in se concitavit (ibid.), quae tamen, Ap. Sede *Fratribus de communi vita* favente, paullatim relanguerunt atque evanuerunt: imo multa alia huius generis sodalitia per Europae provincias exorta sunt, ac tandem eorundem disciplina in Codicem i. c. recepta. Quae disciplina subsequentibus canonibus ita clare expressa continetur, ut sufficiat canones afferre, adiectis tantummodo quibusdam authenticis interpretationibus, quin antea explicata hic iterum explicemus.

CAN. 674

Circa erectionem et suppressionem societatis eiusque provinciarum vel domorum, eadem valent quae de Congregationibus religiosis constituta sunt.

CAN. 675

Regimen determinatur in uniuscuiusque societatis constitutionibus; sed in omnibus serventur, congrua congruis referendo, can. 499-530.

Quocirca Pont. Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos instituta, 25 iul. 1926 rogata respondit: « Praescriptum can. 505 de Superioribus ad tempus constituendis, comprehendere etiam Societates de quibus in can. 673-681 earumque domos, etiamsi domus sint externae, seu non pertinentes ad societatem, et in quibus sodales pauci numero adhiberi solent, ex. gr. Seminaria, scholae, nosocomia; dummodo (cfr. responsum II sub eodem die) agatur de Superioribus qui consodales sub sua potestate habeant etiam quoad internam disciplinam ». — Praeterea: « Eosdem Superiores ad fidei professionem, ad normam can. 1406 § 1 n. 9 emittendam, teneri ». — Denique, quoad poenas: « Societatibus clericalibus sine votis, quatenus sodales vitam communem agant, applicandos esse can. 2386, 2387 et 2389; quatenus privilegio gaudeant litteras dimissorias ad ordines suis subditis concedendi, applicandum esse can. 2410: itemque primam partem canonis 2411, salvis quoad reliqua constitutionibus, et canonem 2413 ».

CAN. 676

§ 1. *Societas eiusque provinciae et domus capaces sunt acquirendi et possidendi bona temporalia.*

§ 2. *Administratio bonorum regitur praescripto can. 532-537.*

§ 3. *Quidquid sodalibus obvenit intuitu societatis, eidem acquiritur; cetera bona sodales secundum constitutiones retinent, acquirunt et administrant.*

CAN. 677

In admittendis candidatis serventur constitutiones, salvo praescripto can. 542.

Can. 678

In iis quae ad studiorum rationem et ad suscipiendos ordines pertinent, sodales iisdem legibus tenentur ac saeculares clerici, salvis peculiaribus praescriptionibus a Sancta Sede datis.

Can. 679

§ 1. *Sodales societatis, praeter obligationes quibus, uti sodales, obnoxii sunt secundum constitutiones, tenentur communibus clericorum obligationibus, nisi ex natura rei, vel ex sermonis contextu aliud constet, pariterque stare debent praescriptis can. 595-612, nisi constitutiones aliud ferant.*

§ 2. *Clausuram servent ad normam constitutionum sub Ordinarii loci vigilantia.*

Can. 680

Iidem, etiam laici, gaudent clericorum privilegiis, de quibus in can. 119-123, aliisque societati directe concessis, non autem privilegiis religiosorum sine speciali indulto.

Can. 681

Praeter proprias cuiusque societatis constitutiones, circa transitus ad aliam societatem vel ad aliquam religionem aut circa sodalium exitum a societate etiam iuris pontificii, serventur, congrua congruis referendo, praescripta can. 632-636, 645; circa eorum dimissionem, praescripta can. 646-672.

Circa quam dimissionem sodalium, Pont. Commissio rogata respondit: « In dimittendis alumnis Societatum sine votis, si vinculum quo sodales adstringuntur est temporarium, servandos esse canones de dimissione religiosorum qui vota temporaria emiserunt; si vero perpetuum, servandos esse canones de dimissione religiosorum qui vota perpetua nuncuparunt ».

Summatim, igitur, principia quibus disciplina horum sodalitiorum innititur, haec sunt: — 1) Tres sunt iuris fontes: Codex i. c., peculiares constitutiones et statuta Ap. Sedis; — 2) Praescripta Codicis non tenent, nisi in iis quae hic explicite vel implicite allegata sunt; — 3) Ut natura horum sodalitiorum postulabat, peculiare est regimen studiorum atque bonorum temporalium: quoad cetera, plus minusve utuntur iure religiosorum, eorum indoli accommodato; — 4) Ad normam canonum huius Tituli, et veteres constitutiones emendandae sunt, et novae conficiendae.


348.1
T 64
28703
28703
TOSO, ALBERT
AUTHOR ad Codicem Juris Canonici
Commentaria Minora
TITLE Lib. 2 : De Personis
P. 2, De Religiosis
DATE LOANED
BORROWER'S NAME
DEC 1 2 1986
28703